[redacted]

204
Luther.

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA

LATINA

CURAVIT

HENR. SCHMID

PHIL. DOCT.

TOMUS IX.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. XXXVI — XL.

ERLANGAE
SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.
MDCCCXLI.

IN GENESIN

ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM PER

VITUM THEODORUM,

TOMI III. PARS III.

TRIGESIMUM SEXTUM CAPUT GENESIS.

In hoc capite inspicienda est series historiae. Moses enim usus est anticipatione, quam dicunt ὕστερον πρότερον. Nam, quae sequuntur hoc caput usque ad 40, priore loco poni debuissent ante verba illa: „fuerunt autem dies Isaac CLXXX," quia omnia, quae tribus sequentibus capitibus describuntur, gesta sunt ante mortem Isaac, qui vidit stupratam Dinam, caesos Sichimitas et funestam victoriam filiorum Iacob, item extinctam Deboram et Rahelem, et insuper Ioseph venditum in Aegyptum et incestum Iudae cum Thamar.

Haec omnia ex chronographia colligi possunt. Alioqui enim apparet Isaac statim obiisse, postquam venit ad eum Iacob, quod falsum est, quia vixit ad minimum XIII annos post reditum ex Mesopotamia in Hebron. Deinde certum est Isaac CLXXX annorum fuisse, cum moreretur. Esau autem et Iacob nati sunt sexagesimo anno aetatis Isaac, quidempti a CLXXX annis relinquunt CXX. Haec est aetas Esau et Iacob, quando obit Isaac. Ioseph habuit triginta annos, et tredecim annis post venditum Ioseph mortuus est

Isaac, anno ante liberationem ejus ex carcere. Fu autem miserabilis vita senis privati oculis et lumin ex eo tempore, quo benedixit Iacob, ab anno LXXVII tum enim caligaverunt oculi ejus, sicut supra audiv mus. Meminerimus itaque, tria capita sequentia inter ponenda esse inter haec verba: „Venit Isaac a patrem et fuerunt dies Isaac CLXXX", quia chrono graphia multa utiliter monet, et illustrat historiam et saepe occasionam praebet multarum pulcherrima rum cogitationum. Fuerunt enim veri sancti martyre optimi Patriarchae et Prophetae, qui multas miseria tolerarunt, quibus sustinendis nos neutiquam pares sumus.

Haec de hysterologia primum dicenda fuerunt. Moses enim, quia in praecedenti capite dixerat, convenisse Esau et Iacob ad sepulturam patris, commodissimum hunc locum ratus est dicendi de Esau, quem hoc capite absolvit, nec faciet deinceps ejus aliquam mentionem.

Hae autem sunt generationes Esau, ipse est Edom.

Nomen Edom perpetuo haesit in hac regione. Latini et Graeci vocant Idumaeam, ut Virgilius palmas Idumaeas nominat, Iudaei autem venenati et pestilentissimi in omnibus suis commentariis appellant Romanum et Christianum Imperium Edom, cum ipsi vere sint populus ille maledictus et damnatus. In precationibus suis orant contra Edom, et petunt, ut Messias ipsorum nos trucidet et habent stultissimas opiniones de origine Romani imperii. Porro Moses non voluit oblivisci Esau, quia est nepos Abrahae, et est par nativitas et gloria sanguinis utriusque, Esau

et Iacob. Esau ortus est ex generosissimo sanguine Sarae et Rebeccae, Abrahae et Isaac. Ideo non voluit eum Moses rejicere, sed numerat filios et nepotes ejus, et meminit corporalis benedictionis, de qua supra. Vives in gladio, et veniet tempus, cum excuties jugum fratris tui etc.

Initio Genesis etiam de generatione Cain dictum est, qui, etsi erat reprobus, excommunicatus et maledictus in terra, tamen Deus reliquit ei spatium poenitentiae, ut ipse et posteri possent consequi beneficia promissionis spiritualis. Ita in Esau commendatur exemplum divinae patientiae etiam in reprobis. Non enim dubium est, quin Esau et Ismael secum traxerint doctrinam Abrahae, Isaac et Iacob, ritus item sacrificiorum et praecipue circumcisionis. Ideo multi illustres viri ex sanguine Esau nati sunt. Sed in hoc differunt, quod non habuerunt promissionem Messiae, non est eis promissa misericordia et semen benedictum, filius virginis et salvator mundi, sed tamen propterea non sunt abjecti nec ipsi, nec posteri, sicut alii gentiles.

Multi Aethiopes, Ammonitae, Edomitae adjunxerunt se confessioni et cultui Dei Israel secundum vocationem Dei. Multi ex Ninivitis et Babiloniis salvati sunt fortuita misericordia, quanquam gentibus non est promissus Christus, sicut semini Abrahae, nec credita eis sunt oracula Dei. Nam hanc gloriam necesse est nos concedere semini Abrahae, quam praedicat 147. Psalm „non fecit taliter omni nationi.“ Hic populus Israel habet Patriarchas, Prophetas, eloquia Dei, et Paulus inquit Rom. 15, 8. „Dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei et confirmandas promissiones patrum.“

Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est „propterea tibi confitebor in gentib Domine, et nomini tuo cantabo etc.," sed ex semi gentili non venit Christus.

Distinguendum est igitur inter promissionem veritatem et misericordiam fortuitam. Nos habem misericordiam sine promissione, Iudaei cum prom sione. Salus enim ex Iudaeis Ioh. 4, 22. Ex tri Iuda venit victor mortis et Diaboli. Hac promi sione caruerunt Esau et Ismael, sed a misericord non sunt exclusi, quia historiae diversum testantu sicut nec omnes, qui habuerunt promissionem, adjunxerunt Ecclesiae. Non enim filii carnis su filii Dei, sed filii promissionis, immo in illa part populi multa tetra portenta scelerum exstiterunt, qu lia ne in gentium quidem historiis leguntur, ut Davi ejicitur a filio e regno. Tota domus funestissima es et calamitosior, quam Tantali aut Pelopidarum i Graecia.

Non igitur sequitur: nos habemus promissionem igitur ejus haeredes sumus omnes, sicut nec illud non habemus promissionem, ergo sumus rejecti. Ex omnibus populis aliquos assumpsit Deus, ne gloriemur sed qui gloriatur, in Domino glorietur, tam ille, qu habet promissionem, quam qui non habet, ut sit justu ipse et justificans eos, qui sunt ex fide.

Moses ergo non solum propter reverentiam Abrahae, Isaac et Iacob celebrat Esau, quorum nepos est et filius, sed multo magis ob hanc causam, ut sciamus, eum participem factum benedictionis, quam habuit Iacob. Semper enim patuit ei aditus ad societatem verae Ecclesiae, si modo humiliavit se et serio dixit: „Tantum misereatur mei Deus, et faciat me

participem micarum, quae cadunt de mensa Ecclesiae, quae est in domo Dei." Istà humilitas et obedientia placet Deo, tametsi non habeas promissionem.

Econtra filii promissionis, cum superbiunt, amittunt benedictionem. Hoc enim vult Deus, quod ait Petrus: (1.Petr.5,6.) „Humiliamini sub potenti manu Dei," et ob hanc causam humiliat et exercet sanctos suos, ne superbiant. Ita puto, multos excellentes viros et plenos Spiritu sancto fuisse in posteritate Edom, quanquam non defuerunt, qui ingenti et acerbo odio arderent adversus Israel, sicut hodie Papistae nobis sunt infensissimi, habent nos pro abominatione, pro anathemate et catharmate, multi tamen ex illis sunt, qui amplectuntur et amant nos et nostram doctrinam. Atque hanc existimo causam fuisse, quare inseruerit Moses generationem Esau numero sanctorum, et conjunxerit et ipsum et ex posteris aliquos cum Ecclesia sancta, quia sunt participes facti non promissionis, sed misericordiae, quam praestat promissio.

In latina translatione caput hoc valde obscurum et confusum est. Primum autem describit Moses posteritatem Esau, quae fuit vivo ipso, deinde affinitatem sive genealogiam uxorum, tertio duces et reges. Inter hos significat, aliquos fuisse bonos, qui longo usu audiendi verbi sunt conversi; non longe enim abfuit Seir ab Hebron, ideo facilis fuit aditus ad Isaac patrem et ejus Ecclesiam, et quando uno aliquo loco revelatur verbum, spargit radios et divulgatur passim ad vicinos. Ergo innuit Moses, non omnes esse damnatos, qui oriundi fuerunt ab Edom, licet rejectus esset a promissione et primogenituram amisisset.

Ac profecto mira res est, quod fere in tota historia sacra primogeniti sunt infelices. In Aegypto

omnes primogeniti occisi sunt a Deo. Videtur autem haec causa esse, quia lex est conditionalis, et qui habent legem plerumque fiunt pejores, quia superbiunt propter legem, quasi propterea data sit, ut alat superbiam primogeniturae, cum ad eam humiliandam sit lata. Ideo divinitus repressus est fastus et insolentia eorum, cum gloria et dignitate sua abuterentur. Omnia enim, quae fiunt et dicuntur, spectant ad illum unicum primogenitum Filium Dei Iesum Christum; hujus solius omnis gloria, virtus et potentia est. Iam ad generationem Esau accedamus.

Esau duxerat uxores de filiabus Canaan, Ada filiam Elon Hitthaei et Aholibama filiam Ana, filia Zibeon Hivaei, Basmath quoque filiam Ismael sororem Nebaioth.

Eadem supra 26. dicta sunt, sed aliis et mutatis nominibus. Prima enim uxor Esau ibi appellata est Iudith et pater ejus Beeri Hitthaeus, is nominatur hic Elon, quia in omnibus linguis usitatissima est mutatio nominum. Ideo traditae sunt ab aliis aliquot utiles regulae quibus multi obscuri loci explicantur. Prima: omnes homines plerumque habent duo nomina, ut Martinus Luth. Philippus Melanthon. Secunda: patres et matres, filii et filiae sunt naturales et legitimi, Tertio: saepe casu quodam imponuntur et mutantur nomina, ut Iacob ab eventu appellatur Israel, alii ab officiis nomina adepti sunt: pastor, judex, consul. Saepe etiam aetate fiunt mutationes: puellas in infantia aliter, quam in adolescentia nominare solemus interdum a veste, interdum a colore et forma: interdum a societate nomina inveniunt, ut Eusebius dictus est Pamphili propter socium Martyrii.

Idem cogitabimus in hoc populo frequenter accidisse; Iudith hic vocatur Ada, et fieri potest, quod sit translata a patre naturali ad legitimum et inde mutatum ei sit nomen. Quin nostra exempla vide sub Papatu, quanta fuerit stoliditas in transmutandis nominibus eorum, qui in leges Papae jurabant. Ego in baptismo nominatus sum Martinus, postea in monasterio Augustinus. Quid possit fieri turpius aut magis sacrilegum, quam abjicere nomen baptismi propter indutum cucullum? Sic Pontifices pudet appellari suo nomine, quem in baptismo sortiti sunt, neque sane digni sunt, qui id retineant, ideo adsciscunt nova nomina, Iulius secundus ante vocabatur Iulianus. Hisce mutationibus testati sunt, defecisse se a Christo et baptismo, et idem fuit usitatissimum in omnibus monasteriis.

Ita prima mulier dicta est Iudith, id est Iudaea laudatrix, grata, ein Lobsengerin. Sicut Lea filium appellat Iuda, propterea quod agnoscebat beneficium Dei et gratitudinem suam cupiebat declarare. Fuit pulchrum nomen, sed videtur Iudith degenerasse, et ideo mutatio nominis facta esse, sed non in melius. Ada enim significat monile, ornamentum, delectata est elegantia et splendore in vestitu et mundo muliebri: postquam facta est domina, voluit Ada esse, die geputzte Frau, Sammat Frau, Keten Frau etc. ita amisit pulcherrimum nomen, ut non amplius Iudith, sed Ada diceretur, quasi desidens frequenter ad speculum, seque comens et ornans.

Altera est Aholibama, אֹהֶל significat tabernaculum, ut paulo ante dixit Moses, fixisse Iacob tabernaculum trans turrim Eder. In Ezechiele 23. est אָהֳלָהּ, id est, tabernaculum ejus, scilicet mulieris, quia

Deus loquitur ibi cum indignatione contra meretricem, quae habet propriam Ecclesiam abjecta lege et sacerdotio Domini. Porro hanc uxorem significat Moses fuisse dominam et reginam. Supra dicta est Basmath, quasi dicas aromaticam, suave olentem, quia fuit boni odoris et boni nominis. Ein fein Iungfreulein, ein Wurtzstrentzlein, ein Neglichen Blümlein. Iam vocatur Aholibama, die Schlofsfrau, a tabernaculo excelso, die von der Hohenburg, gnad Frau.

Tertia Basmath, supra Mahalath: Moses studiose videtur mutasse nomina trium mulierum. Haec est filia Ismael ex sanguine Abrahae, cujus neptis fuit, et est consobrina in tertio gradu cum Iacob et Esau: vox ipsa sonat aegrotam, infirmam. Significat Moses, fuisse puellam incertae valetudinis, ideo dixerunt, eam non fore superstitem aut vivacem, et aegrotulam vocarunt Schwechlin. Haec sola mutat nomen in melius, iam enim Basmath, id est, odorifera nominatur, aromatica, flos, rosa suavissime olens. Sicut priores duae degenerarunt et amiserunt optima nomina, ita tertia haec emendavit et pie rexit mores, sed non sine cruce et miseria. Supra 26. dictum est, duas conjuges fuisse Morath Isaac et Rebeccae, hoc est excruciasse sanctissimos homines et totam familiam. Inde facile Iudith in Ada mutari potuit, ubi dixit familia: non est Iudith, non conveniunt mores ipsius nomini. Est Ada ein Tantzfrau, item altera est pessimi odoris et tyrannica, tertia serius in domum venit, et fuit magis laudata et cara omnibus. Sequuntur jam filii istarum mulierum.

Peperit autem Ada ipsi Esau Eliphas. At Basmath peperit Rehuel. Aholibama pepe-

rit Iehus, Ialami atque Corah. Et hi sunt filii Esau, qui nati sunt ei in terra Canaan.

Ada est mater clarissimi viri Eliphas, primogeniti Esau, qui est pronepos Abrahae et nepos Isaac et filius Esau. Multi putant, eum esse unum de tribus amicis Hiob, quod, si verum est, necesse esset Hiob vixisse multo ante exitum filiorum Israel ex Aegypto, quia supputatio annorum ostendit, Eliphas fuisse LXX aut LXXX annorum, cum moreretur Isaac. Quando Esau occurrit fratri Iacob, fuit Eliphas ad minimum natus LX aut LV annos; quia Esau duxit uxorem quadragesimo anno aetatis suae. Ab eo tempore ad mortem Isaac sunt 80. anni. Sed opinionem hanc de Hiob relinquo in medio, quia nullum testimonium hujus rei in scriptura exstat. Consentaneum est, fuisse aliquem ex nepotibus aut pronepotibus, qui retinuit nomen patris. Ada unum tantum filium parit, Basmath similiter unum. Ab istis duabus duos filios habet Esau. Domina vero et regina Aholibama tres parit. Haec igitur antecelluit reliquis, quia fuit mater trium filiorum, et verisimile est, eam fuisse praecipue Morath in familia Isaac.

Hi omnes nascuntur in terra Canaan in domo patris, Esau enim quadragenarius duxit duas priores uxores Hitthaeas. Itaque hi quinque filii nati sunt, cum esset adhuc apud patrem. Iacob profectus est in Mesopotamiam anno LXXVII ergo XXXVII anni intercesserunt a nuptiis Esau usque ad surreptam benedictionem, tam diu enim eam distulit Isaac. Et Eliphas ac reliqui filii Esau totidem annis fuerunt apud avum, et audiverunt eum praedicantem; Sem non viderunt, sed Eber et Deboram. Sic et uxores Esau audive-

runt senem Isaac er Rebeccam, et attigerant centesimum annum, si vixerunt mortuo socero; tanto tempore verisimile est eas oblitas odii et amaritudinis. Et puto, Mosen propterea haec scribere, ut ostendat tandem mitigatos esse animos eorum reconciliatis fratribus, et Elipham fuisse bonum virum, siquidem nihil mali de eo usquam exstat.

Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias et omnes animas domus suae, pecora sua et ornamenta sua cunctamque possessionem suam, quam comparaverat in terra Canaan, et recessit a fratre suo Iacob in aliam regionem. Plurimae enim erant facultates eorum, nec poterant habitare simul, sed nec terra peregrinationum eorum sustinebat eos propter multitudinem gregum. Habitavit autem Esau in monte Seir. Et Esau est Edom.

Ibi coepit discordia inter fratres, et odium Esau erga Iacob et parentes, postquam amisit benedictionem. Cessit igitur iratus et motus multitudine gregum, quam videbat terram illam non capere, et migravit in Seir, unde duxerat Aholibama; eam sequitur in patriam suam. Existimo autem, migrationem hanc factam post discessum Iacob in Mesopotamiam duos aut tres annos, tantisper enim mansit apud patrem, fuitque tum domus Isaac admodum perturbata, cum machinaretur exitium fratri et parentes propter odium in fratrem ingenti dolore adficeret. Divisit etiam substantiam paternam cum Iacob, licet absente eo, sed parentes duplicem portionem jure primogeniturae Iacob vindicarunt. Deinde indicat Moses benedictio-

nem corporalem, quae contigit Esau, cum meminit multitudinis gregum. Quia est ortus de sanguine summi Patriarchae, neque quidquam amisit praeter promissionem seminis. Ideo certum est, eum valde auctum et locupletatum esse. Immo non dubito, multos ex progenie Esau conversos esse ad Deum Abraham et Isaac, ut testatur historia regum. Retinuit etiam circumcisionem et doctrinam patrum et promissionis.

Hae autem sunt generationes Esau, patris Edom, in monte Seir. Et haec sunt nomina filiorum Esau: Eliphas filius Ada, uxoris Esau. Reguel filius Basmath, uxoris Esau.

Repetit Moses principium hujus capitis, quod alias quoque solet facere. Quando vult aliquid addere, repetit praecedentia. Ut cum suam genealogiam recenset Exodi 6, subjungit, quod initio dixerat. Hae cognationes Levi per familias suas etc., ne videretur ex alia tribu quam a Levi oriundus esse. Idem hic facit, cum adjicere aliquid ad superiora et ea copiosius explicare velit. Quinque filii nati sunt Esau in Canaan, ex quibus videtur Reguel fuisse infans et primum post discessum Iacob in Mesopotamiam natus. Primogenitus autem Eliphas eo tempore fuit XXXVI annorum, iam maturus conjugio. Tamdiu autem Hitthaeae mulieres regnaverunt in domo Isaac et Rebeccae et de facultatibus eorum vixerunt. Et Moses haec ideo commemorat, ut moneat de cruce et molestia, quam sustinuerunt sancti Parentes propter superbiam et imperium nuruum, cujus supra meminit: quanquam tandem mitiores factas esse tempore verisimile

est. Solent autem alioqui socrus natura odisse nurus, sed Rebecca merito excusari debet, quia dilexit filium Esau, et propter ipsum nurus et nepotes, nec digna fuit, quae exagitaretur ab Hitthaeis et superbis illis dominabus, quae imitabantur mores patriae. Fuit enim potentissima natio, et pessima inter Cananaeos Hitthaeorum. Ezechielis 16, 3. dicitur: „Mater tua Hitthaea etc.“ Habuerunt nomen a terrore, quia fuerunt tyranni et omnibus invisi; ideo valde adflixerunt sanctam matrem Rebeccam circiter XL annis. Basmath fuit spreta et contemta a duabus et habita loco pedissequae, et tamen praeponitur Aholibama, ut significet Moses suum et Spiritus sancti odium in Hitthaeas. Edom est nomen regionis, cujus pater dicitur Esau, non personae. Ab Esau, qui appellatur Edom, nomen sortita est natio haec Seir.

Fueruntque Eliphas filii Theman, Omar, Zephon, Hatham et Kenas. Porro Thimna fuit pellex Eliphas, filii Esau, et peperit ipsi Amalec, et hi sunt filii Ada, uxoris Esau. Isti vero fuerunt filii Rehuel Nahath, Zera, Samma et Miza. Isti fuerunt filii Basmath, uxoris Esau.

Eliphas in reditu Iacob fuit LVI annorum, et hi filii ei jam nati fuerunt, quos iudico fuisse proceres et centauros, cum quibus Esau egressus est ad occurrendum et terrendum Iacob, et quanquam redierunt cum eo in gratiam, tamen ista expeditione ostentarunt gloriam et potentiam suam. Theman est celebris in sacris literis, et puto ab illo nominatam regionem Themam, cujus mentio fit Ieremiae 49, 7:

„Num adhuc est sapientia in Theman," id est, in Idumaea, quia est pars ejus.

Thimma soror fuit unius ex ducibus in Seir Horaeorum, et utraque Ada et Thimma est Hitthaea, ideo facilius inter eas convenit, et filius Thimna, Amalec, adoptatus est a prima uxore Ada: ob hanc causam numeratur Amalec inter filios Ada. Ab eo autem orta est celeberrima gens in sacra historia, de qua dicitur Numeri 24, 20: „principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur, habet honestissimam originem." Esau est ejus avus, Isaac proavus, Abraham abavus. Haec fuit insignis nobilitas, quoad sanguinem paternum, ideoque magna superbia fuit Amalechitarum. Materna origine fuit Hitthaeus.

Isti fuerunt filii Aholibama, filiae Ana, filiae Zibeon, uxoris Esau, quos peperit ipsi Esau, Iehus, Ialam et Korah.

Moses recenset filios Esau et nepotes, ut ostendat, qualis fuerit exercitus Esau, cum occurreret Iacob. Hic vero incidit quaestio, cur dicatur Aholibama filia Anae et filia Zibeon. Quomodo enim potest esse duorum filia? Iudaei miras tragoedias agunt et duas opiniones turpissimas habent. Prima: quod Zibeon fuerit impius et contemptor conjugii, ideo dormierit cum uxore patris Seir, et genuerit Ana ita ut sit Ana filius naturalis Zibeon et frater putativus respectu Seir. Secunda: Zibeon stuprasse nurum suam, uxorem Ana filii sui, atque ita et matrem et nurum incestasse, ideo Aholibamam habent pro incestuosissima, cujus pater per incestum natus sit ex patre.

Ego vero toto pectore detestor Iudaeos et commentarios Rabbinorum, quia hic mos est, immo mani-

festus furor eorum, ut, undecunque possunt, colligant suorum laudes et gentium ignominiam. Sunt maledictissimi et tenentur captivi et obsessi a Satana, ac vere in eos competit pictura Christi de festuca et trabe, item de colantibus culicem et deglutientibus camelum. Quod enim unus Pharisaeus de se dicit: „Non sum sicut caeteri homines," idem omnes Iudaei impudentissime jactant, nos sumus populus Dei, inquiunt, gens sancta, ornata divinitus magnis donis. Et ex Rabbinis eorum quidam dixit mirum esse, si ex omnibus gentibus unus inveniatur sapiens at in populo Israel excellere omnes sapientia. Immo pestilentissima natio est, et fuit tum etiam sub Patribus, sub Iacob et David. Vide enim egregia eorum facinora, Ruben conscendit torum Bilhae, conjugis sui patris, Iuda incestat nurum. Easdem vero maculas adspergunt Ana patri Aholibama hypocritae. Sed cur non vident trabem primum in suis oculis? Quid enim flagitiosius est, quam seditio Absolonis adversus patrem, qua ejicit eum regno, et, quantum in ipso est, occidit, et concubinas ejus stuprat? Eant nunc Rabbini, et jactent sapientiam Iudaicam. Deinde semper fuit seditiosus populus adversus prophetas et reges, et contra Dominum murmurarunt, prophetas vero crudelissime occiderunt. Ideo vehementer odi commentarios Rabbinorum, in quibus scelerate depravant scripturam sanctam suis mendaciis.

Ex hoc loco, quia dicitur Aholibama filia Ana, filia Zibeon, colligunt, eam habuisse duos patres, et Ana stuprasse matrem etc. Haec est consequentia vere Iudaica, hoc est, asinina, quae a Lyra et a sancto Pagnino etiam rejicitur. Fuisse quidem talia scelera inter gentes, nemini dubium est, sed de Ana

non est clarus textus, nec testimonium scripturae, quod arguat et convincat ipsum, sicut de Ruben et Iuda exstant evidentes historiae, item de reliquis fratribus, qui vendiderunt Ioseph, et grandaevum parentem moerore occiderunt. Ita enim deplorat amissum filium: „Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum," id est, moriar dolore animi. Item: „Deducetis canos meos cum dolore ad inferos." Sunt ergo parricidae Majores et Patriarchae Iudaeorum. Sic enim semper ex optimis existunt pessima, ex angelis fiunt diaboli, ex populo Dei crucifixores Filii Dei, ex Prophetis Pseudoprophetae, ex nostris auditoribus et discipulis autores sectarum et haeretici. Nec frustra est, quod ait Christus ad Iudaeos: „Vos ex patre Diabolo estis." Unde constat esse furiosum populum et traditum in sensum reprobum, sicut etiam tempore Davidis et Prophetarum insigniter mali fuerunt. Ideo soleo eorum glossas refellere et damnare, quibus possum rationibus.

Nobis quoque non difficile esset, plures opiniones comminisci, si liceret. Possemus dicere, Ana etiam cum matre sua dormivisse, ex quo incestu nata esset Aholibama aut similia multa. Sed nihil est fingendum in sacris literis sine manifestis testimoniis verbi. Infra audiemus fuisse Ana insignem nebulonem et infandae admissurae autorem, nimirum asinarum cum equis. Quod si non veritus est nec Dei nec naturae ordinem et conspectum, sed ausus est commiscere animalia diversi generis, quod est contra naturam et Dei ordinationem in creatione, de qua dicit scriptura sancta Genesis 1, 25: „Fecit Deus bestias terrae juxta species suas et jumenta et omne reptile terrae in genere suo," etiam id fieri potuit, ut cum matre dormiret.

Neque sane libero gentes talibus flagitiis et sceleribus, cum et Paulus Rom. 1. de vagis et incestuosis libidinibus eorum concionetur. Sed quia haec phrasis, qua utitur Moses de Aholibama, etiam de filiabus honestis usurpatur, ut infra de Mehetabeel, quae fuit filia Matred, filia Mizahab, ideo non torquebo verba malitiose in alienum sensum, sed honeste ea interpretabor. Usitatum enim est in sacris literis, ut filiae dicantur patrum et avorum filiae. Moses Exodi 6, 20. ait: Amram duxit amitam suam Iochebed, quae est mater Mose et est filia Levi, avi sui, id est, neptis, eam, cum esset pupilla, duxit uxorem. Nulla igitur causa est, fingendi turpitudinem et scelera, quando non cogit nos scriptura, aut historiae autoritas; sicut ante de exemplis Patriarcharum populi Iudaici dictum est.

Deinde pertinet hoc ad honorem Esau, ut sentiamus, eum neutiquam tantam turpitudinem passum: neque ducturum fuisse Aholibamam, si natam scivisset ex incestu. Iudico igitur utramque Hitthaeam fuisse honestam, licet postea coeperint superbire, et efferri nobilitate generis. Forsan etiam idola intulerunt in domum Isaac et ad eorum cultum alios invitarunt, qua re vehementer offensi sancti parentes et in prima tabula per idolatriam, in secunda per contumaciam et superbiam graviter excruciati sunt, tamen origo eorum honesta fuit. Et Aholibama fuit filia Ana ut patris naturalis et Zibeon ut avi.

Isti sunt duces filiorum Esau. Filii Eliphas primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas, dux Korah, dux Gathan, dux Amalec. Isti sunt duces ex Eliphas in terra Edom, et hi sunt filii

Ada. Hi quoque sunt filii Rehuel, filii Esau: dux Nahath, dux Zerah, dux Samma, dux Mizah. Isti sunt duces ex Rehuel in terra Edom, et hi sunt filii Basmath, uxoris Esau. Hi autem filii Aholibama uxoris Esau, dux Iehus, dux Ialam, dux Korah. Isti sunt duces ex Aholibama filia Ana uxore Esau. Hi itaque sunt filii Esau, et hi duces eorum, is est Edom.

Primum recitavit Moses genealogiam et familiam Esau; jam dignitatem et potentiam sive imperium eorum describit. Supra cap. 14, 6. audivimus, Horaeos habitasse in Seir; hos expulerunt filii Esau et deleverunt. Tota igitur regio Seir cessit in possessionem Edomitarum, quod patet ex Deut. 2, 4: „Praecipe populo dicens, transibitis per terminos fratrum vestrorum, filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos etc." item: „In possessionem Esau dedi montem Seir." Illa fuit benedictio corporalis, quam eo etiam libentius praestitit Deus, quia Eliphas et alii retinuerunt circumcisionem et doctrinam de Deo, quam acceperunt a patribus. Isaac enim praeclaras conciones habuit ad nepotes, quin et Esau functus est pontificatu loco patris absente Iacob. Ideo non sunt omnes pro rejectis habendi; etsi enim amiserunt promissionem de semine venturo, tamen fortuitam misericordiam consecuti sunt.

Enumerat igitur duces, qui ejecerunt Horaeos; duxerunt enim uxores ex Horaeis. Postea vero discordia orta inter affines, nepotes et filii Esau victoriam adversus habitatores Seir obtinuerunt, non pervenerunt successione ad regnum; et ex his duodecim ducibus postea elege-

runt regem eosque conjunctis viribus, finibus possessionibus suis pepulerunt. Dominus dedit eis victoriam, sicut supra in benedictione dictum est: „In gladio vives.“ Opinor, eos potitos esse ditione Seir, sub initium descensus in Aegyptum, ibi coeperunt dominari et cogitaverunt Iacob oblivisci et deserere benedictionem suam. „Eat sane, dixerunt, valeat, nos facti sumus duces et domini hujus terrae; nunc apparebit, utra familia sit benedicta.“ Sic semper praecedit benedictio corporalis spiritualem.

Porro sex duces orti sunt ex Eliphas, primogenito Esau, ipse autem non fuit dux. Amalec etiam in hoc numero est. Korah qua ratione annumeretur, non satis scio. Tantum enim nepotes, non filii Esau hoc titulo ducum recensentur; forsitan factum est per transnominationem aut adoptionem, quae est frequentissima in sacris literis, sicut Ioseph adoptat Ephraim in fratrem legitimum. Hebraeis autem אַלּוּף ducem significat ab אֶלֶף, id est, mille. Ideo Matthaeus locum Michae 5, 1. allegat. „Et tu Bethlehem nequaquam minima es in principibus Iuda,“ quod Propheta dicit: „In millibus Iuda.“ Sunt vocabula similia. Si quis habuit aliquot pagos et mille viros sub potestate sua, ille fuit dux.

Isti vero sunt filii Seir Horaei, habitantes in terra: Lothan, Sobal, Zibeon et Ana. Item Dison, Ezer atque Disan; et hi sunt duces Horaei filii Seir in terra Edom. Fueruntque filii Lothan, Hori et Heman, soror vero Lothan Thimna. Et isti filii Sobal: Alvan et Manahath, Ebal, Sepho atque Onam. Et isti sunt filii Zibeon, Aia, Ana. Hic est

Ana, qui invenit mulos in deserto, quum pasceret asinos patris sui Zibeon. Et isti sunt filii Ana: Dison et Aholibama, filia Ana. Hi vero sunt filii Disan: Hemdan, Esban, Lithran atque Cheran. Isti sunt filii Ezer: Bilhan, Zahvan et Acan. Et hi filii Disan: Uz et Aran. Hi duces Horaei, dux Lothan, dux Sobal, dux Zibeon, dux Ana, dux Dison, dux Ezer, dux Disan. Isti sunt duces Horaei, secundum duces eorum in terra Seir.

Vocabulum שְׂעִיר significat faunum aut satyrum, Feldteufel, (Ies. 13, 21.) qui solent apparere in saltibus et agris, hirsuti et pilosi. Ethnici lares et genios appellant, sed sunt Diaboli, tametsi simulent se benefacere hominibus. Edom quia nascebatur pilosus, dictus est Seir; ideo manet vocabulum Seir sive a praesentibus sive prioribus incolis. Esau autem duxerat uxorem de filiabus Seir sive Horaeorum; itaque in honorem Isaac et Abraham, quorum nepos est et filius, affinitatis etiam mentio fit. Ut maxime enim benedictione exciderit, tamen mansit στόργη et adfectus parentum erga filium, ne prorsus eum abjicerent, sicut Cain non ita ejectus est a parentibus propter caedem Habelis, quin retinerent amorem et curam filii: στοργαι enim non impediuntur, nec tolluntur, nisi in iis, quae pugnant cum mandato Dei. Ideo honorat Deus etiam affinitatem Esau propter Isaac; quorsum enim attinebat, mentionem fieri Seir et Horaeorum, qui oppressi sunt et expulsi a novis Seiritis successoribus? Sed propter sanctum saeculare, ut vocant, sive dignitatem ordinis politici celebrantur.

Altera causa est, ut exstaret testimonium originis Edomitarum, ne pro illegitimis et spuriis haberentur. Atque hic veluti quartus paragraphus est, quo recensetur affinitas Esau.

Horaei ab albedine nomen habent חוּר enim significat album, candidum, magnum. Magnates in oriente bysso sunt usi, sicut hodie Turca pileo byssino utitur. Romanis insigne erat purpura et toga, Orientalibus byssus; sic in Evangelio de divite epulone dicitur, qui induebatur purpura et bysso. Inde Horaei a vestitu dicti sunt, sicut Romani Torquati etc.

Thimnam, sororem Lothan ducis Horaei duxit Eliphas, et ex ea suscepit Amalec. Non omnino damnandi sunt hi, quia potuerunt emendari et resipiscere per conciones Esau. De Ana antea dictum est et refutata sunt Iudaica mendacia, quibus delectantur, ut deforment et ignominia afficiant Edomitas et gentes, sicut ab aliis etiam rejiciuntur.

Aliud enim est publicum testimonium historiae, cujusmodi nullum exstat de Ana, quod incestarit suam nurum, aliud est occulte factum, quod non debet proferri in lucem. Sicut dicitur: De occultis non judicat Ecclesia, sed maneant illa inter secreta confessionis. Et ob hanc causam in Ecclesia retinenda est confessio privata, quia conscientiae adflictae et oppressae terroribus peccati in illa sese aperiunt, et accipiunt consolationem, quam in publica concione non possent apprehendere. Istis volumus patere tanquam portum et refugium confessionem, quorum conscientias Diabolus suis laqueis irretitas tenet, atque ita prorsus fascinat et fatigat, ut nequeant se expedire et evolvere nec aliud sentiant aut videant, quam sibi pereundum esse. Non est enim alia major miseria in hac vita,

quam dolores et angustiae animi, destituti consilio et solatio.

Talibus ergo pateat aditus ad confessionem, ut quaerant et inveniant consolationem apud ministros Ecclesiae. Aut si res adeo indigna est, ut pudeat eam coram ministro proferre, in alterius Christiani et pii hominis, quisquis tandem fuerit, sinum effundant, cujus fides perspecta sit, apud eum conquerantur de iis, quae urgent et exstimulant conscientiam et quaerant consilium. O mi frater, consule turbatae et afflictae conscientiae meae, ne in peccatis meis moriar neve laqueo aut ferro vitam abrumpam. O rath lieber Bruder, ich werde mich henken, ertraenken, oder ein Leid thun, in meinen Sünden dahin sterben etc. Ibi cum audierit verbum Dei de remissione peccatorum, sive ex ministro sive ex quocunque alio, erigetur et accipiet consolationem, qua sanabitur animus, sauciatus telis Diaboli. Non hoc quaerimus, quae aut qualia peccata recitentur, sed in eo praecipuum pondus et utilitas confessionis est, ut salutaria remedia ex verbo Dei afferantur gementibus et luctantibus cum desperatione, ne succumbant oneri peccatorum et terroribus Diaboli, quos in infinitum augere solet; praesertim vero in singularibus et inusitatis casibus, quales interdum solent accidere, Diabolo impellente humanam naturam et deformante tetris lapsibus, qualis olim Erfordiae contigit, cum ibi confessor essem, quem audivit quidam ex collegis meis in privata confessione. Recitabo autem propter eos, qui aliquando futuri sunt Pastores et Doctores Ecclesiae.

Erfordiae puella quaedam ex honesta familia et pudica cuidam servivit diviti mulieri viduae. Ejus filius adolescens, captus forma et amore puellae, solli-

citavit eam ad concubitum. Indignum facinus aversans puella (ut honestam decet) aliquoties a se repulit adolescentem furiosum. Denique cum quotidie magis magisque instaret, et in suo illicito instituto perseveraret, puella rei indignitate impulsa, ut famae consuleret, suamque pudicitiam a summa infamia vindicaret, matri rem ordine narrat, monetque, ut filio sibi insidias struenti, frenum injiciat. Mater, re deliberata init rationem cum puella jubetque in filii amorem consentire, et certam horam, qua convenire et rem perficere tutissimum videretur, constituere; se enim, eo ipso tempore constituto ejus occupaturam lectum et hac occasione filium tam indigna conantem repressuram. Consilium probat puella, init pactum. Filius hora noctis praefinita adest petens ex pacto concubitum puellae; mater quae antea filii furores hac arte cohibere ac frenare constituerat, victa libidine et instinctu diaboli filio prostituit corpus. Nascitur ex indigno et incestu concubitu foemella, quam expositam et ab aliis educatam mater tandem ad se recepit, mota affectu materno.

Idem filius harum rerum omnium ignarus et hanc amare incipit, sibique uxorem dari postulat. Mater, in summis angustiis constituta, dehortatur filium et reluctatur, quantum potest, cupiditati illicitae. Ille, invita et repugnante matre, dat fidem puellae ducitque eam in uxorem (nam eo tempore usitata et rata erant clandestina sponsalia). Post nuptias mater dubia et desperabunda sibi ipsi vult affere manus violentas; angitur enim de incestu, qui fieret inter conjuges singulis noctibus, nec poterat conjugium dirimere. Cum autem sola conscia esset, nec sola posset sustinere amplius dolorem et angustiam animi, ac-

cedit confessorem, negotium exponit et petit ab eo consilium et consolationem. Ille incertus et attonitus atrocitate rei non habet, quod consulat. Itaque jureconsultis idem casus offertur; hi quoque de jure ambigunt, ut in casu inusitato, et censent committendum esse divinae bonitati. Verum id non satis erat, necdum liberata erat conscientia a dubitatione et desperatione. Tandem ad theologorum collegium defertur res; hi optimam sententiam tulerunt. Primo quaerebant, an sciret filius, conjugem suam esse matris filiam, conceptam ex suo sanguine. Mater negavit, eum id scire; solus Deus inquit et ego conscia sum; nec puella uxor filii novit, se mariti esse sororem. Deinde interrogabant, an esset bonum conjugium et quomodo inter eos conveniret. Optime, inquit. Decreverunt ergo, adflictae conscientiae matris absolutione consulendum esse, filio autem matrimonium, jam diu sponsalibus ac solennitatibus nuptiarum, copulaque carnali confirmatum, concedendum; matrem enim esse unicam personam, quae non posset probare rem, et secutura ingentia mala, distractionem conjugum.

Haec sententia et decisio theologorum, inter quos occulte res transacta fuit, valde laudanda est. Legem enim dominari oportet in publico foro, non in conscientia, et porta absolutionis, ut sic dicam, nunquam clausa esse debet peccatoribus. Er falle so tief, als er immer wölle. Et ego hanc historiam recitavi propter Theologos juniores, qui aut jam funguntur aut aliquando functuri sunt ministerio verbi, ut caute agant cum perturbatis conscientiis, ne confitentibus peccata laqueum injiciant, neve afflictionem afflictis addant. Iudicia in causis occultis sunt difficilia, ideo requiruntur pastores eruditi et prudentes, qui non

onerent aut involvant, sed liberent, erigant et sanent conscientias, quas Diabolus dementavit et laqueis suis irretivit.

Narratur et alius casus de adultera, quae ex moecho conceperat nothum et eum pro legitimo patri et reliquis filiis obtrusit. Cum autem angeretur animo ob commissum adulterium et quod injuste legitimi filii ea parte haereditatis, quae notho obventura erat, privarentur, quaesitum est, quo pacto ei consulendum esset; an deberet confiteri marito et filiis peccatum et petere, ut admitterent nothum ad societatem bonorum? Nam id suadebant aliqui. Sed cum non sine periculo fieri videretur, alii aliud consuluerunt. Tandem vero Spiritus sanctus optimum consilium suggessit mulieri. Cum enim decumberet graviter nec spes vitae reliqua esset, convocatis ad se septem filiis dixit: carissimi filii, quaeso ut ignoscatis mihi. Fateor enim me humana imbecillitate lapsam esse in gravissimum peccatum adulterii, ex quo natus est filius illegitimus, qui est inter vos; sed qui sit, non dicam. Oro autem, ut eum pro legitimo habere neque excludere ab haereditate velitis. Ibi aequissimis animis assensi sunt omnes, et singuli sibi gratulati sunt, quod nominatim non perstringeretur nothus, nemo enim volebat eam maculam ferre. Et postea facile inter fratres convenit. Mater autem, consolatione audita, de remissione peccatorum acquievit in agone mortis et vera fide et agnitione misericordiae Dei servata est. Non igitur temere effutienda sunt arcana, sicut Iudaei de Ana etiam falso faciunt. Deinde in talibus casibus succurendum est afflictis conscientiis, ut liberentur et rapiantur e Satanae faucibus, ne sanguis Christi fru-

stra fusus sit, dafs nit das theure Blut Christi an ihm verloren sey.

Tribuitur autem duci Ana inventio mulorum. Cum enim in deserto pasceret greges patris, junxit asinos cum equabus, ex quibus nati sunt muli. Plinius libro octavo, capite 44. copiose describit varietatem istarum commixtionum apud gentes, quae pugnant contra naturam et creationem rerum; ideo turpe et nefarium inventum est, et addit, tertium genus natum ex diversis speciebus esse sterile, quia Deus non voluit id propagari.

Quanquam ego de voce ימם dubito, nec possum aliquid certi de significatione affirmare. Nam Iudaei odio gentium audacissimi sunt in fingendis sceleribus, quibus labem aliquam eis aspergant, et puncta usitata in Hebraea lingua recens inventa sunt, quibus non possumus ubique tuto niti; fieri igitur potest, quod stagna et piscinas invenerit, quorum crebra mentio est in Luca. Et Hieronymus idem sentit et textus ipse non discrepat, etiamsi addatur, quod paverit asinos. Nihil tamen asseverabo, quamvis Rabbinos secutus sum in germanica translatione; sed admodum conveniens videtur propter raritatem aquae in deserto, aut huic aut alicui alii tribui inventum stagnorum. Et congruunt literae Hebraicae, et puncta, si recte scribuntur (Gamim) quod significat stagna, estque magnum beneficium et usus stagnorum, praesertim in locis aridis et desertis. Sin autem mulas significaret, tum etiam equarum mentio adjici debuisset, quod non factum est a Mose.

Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel,

sunt hi. Regnavit in terra Edom Bela, lius Beor, et nomen civitatis suae Dinha mortuo Bela regnavit pro eo Iobab, fil Zera de Bozra; cumque mortuus esset bab, regnavit pro eo Husam, de terra T man; mortuo Husam regnavit pro eo Had filius Bedad, qui percussit Midian in cam Moab, et nomen civitatis ejus Avith; Had mortuo regnavit pro eo Samla de Masre mortuo Samla regnavit pro eo Saul, de hoboth fluvio; mortuus vero est Saul, regnavit pro eo Baal Hanan, filius Achb sed et Baal Hanan filius Achbor mortu est, et regnavit pro eo Hadar et nomen vitatis suae Rahu, nomen vero uxoris su Mehetabeel, quae fuit filia Matred, fi Mezahab.

Hactenus descripsit Moses duces ex genere E vel Edom; deinde duces Seir et Horaeorum, qui finitate juncti fuerunt Esau et filiis ejus. Et hos roes deleverunt filii Edom et terram eorum occu runt, quae postea Edomaea sive Idumaea appell est. Hodie amisit nomen, et a tempore Hieron Gabalena dicta est. Sicut enim regna mutantur, et nomina variant. Iam etiam reges Edom recen Diximus enim antea Deum honorasse in illis Patr cham Isaac et Rebeccam, sicut supra Abraham et ram hoc honore afficit, ut propter eos benedicat maeli et promittat magnam posteritatem; ita enim ad Abraham cap. 17, 20: „Et super Ismael quo audivi te, nam benedixi ei, et faciam illum cresc multiplicaboque eum vehementer nimis, duodecim

ces generabit, et ponam illum in gentem magnam." Haec dona dedit Deus Ismaelitis in gratiam Abrahae; et haud dubie retinuerunt Ismaelitae circumcisionem et reliquas ceremonias, fortassis etiam doctrinam et fidem promissi seminis, atque ita adjuncti sunt ecclesiae Abrahae, sicut econtra ex domo et familia Abrahae multi degenerarunt et facti sunt Ethnici.

Ad hunc modum largitus est Deus montem Seir, sive terram Horaeorum Edomitis, a quibus illi deleti sunt. Et videntur perstitisse in fide et religione Patrum Abraham et Isaac, Horaei autem, cum nollent corrigere et mutare idolatricos cultus, deleti sunt. Describitur igitur hoc loco benedictio Esau corporalis, unde factus est aditus etiam ad spiritualem: licet de semine Esau non esset exspectandus Christus, tamen non fuit ipsi nec filiis negatum, quin fruerentur communibus beneficiis promissionis, una cum Israelitico populo. Sicut in libris Regum videmus Edomitas, alias fuisse amicos et subjectos regibus Iudae, ut temporibus David, qui subegit Idumaeam, alias rursus defecisse, ut sub Ioram.

Haec omnia igitur celebrantur in honorem et gratiam Patrum Abrahae, Isaac, Iacob, et ne quis putet praeclusam fuisse viam Edomitis ad gratiam et benedictionem seminis promissi.

Quaeritur autem, an hi duces et reges fuerint ante vel post Mosen. Si post Mosen fuerunt, tum non potuit ipse haec scribere, sed ab alio facta est additio, qualis est postrema particula in Deuteronomio. Non enim de se ipso dixit: „Non surrexit post Mosen alius, cum quo loqueretur ita Deus de facie ad faciem," item alia quae ibi commemorantur de sepulcro Mose etc., nisi dicas eum prophetico spiritu haec

praevidisse et vaticinatum esse. Quia vero Spiritus sanctus celebrat reges et duces istos, nos quoque eorum memoriam retineamus.

Caeterum supra memorati duces fuerunt ante reges, nec successive imperarunt, sed simul ita, ut quilibet suis urbibus, familiis, subditis praeesset, suo loco, et terra divisa esset fere in duodecim aut plures ducatus. Inter hos fuerunt multi egregii viri, ut nepotes Isaac et Rebeccae, tametsi matres ex impia familia Horaeorum ortae essent. Reges autem, qui hoc loco recensentur, successerunt ducibus. Viderunt enim necessariam esse monarchiam, ut tota regio sub uno capite in unum corpus redigeretur, quo firmior esset defensio adversus vicinos Palaestinos, Arabes, Aegyptios, quos habebant infestos. Haec igitur est monarchia regum Edom.

Monet vero hic catalogus regum et ducum Esau, promissiones spirituales admodum tarde impleri. Ita enim inquit Paulus 1. Corinth. 15, 46: „Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.“ Deus ornavit multis magnis donis corporalibus progeniem Esau, dedit ei filios et nepotes et eos omnes reges et duces. Iacob habet benedictionem spiritualem et promissionem: „Esto Dominus fratrum tuorum“ etc. de qua supra. Sed est miserrimus opilio, errans cum filiis suis peregrinus et exsul. Quomodo igitur Deus verax est, cum non impleat promissionem Iacob factam, sed Esau benedicit et multiplicat, cui tamen adempta est benedictio? Ibi igitur posteri Esau carnales gloriati sunt, quia essent principes terrae, penes se esse primogenituram, Iacob autem rejectum esse. Haec caro nequaquam congruere putat cum veritate divina et vehementer

offenditur superbia eorum, qui abundant donis corporalibus.

Sed respondendum est ex Psal. 2, 4.: „Dominus, qui in coelis habitat, irridet et subsannat eos, et ut Ethnicus poëta dixit: „Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant," quod cum sententia Psal. 73, 18. pulchre congruit: „In lubrico posuisti eos, dejecisti eos dum allevarentur etc." Haec scilicet est fortuna impiorum. Efferuntur successibus et gloria carnis, sicut Edomitae jactarunt: Nos habemus regnum, tenemus ditionem Seir et Horaeorum. Iacob est mendicus et erro, qui conficitur miseriis, calamitatibus, frigore, aestu, est infelix ab omni parte, habet liberos immorigeros et sceleratos: Ruben conscendit thorum maternum, Dina vitiata est a Sichem; nequaquam igitur benedictionem habet. Sed haec ideo sinit Deus fieri, ut exerceatur fides et ut discamus pendere a solo verbo, non respicere ad visibilia et sensibilia, sed ad ea, quae non apparent, et retineamus hanc consolationem contra omnem sensum et judicium rationis, quam tradit Paulus 2. Corinth. 4, 9.: „Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus etc."

Nam quae cernuntur oculis, sunt fallacia et evanida sed quae promissa sunt, et non videntur, sunt certa et firma. Exspectanda autem sunt in fide et ferenda aequo animo mora et dilatio: suo enim tempore apparebunt. Qualiscunque autem fuit gloria regum et ducum Edomitarum, tamen multo major et excellentior dignitas est promissionis seminis, Prophetarum, mirabilium liberationum ex Aegypto et ab aliis hostibus, victoriarum item clarissimarum, quas habuit populus Israeliticus, ita ut ne conferenda quidem Edomitarum benedictio esset ad haec dona. Tamen Iacob adhuc

est veluti truncus putridus et aridus, defossus in terram, sed suo tempore germinabit. Quae statim florescunt et ipso aspectu blandiuntur, non sunt firma nec diuturna, et hic quoque locus est versiculo poëtae: O formose puer, nimium ne crede colori: Hüt dich für dem, was hoch her gehet; sed hos intuere et admirare, qui habent promissionem. Solet enim divina majestas extollere superbos, ut videantur florere et crescere; sed hoc additur, quod ex Psalmo ante dictum est: Dejecisti eos cum allevarentur. Sic fallit Deus et ludificat Diabolum et mundum.

Penes quos ergo est promissio et fides, hi algent, esuriunt, sunt contempti et ignobiles, sicut quidam dixit, religionis doctrinam se non admodum curare nec intelligere, sed hoc sibi perspectissimum esse, qui Deo et Caesari serviant, eos esse miserrimos. Impii vero gloriantur de regno et sceptro, et merito quidem, quia illis replet Deus ventrem bonis, dat regna et opes mundi iuxta Psalm. 17, 14: „Saturati sunt filiis et diviserunt reliquias suas parvulis suis.“ Dat etiam sanctis bona corporalia sed tarde et per multas tribulationes, ut exerceatur fides eorum, et discant intelligere dona Dei et iis pie uti.

Maneamus igitur in illo coetu, qui habet verbum, licet sit contemptus et abjectus. Impii, superbi, avari pulcherrime accrescunt et augentur in hoc saeculo. Es waechst daher, dafs jederman denkt, die werdens thun, ita ut pii incipiant fremere et indignari: Quare sine causa, inquit Psalm 73, 13: Iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas? Sed respondet: „Video illos esse in lubrico positos. In fine sequitur confusio.“ Pertinent igitur haec ad nostram doctrinam, ne offendamur scandalis usitatis et perpetuis in

mundo. Deinde qui ex Edomitis et Ismaelitis hunc honorem et beneficia exhibita divinitus propter reverentiam sanguinis Patriarcharum agnoverunt et fuerunt grati, illis simul patuit aditus ad gratiam et salutem aeternam. Major autem pars fuit impia et superba, ideo perierunt.

Porro hos reges opinor fuisse tempore Mose, quia duces nati fuerunt Esau, ante mortem Isaac et dominati sunt in terra Seir, degente adhuc Iacob in Mesopotamia. Redeunti enim inde occurrunt cum patre suo armati et circiter viginti aut triginta annos duravit eorum gubernatio usque ad mortem Isaac. Ibi coepit flos carnis et benedictio corporalis, reges autem amplius ducentis annis regnarunt; post alii duces secuti sunt. Videre igitur est, quomodo creverit gloria carnis apud eos, qui carebant promissione seminis.

Iacob interea exsulat in terra aliena, penes quem erat flos benedictionis; sed apparet in eo summa ariditas et sterilitas, quam videntes Edomitae insultarunt ipsi: Ista scilicet est benedictio, dixerunt, quam Iacob fraudulenter rapuit patri nostro Esau; justum judicium Domini, qui non reliquit inultam hanc injuriam. En nos habemus principes et reges: Israelitae servi sunt et captivi, expositi omnibus injuriis et calamitatibus. Et eadem praedicarunt sacerdotes et juristae, sicut hodie Turcici et Pontificii sacerdotes felicitatem suae partis jactitant. Paucissimi fuerunt pii muniti contra hoc ingens scandalum, qui intuebantur in promissionem et statuebant Deum non posse oblivisci suae promissionis et fore aliquando, ut ex trunco isto arido surculus oriretur, qui efflorescerет tandem et fructus produceret.

Arbitror autem hos reges fuisse civiliter bonos

viros et quosdam ex eis etiam sanctos, siquidem Spiritus sanctus non dedignatur eos recensere, et celebrare. Historiae et res gestae eorum, regni item et oppidorum descriptiones, nobis ignotae sunt, quamquam nihil dubium est, aliqua eorum monumenta apud Iudaeos exstitisse. Filii Esau ornarunt praeclare facta et totius regni statum et administrationem literis.

Primus rex Beor est, quo mortuo succedit Iobab de Bazra. Haec successio supra non est servata in ducibus. Bazra est celebris civitas in Idumaea, et fit ejus mentio in Iesaia et Ieremia. Quamquam Iesaias 63, 1. abutitur vocabulo per catachresin et Hierosolimam intelligit. Est et alia Bazra in Arabia Petraea. Augustinus et Ambrosius sentiunt hunc Iobab esse ex familia Esau et esse Hiob, et ejus opinionis multae sunt conjecturae. Quia congruunt literae et nomina amicorum, ex quibus Eliphas Themanites videtur oriundus ex Theman in terra Edom, item Baldad et Sophar. Quod si verum est, pulchre convenit cum historia; fuit enim Hiob sapientissimus in lege Dei et amplexus est doctrinam et circumcisionem patris Esau.

Lyra contra disputat, quia in literis initialibus est discrimen: Iobab enim scribitur per י, Hiob per א. Respondeo autem, non esse inusitatum in sacris literis, ut א ponatur et י omittatur et econtra cum in principio tum in fine et medio dictionis. Ideo infirmum argumentum est. In nostra etiam nobilitate haesit hoc nomen Iof, id est Hiob, Iobst etc. Sed ut ut haec sint, Hebraei dicunt ortum esse Hiob de Nahor fratre Abrahae, de Familia Bathuel et Laban in Syria; inde etiam sentiunt exstitisse Bileam, et est valde verisimile et congruens cum scriptura sancta. Ideo si licet conjicere, apparet Haran civitatem fuisse

ecclesiam et scholam insignem in Mesopotamia, ubi convenerunt Hiob et sui similes, item Bileam, quia fuit vulgatum Verbum per istam familiam.

Itaque sicut Abraham et Isaac suam Ecclesiam constituerunt et rexerunt, ita et Nahor, et doctrina ab illis Patriarchis et gubernatoribus ecclesiarum transmissa est ad posteros. Ex his ecclesiis et scholis prodierunt Prophetae, doctores, Patriarchae, inter quos fuit Hiob. Sed nihil statuo, utrum ab Esau an Nahor ortus sit; illud constat, originem ejus pertinere ad Sem, quae est linea sancta Christi lateraliter: apud Sem enim mansit doctrina, et inde propagata est in Idumaeam, Mesopotamiam, Arabiam, Syriam, postea per Joseph in Aegyptum.

Sic collegit Deus et conservavit Ecclesiam ab initio: perinde ut in Papatu retentus est Baptismus, Claves, Eucharistia, et alii fidei articuli sinceri, Papa interea alios condente de Reliquiis et invocatione Sanctorum, de purgatorio, quibus depravavit et diluit sanam doctrinam, sic Hierosolima plena erat aris et idolis. Et tamen Deus semper in mundo, inter hypocritas et idolatras servat Ecclesiam. Relinquimus ergo in medio disputationem de origine Hiob: amici, quorum mentio fit in ejus historia, fuerunt sine dubio viri sapientes et docti; Bileam etiam bonus propheta fuit, sed usque ad aurum; eo veniente corrumpitur.

Propter Themanitem autem magis inclino in hanc sententiam, quod Hiob sit ab Esau ortus, quia Arabia est vicinior et notior Iudaeae, etsi et Mesopotamia vicina est. Verum Arabes fere ad totum Orientem extenduntur, et Hiob queritur se a Saba, id est, Chaldaeis, hanc cladem accepisse. Verum nihil certi adfirmare possumus, quia magna est perplexitas et

confusio in nominibus propriis Hebraeae linguae, propter mutationem literarum etiam substantialium, ut Hadad et Hadar; item Moses appellat filium Gersom, quasi dicas: advena ibi, hie Gast, et tamen per totam scripturam appellatur Gerson.

Hadad percussit Midianitas. Illa victoria data est ei divinitus in honorem Isaac, quamquam Midiam etiam Abrahae filius fuit. Sed puto illum fuisse bonum, hunc vero superbum, et cum doctrina Abrahae idolatricos cultus conjunxisse. Ideo victus est in campo Moab, ubi congressi sunt per aliam regionem ex suis ditionibus profecti, ut confligerent. Hae sunt historiae vicinae descensui in Aegyptum.

Saul de Rehoboth, id est, de latitudine fluvii, am Wasser, de vicino flumine Nahar aut Euphrate, sicut nos ad Albim, aut ad Rhenum dicimus. Fuit autem conjunctio et societas inter consanguineos Idumaeos, et junxerunt etiam affinitatem cum incolis Mesopotamiae.

Baalhanan, inversa voce Hannibal, vir gratiosus, Ioannes. Ex octo autem regibus tantum tres habent civitates: Bela, Hadad et Hadar; illi videntur fuisse boni oeconomi, qui dilataverunt et ornarunt rempublicam in pace, aedificarunt civitates et constituerunt legibus et judiciis.

Mehetabeel fuit praestans et praeclara mulier, cum prae omnibus aliis celebretur a Mose. Idem sonat nomen, quod benefactrix Dei, quae benefecit coram Deo, sive beneficia divinitus, Theodosia. Recitatur et genus ipsius, quod fuerit nata in clara familia ex honestis parentibus, et est similis descriptio superiori originis Aholibama, ubi diximus, rejicienda esse Iudaeorum virulenta mendacia. Potest enim dici filia

patris et filia avi, qui mortuo parente successit in tutela, quod etiamnum, jure civili sancitum, servari solet.

Porro hunc Hadar puto fuisse ultimum regem Edomitarum et de eo loqui Iephte, Iudicum 11. quod in ascensu ex Aegypto rogatus sit rex Edom, ut liceret filiis Israel transire per terram ipsius, sed non potuerunt ab eo impetrare. Ideo arbitror Deum exegisse poenas hujus superbiae et monarchiam Edom rursus scissam esse in ducatus. Duobus annis post exitum ex Aegypto fuit populus Israeliticus in aditu terrae sanctae, sed cum peccassent adversus Dominum, cogebantur retrocedere et circumire terram Edom. Illud iter confecerunt 38 annis, tamdiu repeterunt circa Montana Edom. Ita mea opinione hic Hadar postremus rex fuit, quo mortuo secuti sunt duces, qui postremo loco recensentur.

Haec ergo sunt nomina ducum Esau juxta familias suas, et juxta loca et nomina sua: dux Thimna, dux Alvah, dux Ietheth, dux Aholibama, dux Ela, dux Pinon, dux Kenaz, dux Theman, dux Mibzar, dux Magdiel, dux Iram. Isti inquam, sunt duces Edom juxta habitationes suas in terra possessionis eorum; ipse est pater Edumaeorum.

Post reges et destructam monarchiam propter peccatum regis Hadar, qui non praebuerat filiis Israel transitum per Idumaeam, sequuntur hi duces, quilibet suo loco et secundum nomen et familiam suam, sicut inquit Moses et significat non fuisse successionem aliquam, qualis inter reges fuit. Pulchre autem congruit series historiae: quia ducentis annis, quibus Iacob cum suis posteris in Aegypto fuit, duravit regnum

Edom; post egressum ex Aegypto rursus divisa est Idumaea in ducatus, per quos gubernata est usque ad tempus Davidis, qui subegit Idumaeam. Etsi autem reliqui fuerunt posteri de regia stirpe, tamen non numerantur; postea sub Ioram iterum fiet mentio regis Edom, cum deficiunt a regibus Iuda Idumaei.

Utiliter igitur addita est genealogia Esau, historiae duorum Patriarcharum Isaac et Iacob. In ea enim conspicimus gloriam et florem carnis et hominum impiorum in hac vita, qui abundant dignitate, opibus, successibus, potiuntur imperiis et regnis mundi et aut negligunt aut premunt pios, sicut Edomitae superbe despexerunt Iacob cum sua posteritate. Econtra vero Iacob, qui habet promissionem et est summus Patriarcha in toto orbe terrarum et gubernator verae Ecclesiae, miserabiliter premitur et excruciatur domesticis et aliis aerumnis ita ut videatur benedictione spirituali et gratia excidisse. At in fine sequitur tandem hoc quod est in cantico Mariae: Deponit potentes, et exaltat humiles; haec est conclusio, hic exitus impiorum et piorum, sicut inquit Christus: „Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis etc. rursus vero: „Beati, qui lugent, quia ipsi consolationem accipient."

Demus igitur operam, ut potius pauperibus et lugentibus, qui habent promissionem, nos adjungamus, quam impiis, qui tametsi aliquamdiu florent, tamen evertuntur tandem et delentur, pii vero, qui ad tempus premuntur, habent certum praesidium et consolationem in Deo, qui adest et sustentat afflictos, mitigat aerumnas et pusillum gregem, rursus emergentem ex miseriis, aeterna gloria et vita donabit; nec frangamur animis, etsi magni labores et calamitates perferendae sunt, sed statuamus adesse nobis filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, custodem et ducem omnium laborantium et oppressorum in mundo, sicut promisit: „Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi," cui cum aeterno Patre et Spiritu sancto sit laus et gloria in aeternum, Amen.

IN GENESIN
ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS,

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM, PER HIERONYMUM BESOLDUM NORIBERGENSEM.

TOMUS QUARTUS.

CONTINENS HISTORIAM SANCTISSIMI PATRIARCHAE IOSEPH,

Hebraeorum XI.

Per fidem Iacob moriens singulis filiis Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae illius.

Per fidem Ioseph moriens egressionis filiorum Israël meminit, deque ossibus suis mandavit.

TOMUS QUARTUS

ENARRATIONUM

IN GENESIN,

QUI CONTINET HISTORIAM IOSEPH. PER REVERENDUM PATREM DOMINUM DOCTOREM MARTINUM LUTHERUM, IN SCHOLA WITTEBERGENSI.

TRIGESIMUM SEPTIMUM CAPUT GENESIS.

Habitavit autem Iacob in terra, in qua pater suus peregrinatus est.

Haec postrema est historia ultimi Patriarchae Ioseph, qua concludit Moses librum Genesis, velut pulcherrima et laetissima catastrophe omnium rerum ac in primis vitae et aerumnarum Iacob. Cum enim domus et familia ejus esset perturbatissima ac plena ingentibus calamitatibus et curis, quibus audivimus conflictatum esse sanctissimum Patriarcham, non tam ob inimicitias

fratris ac soceri injurias, quas magno animo, fide invicta ac mira patientia superaverat: quam ob domesticas adflictiones, ob stuprum Dinae, mortem Deborae nutricis et conjugis Rahelis, denique ob infantum filii incestum polluentis thorum paternum: in tantis difficultatibus, cum unica spes et solatium senectutis et aerumnarum restaret Ioseph primogenitus ex defuncta uxore, qui pietate sua et sanctissimis moribus utcunque animum aegrum parentis sanabat et erigebat, subito et insperato is quoque tollitur, ita ut miserrimus pater post amissam conjugem carissimam filio quoque unice dilecto orbetur. Venditur enim Ioseph et procul in Aegyptum e conspectu patris abducitur, non alienorum aut hostium, sed fratrum odiis et malitia. Cumque scelus suum fraudulenter tegerent et vestem cruentam patri exhiberent, tanquam a bestia laceratus esset, non aliud persuasum habet pater, quam filium miserabiliter periisse, atque ita animo consternatur, ut nullam consolationem, neque a filiis reliquis, neque a filiabus admittere velit.

In has angustias et infernum ipsum conjicitur grandaevus Iacob improbitate et scelere filiorum suorum. Unde fides ejus adeo graviter haud dubie tentata et concussa est, ut non sine magno certamine promissionem datam potuerit retinere. Non solum enim στοργῇ erga filium, sed et dubitatione et diffidentia perculsus fuit animus ejus, an vellet Deus servare promissa, an vero propter certa peccata ipsum abjecisset prorsus; siquidem eo filio carendum esset, quem speraverat futurum haeredem promissae benedictionis et bonorum omnium.

Haec igitur historia et ultima calamitas sancti viri longe omnium gravissima et horribilis admodum

est. Initium ipsum et tota epithesis habet paroxysmum acerrimum et vehementissimum; plena enim est indigno et miserabili luctu, qui sanctissimum senem tot aerumnis et laboribus exhaustum tantum non enecat. Et accedit insuper aliud scelus filii Iudae perpetrantis incestum cum nuru sua Thamar, quod ipsum quoque parentis aegritudinem et dolorem auxit. Sed retinet tamen spem et fiduciam mirabili constantia, ac tot illustrium liberationum exemplis, quas senserat per omnem vitam, se erigit et sustentat, donec nova lux et consolatio affulgeat. Sequitur enim mirandus et placidissimus exitus, quo ingens et inopinatus dolor in summum et insperatum gaudium convertitur. Ioseph enim, cujus interitum luxerat pater, ex tenebris in lucem, ex morte in vitam revocatur, servatus divinitus et ingenti gloria et dignitate a rege Aegyptio cumulatus, postquam ipse quoque ex multis et magnis difficultatibus emerserat.

Atque hic finis est primi libri Mose et sextus ac postremus liber juxta eam partitionem enarrationum nostrarum, quam supra instituimus. Ut autem in scriptura sancta nihil pulchrius est tota Genesi: ita inter reliquas historias Patriarcharum hoc exemplum maxime insigne est et memorabile, ac ejusmodi plane, quod ego quidem nullis verbis nec cogitationibus possum consequi. Ideoque optarim relictum aliis explicandum, qui me doctrina et eloquentia longe antecellunt. Sed quia institutae enarrationes series requirit, ut aliquid saltem dicamus, historiam ipsam vere admirandam et suspiciendam perlegemus, quam pro dignitate tractare et explicare non possumus.

Primum omnium vero ex superioribus ordo narrationis repetendus est. Nam in fine capitis trigesimi

quinti recitavit Moses Patriarcham Isaac senem et saturum dierum mortuum esse collectumque ad patres suos, et sepultum a duobus filiis, Esau et Iacob, in terra Canaan. A quo loco digressus est ad descriptionem genealogiae Esau, inde occasione sumta, quod Esau adfuerat sepulturae patris et cum eo haud dubie omnes filii et affines ejus, qui tum redierant in gratiam cum Iacob facta reconciliatione inter fratres. Quae igitur sequuntur usque ad caput quadragesimum, ea omnia gesta sunt Patriarcha Isaac adhuc superstite. Itaque monuimus ea juxta verum ordinem historiae inserenda esse capiti trigesimo quinto ante postremam particulam. („Fuerunt autem dies Iacob.“)

Haec admonitio valde necessaria est, quo facilius lector ex descriptione ista aliquanto perturbatiore se evolvere et expedire queat. Alii enim interpretes omnes ac in primis Lyra et Augustinus admodum se torquent hoc loco, adeo ut Augustinus de autoritate scripturae sanctae angi et dubitare propemodum incipiat. Atque idem solent accidere Antilogistis, qui certitudinem historiae sacrae studio labefactare conantur. Si quando in ejusmodi loca incidunt, haerent impliciti et clamitant, male cohaerere conciones et narrationes sacras, esse perplexa et incerta omnia. Ideo ad veram lucem et cognitionem rerum sacrarum nunquam pertingunt.

Extat etiam regula apud Cabalistas: in lege non esse prius aut posterius. Sed ea non est universaliter vera, neque ad hanc narrationem applicanda est. Vivit enim adhuc Isaac, cum venditur Ioseph in Aegyptum et annis duodecim post, quando rursus ex carcere educitur et ad principatum ac gubernationem totius Aegypti evehitur. Sic sequens historia de stupro

Thamar ad idem tempus referenda est. Nam id quoque scelus superstite adhuc avo Isaac a Iuda perpetratur. Postea vero supputationem annorum et personarum catalogum recensebimus; si quis enim annos a nuptiis Iacob usque ad descensum in Aegyptum colligat, inveniet illis XLVI annis multas magnas et mirabiles res gestas esse. Et quamquam historia imperitis et studiosis antilogiarum videtur prorsus confusa esse, tamen pii lectores admoniti de serie facile sese evolvent et verum ordinem narrationis perspicient.

Pergit vero Moses in historia Patriarchae Iacob, ac scribit eum habitasse in terra, in qua pater ipsius peregrinatus fuerat. Venerat enim ad Isaac habitantem in Hebron in terra Canaan, ibidem et suam familiam collocat. Porro ideo terra peregrinationis appellatur, quod licet promissa esset Abrahae, Isaac et Iacob: tamen in ea nihil proprii nihil certi obtinerent, praeter jus sepulturae emtum ab Abrahamo, ut supra audivimus. Itaque peregrinatus est Iacob quoque, patrum more, de loco ad locum, ut solent armentarii pro commoditate pecudum et pascuorum hinc inde vagari. Neque tamen in ea peregrinatione reliquit parentem Isaac, cum attulisset ad eum Dinam stupratam et dulcissimum filium Ioseph, quem et senex Isaac haud dubie ingenti laetitia et voluptate vidit et amplexus est.

Et hae sunt generationes Iacob. Ioseph, cum esset decem et septem annorum, pascebat cum fratribus oves. Et ipse puer erat cum filiis Bilha et Zilpah uxorum patris sui, et deferrebat infamiam illorum malam ad patrem eorum.

Solet scriptura sancta generationum descriptionem proponere, cum vel unum tantum filium numerat; sicut hoc loco solus Ioseph nominatur omissis aliis filiis Iacob, quasi reliqui omnes extra numerum sint, hic vero unicus et verus filius sit, siquidem prae caeteris in genealogia recensetur. Ac sane solus hic est, qui jure omnibus aliis praefertur; natus enim est ex uxore primaria, et a parentibus anxie ac diu desideratus fuit, et pertinet ad eum jure conjugii tota dignitas et gloria primogeniturae: quamquam eam nondum obtinet, ut audiemus.

Quae igitur est progenies sive familia Iacob? Habet filium, qui dicitur Ioseph. At hujus quae conditio, quae fortuna est? Audi Mosen. Ioseph, cum esset decem et septem annorum, pascebat cum fratribus oves. Talis fuit Ioseph adolescens annorum XVII, ea aetate et robore, ut posset esse maritus exemplo reliquorum fratrum. Nam Iudas, Ruben et alii habebant tum uxores et filios, verum hic vivit adhuc caelebs in adolescentia sine uxore et re familiari, et solus est grandaevo parenti in amore et in deliciis: propterea quod ex suavissima conjuge, quae obierat, fuerat genitus, et tota vita, studia et mores ejus innocentissimi mirifice eum commendabant.

Quibus vero adjungit se socium? Non versatur cum illis principibus filiis Leae, cum Iuda, Simeone, Ruben, Levi. Nam hi contemnunt Ioseph filium istum Rahelis superbissime. Videt etiam optimae indolis adolescens, filios ancillarum abjectos et spretos esse, ac haberi a quatuor filiis Leae pro vilissimis mancipiis. Eorum igitur consuetudine praecipue delectatur. Magna enim insolentia et ferocia reliquorum fuit. Ruben quidem aliquo modo humiliatus erat propter

turpissimam maculam et incestum, quo polluerat lectum paternum: arbitror et Iudam fuisse modestiorem. Sed Levi et Simeon sunt superbissimi bellatores et homicidae, qui Sichimitas trucidaverant. Die sind sehr grob, hoffaertig, stolze Bauren und Filz gewest.

Ac profecto mira res est, quod tanto tempore fuerunt auditores sanctissimorum parentum, Isaac, Iacob, Rebeccae, Deborae nutricis, sine ullo profectu et emendatione morum ac vitae. Ita enim describuntur a Mose, ut scelera et flagitia eorum propemodum gentilium turpissima exempla aequare videantur. Proinde non miremur, si hoc postremo et pessimo seculo tanta multitudo degenerat a vera pietate, et frustra tot praeclaras conciones audit, ac simus contenti, cum vel pauci aliqui retinent studium Verbi et emendantur. Videmus enim idem usu venisse sanctissimo Patriarchae Iacob, in cujus domo et familia praecipui filii tantae miseriae, tam acerbi luctus et doloris patri auctores sunt.

Lucet autem in adolescente Ioseph singularis modestia, qui hanc ineptam et rusticam insolentiam ac contemtum sui et fratrum ex ancillis adeo moderate fert; cum quidem ipsum tanquam primogenitum magis deceret superbia, quam Simeon aut Levi. Itaque ad hunc modum tractabimus hanc historiam, ut fastum eorum odiose exaggeremus, quo magis perspiciatur gratia et misericordia Dei, qui ex pessimis novit elicere optima. Non tegemus turpitudinem et flagitia illorum, sed amplificabimus ea, quantum possumus. Indignum enim et dolendum est, tam indignis modis optimum parentem tractari et deludi a filiis. Denn sie haben den frommen Iacob ihren Vater ja zu herzlich hoch be-

trübet, und haben mit dem armen alten Mann gespielt, dass es zu erbarmen ist.

Atque eandem causam Ioseph quoque habuit, ut illorum societatem defugeret, cumque contemtis filiis ancillarum versaretur et eos honoraret, quamquam ipse de matre nobiliore ortus esset. Er läfst die Mörder zu Sichem zufrieden. Unde apparet egregium ingenium, et optima indoles adolescentis, quam vult commendare Moses. Fuit enim bona natura, ingenium mite, humile, modestum, ad quod accessit pietas, et mores honesti et placidi, quibus non solum parentis, sed et vicinorum animos sibi conciliavit. Ideo non mirum, quod eum unice dilexerit pater, non tam propter filiationem, quam propter indolem et virtutes pulcherrimas, quibus fuit praeditus. Est igitur Ioseph ceu fulgens stella et lucifer in domo Iacob, ad quem stolidi illi et crassi rustici ne conferendi quidem erant. Ideo relictis illis adjungit se despectis fratribus, pascit una cum eis pecora, juxta voluntatem et placitum patris, cum esset filius primarius et futurus rex in Aegypto. Der grosse Künig in Egypten mufs der Schaff hüten, in adolescentia.

Commendatur vero Ioseph et hoc nomine, quod malefacta fratrum ad patrem Iacob deferebat. Erat enim amans justitiae et honestatis, ac plenus caritate et obedientia erga parentem; ita ut non posset eum celare, si quid a fratribus fieret cum aliorum offensione aut infamia domus paternae. Itaque quando audiebat turpe aliquid de fratribus spargi, deferebat ad Iacob, tanquam ad judicem, quem deceret cavere, ne domus et Ecclesia, ornata tam magnificis promissionibus, deformaretur malis exemplis, neve ab exteris blasphemaretur nomen et cultus Dei, quem Iacob et

domestici ejus profitebantur. Hanc professionem cupiebat Ioseph esse integram et illaesam, nec ullo scandalo contaminatam. Ac magnum dolorem ei petulantia fratrum haud dubie attulit, cum videret ipsis et toti ecclesiae Iacob infamiam apud gentes cumulari. Itaque aliquoties questus est apud patrem de contumacia et injuriis eorum, quas aut sibi invicem, aut vicinis inferebant: En Ruben, Simeon, Levi, dixit, sunt homines inquieti et turbulenti, crebro movent tumultus et rixas, quibus offendunt gentes circa nos habitantes et diligentissime vitam et mores nostros observantes. Haec scandala tollenda erant ex domo et ecclesia nostra, ne propterea male audiamus apud eos, qui foris sunt.

Sicut nos hodie sumus circumdati Papistis, qui habent acutissimos oculos et aures et nares sagacissimas, quibus infensi nos servant, si quid possint turpe de nobis odorari, aut facta et dicta etiam honesta calumniari. Itaque Paulus diligenter monet: „Videte fratres, quomodo caute ambuletis, ne ullam occasionem detis adversario maledicendi.“ Item: „In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt.“ Quia adversarii cupidissime etiam levissimos rumusculos de nobis venantur. Bona nostra nec vident, nec curant, sed contemnunt: malis vero et fama sinistra delectantur.

Fuit igitur Patriarchae Iacob habenda ratio integrae famae et boni nominis in sua familia, tanquam Episcopo et Doctori Ecclesiae. Neque enim decet, pastorem inhoneste vivere, aut familiam et domum suam turpiter administrare. Ac longe satius est ferre contemptum et odia adversariorum, quam in opprobrium incidere et in laqueum Diaboli, ut ait Paulus 1 Tim. 3, 7. Eadem vero cura et studium declinandi omnis ge-

neris offensiones, quae vergebant in contemtum domus Iacob, ecclesiae et promissionis, fuit in adolescente Ioseph. Ac nihil dubium est, eum propterea fratribus admodum invisum fuisse, quod aegerrime ferrent admonitionem paternam; ideoque vehementer indignati sunt, si resciverunt a Ioseph sua flagitia patefacta esse. Male sit isti proditori, dixerunt, qui illico ad parentem defert, quaecunque a nobis facta aut dicta audivit. Sumserunt enim sibi infinitam licentiam quidvis designandi clam patre: et aliorum etiam in familia piam et amicam castigationem proditionem interpretati sunt: quin odio eorum facti sunt deteriores, et quotidie malitiam et scelera cumularunt nihil solliciti, male ne, an bene apud gentes audirent.

Lyra et Burgensis anxie hoc in loco inquirunt, quodnam fuerit crimen illud pessimum, de quo accusaverit Ioseph fratres. Sic enim habet vetus translatio. Sed supervacanea quaestio est, simplicissima enim sententia ex Hebraeo textu sumi potest. Vox ipsa דִבָּה significat rumorem, famam, opinionem sparsam in populo, ut Num. 13, 32.: quando misit Moses exploratores in Canaan, illi reversi omnes exire fecerunt דִבַּת terrae, id est protulerunt infamiam sinistram opinionem et rumorem de terra. Idem de Ioseph hic dicit Moses („deferebat infamiam illorum malam ad patrem eorum.") Conjungebat se cum quatuor filiis ancillarum Gad, Naphtali, Asser, Dan, cum essent modestiores, quam reliqui quatuor, qui immodice se efferebant propter primogenituram ex matre Lea, et vita ac moribus infamiam sibi conciliabant. Nec patrem reverebantur, sed omnia sibi licere putabant, propterea quod essent filii Patriarchae, et haberent promissiones. Ioseph vero amans disciplinae,

pacis et honestatis angebatur de improbitate fratrum, ac saepius de peccatis eorum ad patrem referebat, eique hortator erat, ut severius in domo et ecclesia disciplinae leges tueretur. Haec una causa odii fuit, quod Ioseph diligens custos est domus paternae et cupit servari illibatam opinionem et famam doctrinae: bonus est et promovet bona, scandala vero sublata cupit, ideo communem fortunam bonorum experitur et incurrit odia et persecutionem fratrum. Iam altera causa additur.

Israel vero diligebat Ioseph prae cunctis filiis suis eo, quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam.

Id vero durum et intolerabile fuit summis illis et superbissimis principibus; non enim potuerunt ferre amorem hunc erga Ioseph, quod adhuc puer et minimus natu esset. Nos sumus domini, dixerunt, nati de matre Lea, prima conjuge, antequam Ioseph conceptus esset. Ego Ruben primo anno post nuptias natus sum, Simeon secundo, Levi tertio etc. Ioseph novissimo partu editus est. Nos igitur substantia et praecipuum ornamentum hujus domus sumus. Rahel cum sua prole est ceu additamentum et accessorium quiddam. Itaque nobis debetur honos et benevolentia patris et totius familiae.

His de causis exarsit in eis odium illud hostile et crudele in fratrem, quia nihil sanae mentis habent, sed sunt pleni malitia et obsessi a Diabolo. Ratio et communis sensus hoc dictant, Ioseph recte et naturaliter diligi a patre prae caeteris, propterea quod Rahel primaria conjux fuit, et ex ea primogenitus Ioseph tanto desiderio parentum septem annis expecta-

tus et natus tandem fuit in senectute, deinde optimo ingenio, omni virtutum genere praeditus. Talem filium ego quoque magis amarem, quam reliquos, qui sese morigerum et obsequentem praeberet in rebus omnibus, etiam si non esset primogenitus. Itaque natura etiam justissimus et aequissimus amor fuit, quem illi ardentes scelerato et impio odio non potuerunt ferre, cum se potius vellent adorari et coli a Ioseph et audire ex eo: vos domini estis et principes paternae domus, mihi placet quicquid vobis libet, hanc probitatem et modestiam ipsi in fratre requirebant. Verum, cum revereatur patrem eique debitum honorem exhibeat, denique fidelis et diligens custos sit domus et disciplinae paternae, ob eam causam miserabiliter adfligunt et excruciant optimum senem et puerum Ioseph per fraudem et vim domo ejiciunt. Non enim ferunt cupiditatibus et licentiae suae frenum injici, ac laudari potius flagitia, quam reprehendi volunt.

Eadem vero perversitas hodie quoque per omnes ordines in Ecclesia, republica et oeconomia grassatur. Omnes enim fremunt adversus recta monentes, et indignantur arguentibus vitia et peccata, etiam publica et enormia. Man soll niemand einreden, sondern einen jeden lassen thun, was er will. Et praetexunt petulantiae suae alius dignitatem, alius opes, alius patriam aut parentes, quas ob causas oporteat conniveri ad ipsorum peccata et turpitudinem. Ego sum in magistratu, inquiunt, parcendum ergo est ordini. Ego sum civis Vitebergensis, Noribergensis, jure igitur mihi plus sumo, quam hospes aut peregrinus. Econtra qui sunt modesti, et manent intra metas officii et legum, illi odio habentur ab omnibus. Idem prorsus accidit optimo Ioseph in familia Iacob.

Deinde auxit invidiam, quod a patre singulariter diligeretur prae fratribus. Amabat quidem Iacob ipsos quoque tanquam filios ex se natos, sed justis de causis στοργῇ erga Ioseph est ardentior: quod cum nequeant illi ferre, dignissimi sunt odio. Ac miror, eis tam diu locum fuisse in sanctissima ecclesia Iacob. Ego omnes interfecissem, aut domo ejecissem. Quae enim dementia et malitia est, irasci patri amanti filium probum et pium ac carissima conjuge genitum. Supra igitur diximus hanc improbitatem amplificandam et aggravandam esse, quantum potest fieri. Denn sie machens zu grob.

Caeterum disputatio hic oritur inter Grammaticos: quare Moses causam dilectionis ponat, quod Ioseph est genitus in senectute Iacob. Multis enim argumentis contrarium probari potest, et historia ipsa diversum ostendit. Burgensis annotavit, Chaldaicam translationem sic habere: „Dilexit eum, quia fuit ei filius sapientiae senum," hoc est, talis erat filius, tanta in eo erat sapientia, ut cum quolibet sene sapientia certare posset. Et posset huc accommodari illud Jes. 65, 20: „Puer centum annorum morietur," id est, omnes praeter aetatem sapient, pueri perinde erunt prudentes, ac si essent senes centenarii. Lyra contra contendit, ideo dici filium senectutis, quod genuerit eum pater in senectute. Verum non video, quomodo conveniat haec sententia cum eo, quod infra quoque de Benjamin dicitur, qui natus est fere tredecim annis post Ioseph, et similiter vocatur filius senectutis a fratre Iuda coram Ioseph.

Etsi vero ejusmodi disputationes Hebraeis soleo relinquere: tamen nimis infirma ratio visa est, quam sequitur Lyra, siquidem Benjamin XIII annis minor est

natu. Ioseph septimus filius est post Dan et Naphtali. Gad vero et Asser aut post Ioseph aut cum eo editi sunt eodem tempore. Postremo autem Gad, Asser, Isachar, Zebulon et Dina et omnes juniores sunt Ioseph. Quomodo igitur stabit hic textus quod Ioseph in senectute sit genitus? Quin etiam historiae ratio monstrat, idem de omnibus filiis dici posse. Siquidem tum demum incepit generare Iacob, cum esset annorum LXXIV. Relinquo igitur hanc quaestionem Hebraeis expediendam, scio enim multos idiotismos et phrases hebraeae linguae nobis periisse, quarum vim et proprietatem haud facile restituemus in integrum.

Burgensis sententia allegorica et satis concinna est, quod Ioseph fuerit filius senectutis, id est, sapiens. Ego vero hoc libenter dicerem, et omnino videntur verba ipsa et tota historia hoc velle, quod Patriarcha Iacob non putaverit, se esse patrem nisi istorum duorum, Ioseph et Benjamin ex Rahele, ut infra dicet: absque liberis me esse fecistis. Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, Benjamin auferetis etc. Ita enim legenda et consideranda sunt verba textus, ut accommodentur ad affectum patris, qui sic cogitavit: Rahel mihi promissa et donata est divinitus, propterea vera mater est, et hi dulcissimi et veri filii a me habebuntur, quos ea pepererit. Peperit autem mihi in senectute Ioseph et Benjamin, ideo hos praecipue diligo. Haec fuit sententia Iacob, adeo ut si data fuisset ei optio inter sobolem Rahelis et Leae, utravis posset aut vellet carere, haud dubie filios senectutis aliis praetulisset.

Sic ego quidem interpretor hunc textum, de affectu paterni cordis, quod post tot aerumnas et cruces acquievit in hoc filio, qui ortus erat ex legitima

et principali matre in partu extincta, magno suo dolore, ac propterea unicum ei solatium et deliciae erat, solus ille mitigabat curas et aerumnas grandaevi patris, reliquis eum crucifigentibus, et quotidie novas curas accumulantibus. Auxit vero benevolentiam et amorem patris singularis pietas et virtus adolescentis. Fuit enim sapiens, pudicus, probus, pius, ac excellentibus ingenii dotibus ornatus. Darumb ist er sein Herz und Freud. Sic enim solent parentes, si quis vel viginti filiorum pater esset et ex his unum tantum bonum et obedientem haberet, is non aliter adfectus esset, ac si praeterea nullam haberet sobolem. Impios enim et immorigeros exhaeredaret aut omnem eorum curam et sollicitudinem abjiceret.

Restat vero alter scrupulus grammaticus de veste polymita. Ea qualis fuerit, ego sane libens fateor me ignorare. In germanica translatione reddidimus, ein bunten Rock, secuti usitatam interpretationem. Lyra dicit, fuisse sericam vestem, Burgensis hunc locum silentio praeterit. Alii sentiunt, fuisse vestem contextam pluribus liciis, hoc est, diversicolorem, ubi stamen rubeum est, et subtegimen caeruleum, ein Schiller, cum appareat duae species colorum commixtae. Sed mihi eorum opinio non videtur verisimilis, tametsi non habeo, quod contradicam. In hebraeo est: Fecit ei פַּסִּים id est, tunicam filorum sive filatam, quod Graecus reddidit πολύμιτον, hoc est, habentem multa fila. An vero fuerit vestis discolor, ex textu non potest colligi. Et haec vox nusquam alibi in sacris literis extat, quam 2 Sam. 13, 19. de Thamar, quam stupravit frater Ammon. Sic enim habet textus eo loco: „Conspersit caput cinere et scidit tunicam suam polymitam פַּסִּים. Talibus enim

palliis מְעִילִים induebantur filiae regis virgines.“ Ego libenter interpretarer, einen schönen weissen Kittel, vestem candidam, qualis in regionibus orientalibus in usu fuit, in quibus pulcherrima et honoratissima vestis fuit, candida et byssina. Sicut econtra, occidentales populi purpura delectati sunt.

Liceat igitur mihi sic conjicere et divinare, Iacob carissimo suo filio tanquam futuro heredi et sacerdoti fecisse tunicam, qua prae aliis eum ornaret, atque ita a fratribus discerneret. Fuit enim vestis sacerdotalis, cujusmodi Hanna 1 Sam. 2, 19. adfert Samueli brevem tunicam מְעִיל similem illi qua induta erat Thamar. Talem מְעִיל libens dixerim fuisse vestem Ioseph. Sic enim et Angelorum indumentum pingitur candidissimum et multorum filorum ex lino. Et credo etiam Christi tunicam similem fuisse inconsutilem illam, quam mater Maria texuit, ein gewirkter gestrickter Rock. Et in tota scriptura valde celebris est vox מְעִיל in apparitionibus Angelorum item in transfiguratione Christi. Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix, item vestis Angeli ad sepulchrum Christi alba est sicut nix. Et Salomon inquit: Omni tempore vestimenta tua sint candida sicut nix. In Mose vero magistratus Horaei id est candidati appellantur, ab albis vestibus. Sicut nobilitas torquata dici posset a catenis aureis, quibus ornatur. Eodem igitur modo videtur Iacob ornasse Ioseph singulari vestitu candido et sacerdotali, ut significaret singularem suum amorem erga filium, et hujus futuram dignitatem ex sacerdotio. Qui vero vult retinere interpretationem priorem, ut sit vestis discolor, cum eo non pugnabo.

Apparet tamen vestitum Thamar, in cujus histo-

ria sola haec vox פַּסִּים extat, fuisse candidum. Sie wird ein schön weissen Kittel getragen haben. Deinde moveor etiam descriptione sacerdotalis habitus in Mose, qui primum eis tribuit femorale, post camisiam χιτὼν Kutten. Erat autem linea camisia, stricta et arcta vestis, interior, tegens omnia membra corporis usque ad talos, non fluentibus manicis, sed strictis absque plicis, ut essent sacerdotes expediti ad operas sacrificiorum et mactationes, perinde ut nostri lanii. Tertio additur sacerdotalis seu pontificalis tunica. Pontifex igitur quoque habuit מְעִיל, quae erat tota hyacinthina. Der schön recht geel seiden Rock. At solius pontificis tunica fuit flava sive colore auri. Huic similis fuit et Samuelis vestis, quae adfertur ei a matre; licet color esset alius. Ein Chorhemdlin מְעִיל enim fuit candidum sive argentei coloris, quo licebat etiam aliis uti; sed hyacinthino sive aureo colore solus Pontifex ornabatur. Sic Hiob scindit מְעִיל. Sic David praecidit Sauli מְעִיל in spelunca, unde colligimus fuisse regium et procerum ornatum, qui non fuerunt torquati aut purpurati, sed byssini apud Orientales. Iudaei non usi sunt serico, sed pellibus, imitati ea in re Adam et Hevam. Sicut hodie pueros primum pellibus vestimus, deinde et adulti iis uti solent. Usitatum vero illud et scissarum vestium genus non meretur appellationem vestimentorum, sed sunt mera monstra et portenta hujus postremi et infelicis seculi. Postremo huc accedit, quod prohibet Moses, ne utatur populus indumentis ex diversis filis, sive ex lana et lino confectis, sicut nec semina nec animalia misceri vult. Igitur simpliciter haec mea cogitatio est, fuisse tunicam contextam filis unius generis et candidam non consutam, gewürkt oder gestrickt.

Haec de tunica Ioseph, qua voluit Iacob testari amorem hujus filii, educati in spem sacerdotii, ideoque eum singulari ornatu a reliqua agresti turba fratrum segregavit, ut sciret hunc fore principem et haeredem in domo. Hinc vero odium illud immane exstitit in animis eorum quos incendit Diabolus horribili invidia et furore adversus fratrem germanum sine ulla causa, neglectis etiam et spretis tot monitis et adhortationibus, quas saepenumero ex patre et aliis piis in ecclesia Iacob audiverant, nulla denique ratione habita tantorum beneficiorum, quibus quotidie tanquam filii a carissimo parente cumulabantur, et una cum uxoribus, liberis et numerosa familia alebantur: pro illis omnibus tum scilicet satisfacturos se putant, si fratrem domo ejiciant aut una cum patre occidant.

Nobis autem hoc exemplum in consolationem proponitur, ne frangamur animis, si quando similia experimur, sed faciamus singuli nostrum officium quisque pro sua vocatione docendo, arguendo, increpando, cum in Ecclesia, tum in politia et oeconomia. Non erit labor noster inanis in Domino. Si qui autem obsequi et parere piis monitis recusant, illi suo tandem periculo et malo discant sapere.

Videntes autem fratres ejus, quod a patre prae cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant cum eo loqui in pace.

Pulchram vero et fraternam caritatem in domestica ecclesia Iacob et optima disciplina Patriarcharum, ubi cum Iacob etiam major Patriarcha Isaac adhuc vivebat. Ita enim oderunt fratrem innocentem, ut ne unicum verbum amice et blande cum eo possint commutare, haben ihn angeschnauzt, et singula ejus

facta et dicta carpserunt. Sicut igitur patri dilectissimus est, ita in oculis fratrum est contemtissimus. Oderunt eum infensissime ex mera malitia, praecipue vero Simeon et Levi; non enim puto, omnes similiter affectos fuisse originaliter et principaliter. Nam Ruben humiliatus erat propter conscientiam admissi sceleris, reliquos etiam puto fuisse mitiores. Sic igitur accipiendum erit hoc odium fratrum, ut murmur Apostolorum contra Mariam Magdalenam, quae ungebat Christum; alii enim discipuli persuasi et incitati fuerant per Iudam. Et, ut hoc obiter addam, Hieronymus sentit, Iudam illum Ischarioth fuisse oriundum ex tribu Simeon.

Neque tamen extenuamus scelus hoc, aut quemquam eorum excusamus. Sed amplificandam diximus modis omnibus eorum malitiam non tantum odio flagitii et Diaboli, sed etiam in consolationem nostri; siquidem Deus tulit in ecclesia et domo sanctissimorum Patriarcharum tam pestilentes homines, quibus postea clementer ignovit. Et si vero poenitentiam egerunt, tamen eo tempore malevolentia et livore et adversus innocentissimum hominem arsisse nequaquam dissimulandum est. Permittit autem Deus et connivet ad injustum et sceleratum odium, immo amplissimam occasionem invidendi praebet magno eorum malo. Perinde enim faciunt, ut Iudaei, qui immani odio prosequebantur Christum Salvatorem, et in singulis dictis et factis captabant occasiones calumniandi et maledicendi, cum tamen infinita bonitate et beneficentia, variisque miraculis et beneficiis totum populum cumularet. Noch mufs Alles unrecht sein. Nihil tamen horum omnium probabant, donec tandem Deus explendi hujus odii pro sua libidine ipsis copiam faceret

tradendo unigenitum filium in manus eorum, ut cruci affigerent, atque ita nefariam crudelitatem et impium odium satiarent.

Sed o infelices et miseros, quando relinquit Deus homines sibi ipsis, nec resistit eorum furori et cupiditatibus: quamquam omnes natura sic affecti sumus, ut aegre patiamur frenum nobis injici. Sed vae illis, ad quorum peccata connivet Deus. Sequitur enim tandem id, quod vulgo dicitur: Qui, quae vult dicit, ea, quae non vult, audiet. Ita, qui facit, quod vult, quae non vult, patietur; neque enim nobis ipsis imperamus, nec ad aliorum praescriptum cupiditates cohibemus. Si igitur indulget nobis Deus, eo dementiae et miseriae recidimus, ut cum Iudaeis horrendis flagitiis et poenis involvamur, et tandem nimis sero nostri nosmet poeniteat pudeatque. Sic Sodomitae nullis rationibus poterant cohiberi, quin saevirent in bonum et sanctum virum Loth pro libitu; sed subito tristissimas poenas luunt et pereunt, es musst gehn, wie sie wollten, des Morgens kam das höllisch Feuer vom Himmel, und thät, das sie nit wollten. Ante diluvium non audiebatur Noah, sed rapiebant uxores, quas volebant. Veniebat ergo diluvium et faciebat, quod ipsi nolebant, also will mans haben. Et idem sentient aliquando nostri homines, qui omnia vincula disciplinae et morum dissoluta et abolita cupiunt.

Hoc igitur sanctum et benedictum ac tutissimum vitae genus est, quando Deus non connivet ad vitia et illicita studia nostra: sed statim corrigit et castigat per flagella, per calamitates et cruces omnis generis, aut per homines, qui monitis suis in viam nos reducunt, ut frenentur stultae cupiditates nostrae. Econtra pessimum signum est, quando alicui improbo

et machinanti malum omnia succedunt ex animi sententia. Ita enim Hieremias de falsis Prophetis dicit: Prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum, hoc est quicquid statuunt, docent, faciunt, ita ab omnibus approbatur, tam avide recipitur, ac si divinitus sancitum esset. Neque renes, hoc est, studia impia et cupiditates eorum reprimis aut frenas. At quo fine? Saginasti eos ad victimam et diem occisionis.

Ad hunc modum furunt et indulgent odio et invidiae filii Iacob, sed coguntur tandem experiri, quod nolunt. Nihil igitur Deo gratius est et acceptius, quam aequo animo tolerare disciplinam et castigationem Domini. Quod si non ferimus, nobis frenum injici, tamen tandem in pöenis longe atrocioribus haerebimus; denn es heifst: Entlaufst du mir, so entlaufst du, aber dem Henker oder dem Teufel nicht. Redeunt quidem aliqui interdum in viam et convertuntur, sed non sine atrocibus paenis, quibus retrahuntur ad poenitentiam. Videntur igitur Simeon, pater Iudae Ischarioth et Levi fuisse duces et autores hujus facinoris, et alios ex ancillis natos secum etiam involvisse, qui sua sponte nihil tale unquam moliri ausi fuissent. Nec deest scelerato consilio occasio et successus. Deo connivente et permittente, ut capiant et vendant fratrem, immo Ioseph ipse oleum flammae addit, et jam tertiam causam odii ipse adjicit.

Accidit quoque, ut visum somnium referret fratribus suis Ioseph, quae causa majoris odii seminarium fuit. Dixit enim ad eos: Audite quaeso somnium istud, quod somniavi. Putabam nos ligare manipulos in agro, et ecce consurgens manipulus meus

erectus stabat, et vestri manipuli circumstantes adorabant manipulum meum.

Hoc demum caput et causa mali est. Ac videtur Ioseph consulto eam aperuisse fratribus, ut praecise eorum fastui et invidiae opponeret. Simeon enim et Levi inprimis sibi principatum et dominium arrogarunt, propterea quod humiliato Ruben ipsi adhuc innocentes essent. Ideo uterque cogitavit: Ego sum dominus fratrum, sumam mihi jus et dignitatem primogeniturae, mihi flectent genua fratres et incurvabuntur coram me filii matris meae. Sicut supra in benedictione Iacob audivimus, et infra de Iuda dicetur: Iuda te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Illam dominationem arrogat sibi Simeon, et plena fiducia et spe eam sibi pollicetur. Itaque Ioseph somnium hoc objicit stolidae illi arrogantiae. Q. d. Non patiar, vos diutius dubia et inani spe dominationis duci. Ego enim, qui a vobis despectus et reprobatus sum, ero dominus vester, non quod mihi arrogem dominium in vos, sed somnium meum, quod somniavi, vobis refero. Ita familiariter et amice cum fratribus loquitur quasi semifatuus aut puer: Audite quaeso somnium etc. Putabam, nos ligare manipulos etc. Tam mirum et inexspectatum somnium puer commemorat satis pueriliter, nullo odio, nulla cupiditate, mera simplicitate et innocentia. Verum Deus aggravat corda eorum et auget causas odii, ut magis irritentur et incendantur, sed magno eorum malo. Da gehet nu das Feuer recht an.

Responderunt fratres ejus: Numquid regnando regnabis super nos, aut dominando dominaberis nobis? Adjecerunt itaque

magis odisse eum propter somnia atque sermones ejus.

Narratio somnii vehementer offendit principes illos. Debuisset id reticere et applaudere et assentari fratribus et dicere: Simeon et Levi, regnabunt etc. ut confirmaret sanctissimas istas cupiditates eorum. Sed haec est manus Dei. Der dem Simeon und Levi ein Specklin auf die Fallen legt. Quia insidiantur innocenti, vicissim igitur odit eos Dominus, et permittit, ut acriter impingant sua voluntate impulsi, et foedissimo parricidio sese polluant.

Et rursus somniavit aliud somnium, quod narrans fratribus suis ait: Ecce somniavi quoque et hoc somnium. Vidi quasi solem et lunam una cum undecim stellis adorare me.

Adorare ad terram significat gestum adorationis et motum ad locum. Est enim adorare incurvari vel prosterni ad terram, vel procumbere in terram, et hoc externo ritu reverentiam alteri exhibere. Nos genua flectere solemus sive coram principibus, sive coram Deo. Primum vero in genere dicendum est aliquid de somniis, quam quidem materiam scio valde copiosam esse et late patentem, ideo breviter me expediam. Quia non sum idoneus ad habenda aut interpretanda somnia, neque eam facultatem aut scientiam mihi expeto, et pactum feci cum Domino Deo meo, ne vel visiones vel somnia, vel etiam Angelos mihi mittat. Contentus enim sum hoc dono, quod habeo, scripturam sanctam, quae abunde docet et suppeditat omnia, quae sunt necessaria cum ad hanc, tum ad futuram vitam. Huic credo et acquiesco, ac certus sum, me non

posse falli: neque tamen aliorum donis derogo, si cui forte praeter scripturam aliquid revelaret Deus per somnia, per visiones, per Angelos. Sint sane dona, sed quae ego nec curo, nec desidero. Moveor enim infinita illa multitudine illusionum, praestigiarum, imposturarum, quibus mundus horribiliter sub Papatu longo tempore deceptus est per Satanam; deinde sufficientia scripturae sanctae, cui si non adhibuero fidem, profecto nec Angelo, nec visioni, nec somnio facile credam. Sed ut dixi, haec ratio mihi peculiaris est, qua nihil aliis praescribere ausim. Satis enim superque revelationum habeo, cum sciam, quid credendum, quid sperandum, quid consulendum aliis, qua ratione pie et honeste haec vita transigenda sit. Idque pro mea tenuitate libens cum aliis communico, ut et ipsi norint et intelligant Decalogum, Symbolum, Orationem Dominicam etc.

Aliquid tamen dicemus ex doctrina et sententia scripturae sanctae de somniis; alias enim probat somnia, alias improbat. Sirach inquit c. 34: „Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis." Item Salomon: „Ubi multa sunt somnia, ibi multum est vanitatis et errorum, tu vero Deum time." Rursus testatur sacra historia, sanctos Patriarchas et Prophetas habuisse somnia, ut Iacob, Ioseph, Daniel, item Pharaonem et impios etiam, quae tamen divinitus monstrata sunt. Et Num. 12, 6. 7. 8. ait Dominus ad Aaron: „Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei." Ibi Deus confirmat somnia et visiones, et est insignis locus, qui accuratam et copiosiorem explicationem re-

quirebat. Moses, inquit Deus, aliquid majus vidit, habet alias maiores revelationes praeter illa, quae vos ex eo audivistis, qui estis ejus discipuli, et habetis visiones et somnia. Ego novi, quid Moses et ego invicem conferre et colloqui soleamus. Moses vidit passiones Christi.

Porro ex eo loco ortae sunt usitatae illae formae loquendi in Prophetis, de somniis et visionibus. Sic Joel 3, 1 de missione Spiritus sancti praedicit: „Iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt." Non igitur possumus negare, quin Deus istis modis revelationum usus sit a principio in Ecclesia Patrum et Prophetarum. Primus modus summus est, prophetia sive inspiratio, ut Davidis et Prophetarum, qui illustrante Spiritu sancto doctrinam et promissiones apertis verbis et manifesto sensu tradiderunt. Deinde sunt visiones sive imagines quaedam et species. Tertio somnia. Sic in novo testamento primum genus est doctrina, huc accedunt Sacramenta tanquam ceremoniae externae, et possent dici visiones. Baptismus noster, Coena Domini, Absolutio sunt quaedam visiones, quia sunt externae ceremoniae.

Cum vero scriptura sancta haec tria genera et probet et damnet, videtur eadem regula et judicium sequendum esse de somniis, quod in visionibus et prophetiis sequi solemus, nimirum analogia fidei. Nam et hae alias verae, alias falsae sunt, perinde ut somnia. Non enim semper aut tantum a Deo oriuntur, sed etiam a Diabolo, qui est simia Dei, et ut solet excitare Prophetas, ita movet quoque visiones et somnia, sic permittente Deo mirabili consilio. Verum aliud spectat, etiam cum vera loquitur, quam Deus, per somnia. Deus exhibet verbum et signa ad salu-

tem, et redemtionem hominum. Satan autem quaerit perniciem et interitum animarum et obscurationem veritatis divinae, propterea etiam vera dicendo mentitur. Hinc et in Ethnicorum historiis somnia recitantur, qualia fuerunt Bruti, Caesaris, Syllae, Annibalis.

Autor est Livius, per somnium vidisse Annibalem juvenem divina specie, qui se ab Jove diceret ducem in Italiam Annibali missum, quem sequeretur, neque usquam ab eo deflecteret oculos. Respectantem vero vidisse post se serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri. Id vere praesagiens somnium et cum impressione quadam fuit, quia Diabolus probe cognitum habuit statum totius orbis terrarum, et facile fuit ex antecedentibus colligere futura, et ea per somnium monstrare Annibali. Tales sunt praedictiones Lichtenbergii et Arnoldi de villa Dei, qui habuerunt Spiritum propheticum, quem alias Pythonicum appellant. Quibus interdum respondet eventus, interdum non, Triffts, so trifft's, fehlts, so fehlts.

Porro in somnio Annibalis Livius et omnes Itali sentiunt serpentem significare Annibalem, qui vastaturus esset Italiam. Sed haec verior interpretatio est, quod voluit Diabolus vel Deus per Diabolum significare, Annibalem ante se habere juvenem formosum, hoc est, fortunam prosperam: quasi diceret: Hactenus fuisti fortunatus Annibal, et gessisti res maximas, sed hic successus non erit perpetuus. Sequetur enim te horribilis bestia, videlicet Romanum imperium, quod involuet et vastabit totum orbem terrarum. Ita a Satana mendace ortum somnium tamen vera praedixit. Ipse vero non intellexit, et Itali avidiores gloriae, non libenter audiunt, significari Romanum imperium tam

turpi et immani bestia. Sed nos ad imagines in visionibus Danielis respicimus, ubi regna mundi non conferuntur hominibus aut Angelis, sed immanibus bestiis. Serpens igitur nequaquam Annibalem significat, sed futuram vastitatem per bestiam Romani imperii, ac hoc voluit dicere Satan: Successus et fortuna tua non erit constans, non perficies, quod coepisti, Du wirst nicht hinaus führen. Neque opus fuit Spiritu sancto ad hanc revelationem, quia Satan vidit vires, consilia, voluntates, studia ac totum statum utriusque reipublicae Romanae et Carthaginensis. Et Deus permisit, hoc significari Annibali per somnium, sed sine interpretatione.

Talia multa extant in historiis Gentilium certa et incerta somnia. Sicut enim Deus per bonos et malos principes gubernat orbem terrarum, ita etiam malorum pariter et bonorum Angelorum ministerio utitur. Inserit igitur Deus impiis aliquando falsa somnia, et habet Diabolus suos quoque Prophetas, quorum praedictiones tamen incertae sunt.

Alterum genus somniorum est physicum, ex quibus medici interdum conjecturam faciunt de certis humoribus et affectionibus, item temperamentis corporum. Haec vulgaria sunt et communia omnibus, de quibus praeceptum Catonis observandum est: Somnia ne cures. Quamquam etiam quaedam nonnunquam sunt significantia. Verum de his non disputo, sed remitto lectorem ad Macrobium, a quo eadem tractantur copiosius.

Tertium genus propheticum et verum est, quod commendat scriptura sancta, et pertinet ad salutarem gubernationem Ecclesiae, aut ad revelationes neces-

sarias huic aut futurae vitae, et sunt quaedam quasi prophetiae, quae non sunt contemnendae.

Sed quaeritur, quomodo discerni aut dijudicari possint? Quod ad me attinet, non sum somniator, nec conjector somniorum, ut ante dixi. Ideo nolo judicare, nisi a posteriori et aliis circumstantiis pertinentibus ad Ecclesiam et salutem animarum juxta normam et regulam verbi Dei. Omnia enim somnia divinitus inspirata certissime implentur, atque ita, ut sint salutaria orbi terrarum et generi humano. Itaque ab effectu rectissime aestimantur. Nec de illis tantum dico, quae offeruntur sanctis, ut Danieli et Ioseph, sed etiam, quae impiis monstrantur, ut Pharaoni, Nabuchodonosori et aliis. Nam et illis respondit eventus, et habuerunt adjunctam interpretationem, quae duo signa sunt infallibilia certorum somniorum. Quando Deus, qui inserit somnia, mentibus addit simul interpretationem et exsecutionem. Tertio eadem vehementer movent somniantem, habent impressiones valde acres, quale fuit Pharaonis, in quo tanta erat consternatio animi et ἔκστασις, ut sentiret, esse divinam quandam admonitionem. Ibi Deus non permittit, ut impius aut falsus Propheta etiam impio monstratum somnium interpretetur, sed adhibet verum Prophetam, Ioseph aut Danielem, qui ejus significationem edoceat, illustrante Spiritu sancto.

Quando autem Spiritus ipse interpres est eorum, quae suggessit, tum non est dubitandum de eventu et certitudine. Horum autem nihil simile in Gentilium somniis invenies praeter acrem illam animi commotionem. Verum quia habent auctorem Satanam, qui etiam de futuris potest et solet monere, ideo sunt plerumque ambigua et fallacia, nec monstratur interpretatio,

sicut fit in divinis somniis, quae Prophetae certo et fideliter enarrant docente Spiritu sancto. Sic enim Daniel, Iacob et Ioseph colligunt ex somniis monstratis doctrinam et scripturam sacram de rebus maximis, non tantum de imperiis, quae divinitus constitui et conservari docent, sed etiam de regno Christi et praecipuis articulis doctrinae Christianae, darumb liegt es an einem guten Ausleger. Ideo requiritur bonus interpres, ut Germanico proverbio dicitur.

Consuevit igitur Spiritus sanctus primum suggerere somnia, postea enarrationem monstrare, tertio exsequi, idque pulchre ad trinitatem personarum accommodatur. Pater dat somnia, filius interpretatur, Spiritus sanctus exsequitur. Haec ego appello vera et prophetica somnia, quae non fallunt. Sed de his non sumo mihi judicium, nisi a posteriori, reliquam turbam prorsus contemno. Habeo quidem quandoque somnia, quae aliquantum me movent, sed vilipendo, et cum domino Deo meo sic transegi, quod velim credere Mosi et Prophetis; neque enim pro hac vita desidero, neque ad futuram mihi iis opus erit.

Interim tamen relinquo aliis sua dona. Scio enim, Deum varias revelationes principibus et regibus saepe per somnia exhibuisse; ea qui volent interpretari, viderint, qualis sit Spiritus, et unde proficiscantur. Turci etiam utrumque habent, somnia et prophetias, qui status et qui finis sit futurus regni Turcici. Sed non credo, ex Spiritu sancto oriri, quia non habent Prophetas, neque Turca, nec Pontifex, alioqui manifestarentur per confessionem verae doctrinae et fidei. Utcunque igitur haec fuerint, non curamus ejusmodi somnia, nec autorem eorum, quia non habent additam interpretationem, licet eventus et executio nonnunquam

respondeat. Diabolus enim est exercitatus, et instructus infinitis exemplis gubernationis divinae, novit item voluntates, studia, consilia hominum et ea etiam gubernat. Ideo facile perspicit deliberationum et imperiorum fata et exitus. Videt, hactenus sic vel aliter cogitata successisse, nec adhuc quidem ullum vestigium apparere, quod velit Deus objicere impedimentum aliquod susceptae deliberationi, ideo faciles ei sunt praedictiones de futuris. Sic Lichtenbergius praedixit bellum Bavaricum, quia Diabolus vidit consilia Maximiliani, Palatini et aliorum principum. Idem facit aliis temporibus, et nisi Deus singulari consilio se opponit, tum respondet exitus praevisus. Sed de hoc non est solicitus Diabolus, utrum sit salutare somnium rebus humanis, an non? Wenns gleich Alles zuscheitern geht, da fragt er nit nach.

Ceterum totum hoc vitae genus, quod vivimus, est merum somnium et nox caliginosa. Nulla enim lux in toto orbe lucet praeter illam animalem et corporalem. Solis lumen nobis causa erroris est, ut credamus, nos in luce esse. Sed revera velut in caeca nocte erramus. Vere igitur vita nostra somnus est et nox spiritualiter, sicut in somnio Ioseph parentes ejus soli et lunae, fratres vero stellis comparantur fulgentibus in tenebris hujus vitae. Atque idem testatur Moses Psalmo 90, 5. cum ait: „Inundationem in eos mittis, et sunt somnus," hoc est, vita nostra fugax est volans et transiens, sicut Albis perpetuo fluxu, aut quivis torrens celerrimo impetu fertur, wie ein Wasser fürüber rauschet, ita fecisti eos gurgitem aut torrentem transeuntem. Sic Hiob inquit: „Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et

fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet." Et quod deterius est, addit Moses: „Sunt somnus," hoc est, vita nostra somnus est, comparatione vitae aeternae.

Vere igitur in media nocte et densissimis tenebris haeremus: nisi affulgeat Lucifer ille, de quo dicitur, lucerna pedibus meis verbum tuum. Si non habemus scripturam sanctam praelucentem et gubernantem nostras actiones, tota haec vita et universum lumen rationis, omnis denique sapientia et consilia omnia sunt tenebrae et confusio. Augustus, Alexander, Caesar haerent in densissima caligine, nesciunt, quid rerum gerant. Sic etiam Nabuchodonosor, Pharao, omnesque alii reges et monarchae, nisi quod videntur sibi pulchre multa facere et egregie sapere, sed sunt mera somnia, ut apud Iesaiam dicitur: „Sit sicut somnium visionis nocturnae multitudo omnium gentium, quae dimicabunt contra Ariel." Sic res gestae omnium Heroum celebratae poematis et historiis Gentilium, Hectoris, Achillis, instar somniorum sunt. „Quemadmodum somniat esuriens et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus: Et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quae dimicabunt contra montem Sion." Sic enim saepe solet fieri, ut somnians videatur sibi invenire saccum refertum auro, aut ludere cum pulchra puella, sed evigilans sentit, se deceptum esse. Ad eundem modum tota haec vita nox est et somnus.

Id vero felix somnium est, quando largitur Deus verbum et scripturam sanctam in hac nocte, quemadmodum dat in naturali vita seu somno aliquam reve-

lationem, qualis haec est in somnio Ioseph. Ad hoc vero, ut ante monui, accedat oportet interpretatio Spiritus sancti et exsecutio. Tantum enim ego de somniis intelligo a posteriori, non amplius. Ideo non possum judicare, quando fides eis habenda sit, nisi Deus interpretetur.

Deinde et hoc notandum est, quod Spiritus immundus etiam somnia monstrat, quia cognitione multiplici et varia experientia nobis longe est instructior. Nos consilia et studia principum et aliorum ignoramus, imo mea vix novi. Sed Diabolus callidissimus est, et omnes deliberationes regum, Sapientum, Jureconsultorum, Theologorum exactissime tenet, hoc unico excepto, qualis sit fides mea et spes in Deum, wie ich mit Gott daran bin; quia fides et verbum Dei est ei caligo et nubes, in quam non potest penetrare sua luce. Id quod ipsemet ostendit per crystalla et specula Mercurialia, in quibus monstrat civitatem aut personam aliquam, sed obscuram et tectam nebula aut pluvia, qua fit, ut non possit agnosci, nec cerni perspicue, quid ibi fiat. Sic vero illudit hominibus, et simul tamen fatetur, quod non possit intueri in cor hominis. Da verbrennt er das Maul und die Nasen.

In hanc sententiam Angelus ad Mariam inquit: „Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Eris praegnans et concipies filium," sed hoc modo, ut sit absconsio et obumbratio ejusmodi, ut nec Angeli nec Daemones possint perspicere aut intelligere. Igitur in verbum et cor fidele non penetrat acies lucis diabolicae, et eam ob causam ego magis delector verbo et fide, quam somno, et oravi Dominum, ne mihi daret somnia, quia sunt fallacia. Verbum autem est certum umbraculum et ca-

ligo, quam non possunt intueri Spiritus maligni, quantumlibet sublimes. Etsi igitur non sunt contemnendi Prophetae et somniantes, si prophetiae et somnia sunt analoga verbo Dei et fidei, tamen hoc maxime urgendum est, ut prius discatur Moses et Prophetae, hoc est, ut ante omnia habeamus purum verbum et verum ejus intellectum. Ex eo poterimus interpretari omnes visiones, omnia somnia et prophetias, quin etiam Angelos bonos pariter et malos judicare.

Sed redeamus ad somnia Ioseph. Duo sunt somnia, quorum prius agreste est et rusticum, quia tantum de suo et fratrum manipulis somniat. Ipsius manipulus stat erectus a terra, eum ceteri incurvati adorant. Hoc somnio nihil admodum movetur Iacob. Ideo non contradicit, sed tacet: quia congruit cum sua sententia, qua statuit, Ioseph natum de principali conjuge heredem primarium fore, cui debebatur primogenitura, regnum et sacerdotium, et duplex portio hereditatis. Adhuc igitur convenit cum cogitationibus Iacob, et confirmat eas: Estque protasis sive praeludium ad verum somnium. Nondum enim mentio fit parentum, qui debeant ipsum adorare, sed tantum fratrum. Natura autem et lege sancitum erat, ut primogenitus dominaretur fratribus, sicut alia superiora exempla testantur.

Simeon vero et Levi sibi jus primogeniturae multo ante vindicarant, ideo incenduntur odio et aemulatione adversus Ioseph; quamquam non aliud jus habent, quam tempus, quo ante Ioseph erant editi in lucem ex Lea matre, quae primum data erat patri in uxorem, misero Iacob, indignis modis decepto a socero Laban. Neque enim juxta temporis praerogativam aestimanda est primogenitura; nihilominus tamen eam

dignitatem sibi sumebant. Levi successionem mortuo Simeone sperabat, et in suas partes reliquam quoque familiam pertraxerant, ut ipsorum auctoritati parerent, ideo et reliqui fratres consentiunt, et uno ore adversantur Ioseph, sicut Apostoli ab uno Iuda persuasi murmurant contra Magdalenam. Hi duo autem prae ceteris vehementer commoventur. Habet etiam somnium suas impressiones satis acres, nec potest numerari inter vulgaria somnia. Deinde pater non offenditur eo, sed confirmat suo judicio et auctoritate: atque ita accedit interpretatio patris, quae est divina et firmissimum argumentum certitudinis.

Alterum non est humile aut plebeium, sed heroicum et quasi coeleste. Habet enim imagines solis, lunae et stellarum, non manipulos, qui significant labores rusticorum et opera hominum. Atque eo comprehenditur etiam pater et mater cum fratribus, quorum in priore nulla fuerat mentio facta. Igitur movetur eo pater quoque et reprehendit, sicut sequitur.

Et cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit ei: Quod est somnium istud, quod somniasti? nunquid veniendo veniemus ego et mater tua et fratres tui, ut incurvemus nos coram te in terram? Invidebant ei igitur fratres sui; pater vero ejus conservabat verbum istud.

Supra odium fratrum recensetur; hic furere prorsus incipiunt. Nam nec natura, nec mores quorumcunque gentium, nec Deus ipse ferunt, ut parentes adorent filios. Ideo est absurdum somnium, pugnans cum ratione et sensu communi. Sed habet tamen ve-

hementem impressionem; diserte enim exprimuntur sol et luna et undecim stellae, qui est numerus patris, matris et fratrum, nec alio utitur numero. Lyra dicit, Iacob contemsisse et rejecisse prorsus tanquam manifeste absurdum, et patria auctoritate stoliditatem adolescentis redarguisse, qui puerili quadam levitate somniaret, se adorandum a parentibus et fratribus. Sed textus diversum ostendit: non solum non contemsisse patrem hoc somnium, sed conservasse omnia verba. Qua phrasi et Lucas 2, 51 utitur de Maria: „Conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo." Castigat quidem Iacob filium, quia prima specie admodum ineptum videtur, sed impressio tam fortis est, ut pater non possit omnino negligere, licet initio contradicat; quia est in ea sententia, quod Ioseph sit primogenitus ex Rahele, quae primum ei desponsata fuerit, et quam amaverat ardentissime, pro qua item septem annis durissimos labores et molestam servitutem sustinuerat. Filius vero diu exspectatus, sero tandem et in extrema senectute natus erat. Haec et tam gravia argumenta quem non moverent, nisi divinitus aliud revelaretur?

Postremo habet Iacob promissionem de futuro semine, in quo omnes gentes sint benedicendae, eam omnes Patriarchae maximi fecerunt et Iacob haud dubie speravit, id venturum ex Ioseph, et cogitavit talem dominum fore, quem adoraturi essent omnes fratres, matres et patres in tota sua progenie. Itaque totam rem diligentissime secum perpendit. Wer weiss dennoch, was das somnium möcht bedeuten? Quis scit, qualis sit futura ista adoratio, sive in praesenti, sive futuro? Si ex Ioseph nascetur semen benedictionis, non ego tantum et mater, sed omnes posteri no-

stri id adorabunt, sicut impletum est postea in Christo Et David, qui etiam pater est, adorat filium nondum natum Psal. 110. Idem fecerunt Adam et Heva, et omnes patres ab initio mundi, qui in aeternum adorant hunc filium.

Talia haud dubie Patriarchae Iacob quoque in mentem venerunt. Ideo mirabile somnium est, quo pater et mater significantur per solem et lunam, fratres vero et secuturi principes et patres per stellas. Deinde amplius collegit: Praestantissimae et summae creaturae nostra signa sunt, non res significata; nos sumus res, ac tanto honore patrem, matrem et fratres dignatur, ut pulcherrimae creaturae cogantur eorum signa esse, necesse est naturam humanam magnifieri a Deo. Sol signum est referens patrem. Igitur oeconomia et politia, multo magis Ecclesia in summo pretio et honore sunt apud Deum. Haec et similia multa ratiocinatus est Iacob ex somnio filii.

Pulcherrima igitur enarratio fuit, quae primum de semine venturo eum admonuit, propter promissionem sibi et patribus datam. Semen meum, cogitavit, adorabit futurum Christum. Sol, lúna, stellae, id est, quicquid est principum, regum, patrum, matrum in regno et qualibet administratione, ea omnia erunt ejus imperio subjecta. Ideo non reprobat filium ut falsum Prophetam, aut vanum aliquem somniatorem, sed revocat in memoriam promissionem venturi seminis, et secum reputat, quanta ejus futura sit majestas et gloria. Se quidem esse patrem seminis, sicut Abraham fuit, et tamen necesse fore, ut coram eo prosternatur, idque adoret. Atque ea vera cogitatio est, licet adhuc erret in persona, quia putat ex *Ioseph* nascendum esse. Sed Deus postea non mutato no-

mine nec significatione, mutat personam, et tribuit hanc gloriam regno Iudae. Illud infra demum discet Iacob.

Deinde etiam historicà explicatio somnii insignis est. Maximum enim ornamentum est politiae et oeconomiae, quod Deus majore honore afficit patrem et matrem, fratres et familiam, quam solem, lunam et stellas: quae sententia oeconomica est, et mihi admodum placet. Nec posset sane quartum praeceptum majore dignitate explicari et ornari. Postremo in Ecclesia quoque verae et sublimes stellae sunt ministri et doctores, qui tamen sub Christo sunt, ut sit ipse princeps et rex totius orbis terrarum.

Hactenus historica expedivimus, jam vero et Grammatici nobis facessunt negotium. Quaeritur enim, qua ratione hoc impletum sit, quod in somnio dicitur ipso Spiritu sancto suggerente, patrem, matrem et fratres adoraturos Ioseph, cum tamen mater sit mortua. Omnes hoc in loco sudant, quomodo Rahel adorarit filium, quae fuit exstincta ferme biennio, ante quam somniaret Ioseph, imo, ut opinor, nondum completo spatio duorum annorum. Priusquam igitur respondeamus, numerabimus ordine annos vitae Iacob, praesertim a nuptiis usque ad descensum in Aegyptum. Nam toto illo tempore plurimis et mirandis casibus jactatus est, quorum magnitudo nulla oratione potest exprimi.

Ioseph jam est XVII annorum, natus septem annis post nuptias. Eo autem nato sexennio haesit in Mesopotamia. Deinde octo annis in Sichem habitavit, ut patet ex nostro Chronico. Post illud tempus profectus est in Bethel, et natus est Benjamin, mortua jam Debora et matre in partu extincta, circiter decimum sextum annum Ioseph. Adhuc recens igitur est

vulnus ex obitu Rahelis, non enim amplius uno et di
midio anno intercessisse puto, et rursus tamen conso
latur Deus sanctissimum virum hac spe monstrata d
primogenitura filii, cum paulo ante mortua esset ma
gistra domus Debora, sanctissima matrona, item Din
circa idem tempus stuprata esset, puella XI aut XI
annorum. Nam eo tempore natura hominum firmio
et vegetior fuit, sicut postea audiemus Iudam duxiss
uxorem XII anno aetatis suae.

Post tot igitur et tantas calamitates, excidiun
Sichimitarum, stuprum Dinae, mortem uxoris et De
borae nutricis, quae fuerat columen et ornamentun
totius familiae; post incestum item filii Ruben novan
consolationem largitur Deus Patriarchae Iacob pe
filium Ioseph, quem statuit esse primogenitum. Ben
jamin enim adhuc puer est anniculus aut bimulus, e
manifeste promittitur Ioseph in hisce somniis principa
tus et semen benedicturum omnes gentes, sicut ipsi
interpretatur illustrante Spiritu sancto. Rursus igitu
quasi ex morte et inferis excitatus reviviscit Iacob
Ist nu wider im Himmel. En Deus vult, cogitavit
dilectissimum filium meum esse primogenitum et here
dem benedictionis. Ideo laetatur et exultat, ac tot
pectore Deo gratias agit. Bald fällt er wieder in Ab
grund der Höllen: Mox vero ad infernum demergitur
prorsus insperato et inaestimabili casu.

Post excellentissimam consolationem, qua decla
ratus est Joseph major et sublimior sole, luna, stellis
coelo et terra, siquidem ex ipso venturus erat, quem
adorarent sol et luna, Patriarchae et Reges, imo
etiam Angeli. Da er denkt: Nu werd ich ein ma
auch Fried haben. Ibi suavissima spes et cogitatione
omnes misere et repente concidunt, sublato Iosepl

scelere et improbitate fratrum. Illi enim alia ratione somnium Joseph enarrant, et sic colligunt: Rahel mortua non potest adorare filium; igitur somnium est vanum, et illusio Satanica. Et hac occasione stultitiam fratris effuse rident; qui fingeret sibi somnia de mortua matre. Ita crevit superbia et praesumtio eorum de principatu. Talia enim solent in mentem venire hominibus, quando vult Deus punire peccata, ut habeant verbum Dei et certissimam veritatem pro absurdissima re, also soll es gehn.

Debuissent fratres illi exemplo patris somnium Joseph diligentius perpendere, et frenare cupiditates illicitas. Sed furenter ruunt in atrocissima peccata, et fiunt pessimi parricidae, fratricidae, matricidae; quia quantum in ipsis est, revera occidunt grandaevum parentem, exultantem et suavissime acquiescentem in filio Ioseph. Mehr hätten sie ihm nicht können thun, wenn sie ein Schwerdt oder Spiefs durch ihn gestochen hätten, non alio tormento crudelius eum excruciare potuissent. Ipsi quidem admonentur per somnium recitatum a fratre, nec desunt alia argumenta gravissima, natura, leges, res ipsa et innocentia optimi adolescentis, denique patris castigatio, qui subinde eos hortatur ad fraternam benevolentiam, quibus omnibus, nisi ferreis animis essent, flecti et moveri debebant. Sed quando videt Deus Pharaonem velle indurari, tum laxat frenum Diabolo, et objicit occasiones, ut indurescat.

Sic igitur fratres hi secure omnes admonitiones contemnunt, et cogitant: Ioseph est fatuus, pater est senex delirus, sunt homines stolidi et inertes, destituti omni consilio et cogitatione. Nos sumus principes, quibus convenit imperare in domo et ecclesia

paterna, nihil igitur morabimur ineptum istum somniatorem.

Sed quid respondebimus ad absurditatem hanc manifestam propter Rahelem defunctam? Lyra dicit, patrem primum contemsisse somnium. Sed non satis facit mihi. Quia, etsi primo motu negligere, imo reprehendere videtur, tamen postea observat et mandat memoriae. Augustinus vehementer sudat, et affert theologicam sententiam, quod sint haec intelligenda et implenda in Christo futuro, quem adorat Adam, Heva et omnia, sive viva, sive mortua, tartarus denique ipse, juxta illud Pauli Philip. 2, 10.: „Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.“ Haec theologica et vera sunt.

Sed quid respondebimus oeconomice? Quomodo adorat Rahel mortua? Ego sequor usitatam solutionem in scriptura sancta per synecdochen. Etsi enim non vivit Rahel, ut in sua persona adoret, tamen in filiis et marito et tota familia adorat. Sicut per synecdochen dicimus, omnes fratres odisse Ioseph, licet Iudas, ut ego opinor, non oderit, et alii tantum consenserint, non fuerint duces sceleris cum Simeone et Levi.

Sententia igitur somnii haec est: sol et luna et stellae me adorabunt, hoc est, tota familia, parentes, fratres, majores et minores. Infra vero in fine audiemus Iacob adorasse Ioseph filium, cum ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, et facias mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Aegypto etc. Ibi loquitur cum filio more deprecantis et subditi, tanquam cum principe, licet paterno affectu: tamen non mandat, sed ut superiorem precatur. Et in epistola ad Hebraeos 11, 21

scriptum est: „Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgae ejus.“ Etsi enim aliter potest verti locus ille, tamen videtur Jacob adorasse et coluisse filium. Recumbens in lectulo, eo accedente, erexit se, non aliter, ac si veniret princeps aliquis, idque fecit non tantum propter gubernationem Aegypti, sed etiam propter semen benedictum, quod sperabat ex ipso, et de eo acceperat antea revelationem. Haec simplex solutio est hujus objectionis per synecdochen usitatam in scriptura sancta.

Alter nodus, qui exercet Augustinum, est in narratione mortis Isaac, cujus supra meminimus. Sed facilis explicatio est per ὕστερον πρότερον, quod vulgo anticipationem vel recapitulationem dicunt, qua crebro solet uti sacra historia, sicut Gentilium etiam historici eadem saepe utuntur: ut, cum Livius res gestas unius mensis aut anni describit, non potest simul omnia recitare, quae alibi eodem momento simul contigerunt. Sic Moses primum absolvit vitam Isaac, postea Ioseph, et tamen quaedam simul gesta sunt, quae simul describi nequeunt, perinde ut duo una cantare, sed una loqui non possunt, imo totus chorus simul canit, sed non simul concionatur.

Itaque Lyra et Augustinus recte supputant, quod Ioseph venditus sit duodecim annis ante mortem Isaac, sed obliviscuntur figurae historicae, anticipationis. Supra enim eadem serie et linea rerum Isaac addita etiam est mors ejus, qua narratione ea, quae sub idem tempus gesta fuerant, commemorari non poterant. Augustinus vero facillime se expedire potuisset, si mortem Isaac recitatam ante venditionem Ioseph intellexisset per ὕστερον πρότερον. Non enim propterea

in dubium vocanda est auctoritas et certitudo scripturae sanctae; sed hoc meminerit lector, quod soleat narrare res gestas more historico, quod saepe alias monui.

Hactenus ergo recitavit Moses duo somnia Ioseph, quibus praelusit Spiritus sanctus insigni historiae de futuro principatu Ioseph in Aegypto, vel ut scriptura alibi Ps. 105, 17 exponit, de viro misso ante Israel, ut servaretur tempore famis. Unde agnoscamus providentiam et sollicitudinem Dei de nobis, qui longe ante significat et praedicit, quae futura sint, et ea mirabili bonitate ita temperat et moderatur, ut habeant exitus tolerabiles. Sicut infra Ioseph ipse interpretabitur, cum dicit: „Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum." Item: „Pro salute vestra misit me Deus ante vos, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis.

Certum igitur est, Deum nostri curam fidelem et diligentem agere, antequam nos de nostris successibus cogitamus. Quin etiam stultitia hominum talibus exemplis arguitur, qui tam vesani et mali sumus, ut saepe in propria peccemus commoda, nobisque ipsis infensissimi hostes simus, nisi Deus immensa benignitate consilia nostra inverteret, et aliter gubernaret, quam nos cogitaveramus. Ita enim hi fratres insaniunt in exitium fratris, qui futurus erat salus ipsorum et totius terrae Canaan, et quo sublato ipsis pereundum fame fuisset. Sed Deus omnia mala, quae meditantur etiam contra et ante ipsorum cogitationes mirabili ratione in bonum convertit, idque quodammodo per haec somnia praefiguratur et disponitur.

Iam vero ad reliqua pergamus, et primum in Iacob mirificum exemplum gubernationis divinae consi-

deremus, quomodo deducat Deus Sanctos suos ad inferos et reducat, consoletur et contristet, ut assuescamus confidere et haerere in solo verbo. Necesse enim est, eo redigi res piorum, ut nihil sentiant, nihil aliud intelligant, nihil videant, praesertim in morte, quo nitantur, quam verbo. Discamus itaque mori secundum carnem, et pendere ex verbo, ut, si vel fractus illabatur orbis, tamen cum fiducia dicamus: Credo in Deum patrem etc., et in Iesum Christum, filium ejus etc. Iacob vero jam in Hebron habitat, et habet filium XVII. annorum, spem et solatium senectutis. Und meint, es sey nu der Jammer aus, so gehet er erst ärger an, denn er in sein Leben lang gehabt hat.

Cumque abiissent fratres ejus, ut pascerent oves patris sui in Sichem, dixit Israel ad Ioseph: An non fratres tui pascunt oves in Sichem? Veni, mittam te ad eos. Respondit ei: Ecce ego. Dixitque ad eum: Vade quaeso et vide, si in pace sint fratres tui, et si pax sit ovibus, et renuncia mihi, quid agatur: Misit itaque eum de valle Hebron, ut veniret in Sichem.

Hinc apparet, pascua hactenus fuisse circa Hebron, ubi Isaac et Iacob habitarunt cum familia. Ac, fuisse bonos et probos homines, qui locaverunt Iacob et filiis ejus agros, nihil dubium est, cum ipsis quidem nihil esset proprium in ea terra, et tamen pascuorum et manipulorum sive agrorum mentio fit, quos coluerunt. Videntur vero incolae fuisse posteri trium fratrum, Aner, Escol, Mamre, qui fuerunt pii, et diligenter audiverunt verbum, et adiunxerunt se ecclesiae Abrahae et Isaac. Apparet etiam, pascua tunc

absumta esse in agris et patris Hebron, quae fuit eis causa transmigrandi in Sichem. Aut ideo forte mutarunt locum, quia non potuerunt amplius ferre praesentiam et consuetudinem Ioseph, adversus quem tanta invidia et odio exarserant, ut non possent cum eo familiariter aut amice colloqui, nec conspectum ejus ferre. Fieri enim potest, ut quis odio et invidia alterius fugiat, sicut de Cain dicitur: Iratus est Cain valde, et conciderunt vultus ejus: non potuit fratrem blanda facie aut benignis oculis intueri. Sed ad primum conspectum ejus excanduit, et torvitate vultus animum inflammatum ira ostendit. Eadem causa potuit etiam hos fratres ad mutanda pascua impellere. Ioseph vero manet domi apud patrem recedentibus aliis et defugientibus ejus familiaritatem.

Deinde videmus et familiam ejus adhuc tenuisse Sichem, siquidem eo pastum eunt. Occisis enim civibus successit Iacob et filii ejus, et viduae Sichimitarum haud dubie et, si qui reliqui fuerunt ex populo illo, manserunt cum Iacob in sua patria. Arbitror et vicinos Cananaeos reconciliatos et placatos fuisse per affinitatem junctam cum Iuda, ut sequetur cap. 38. Unde reliquos etiam dilexerunt, qui fuerunt boni et modesti, sed pessimos illos nebulones Simeonem et Levi, die Mörder zu Sichem, haud dubie detestati sunt. Ioseph autem postea eum locum obtinuit cum posteris suis, in quo fere occisus fuit a fratribus. Infra enim dabitur ei a patre hujus terrae possessio, quod non posset facere Iacob, nisi haberet eam propriam. A conducto igitur agro transeunt in propria pascua in Sichem. Rursus, his agris depastis, redeunt in Hebron; non enim possunt, nec volunt cum prodi-

tore isto pessimo, qui vult adorari a reliquis, morari amplius.

Porro ab hac ditione Sichem regnum Israel et Ephraim etiam regnum Ioseph dicitur. Et primus rex Hieroboam ex hac tribu oriundus fuit. Respexerunt enim ad prophetiam, qua infra confertur dominium hujus loci in Ioseph, qui, quanquam immani crudelitate filiorum esset occupatus, tamen eum retinuit Iacob, Deo ipsi objiciente et pessimum facinus in bonum convertente. Ejusmodi enim politica, quae non habent traditiones divinas et praecepta, sunt mere fortuita, quae dispergit Deus quibus vult, wer hat, der hat. Iacob non habuit promissionem aut mandatum de trucidandis Sichimitis, verum interfecto Hemor cum filio obtinet eorum ditionem consentientibus vicinis populis. Sic multa casu eventuque rerum multis contingunt Deo sic permittente absque ulla traditione aut promissione divina.

Quae restant de textu, nihil habent difficultatis, neque in historia, neque in grammatica. Describit Moses sollicitudinem patris Iacob in oeconomia, qui, quanquam gravis aetate et annis a gregibus abest, tamen sollicitus est de filiis et pecoribus. Proponuntur autem haec a Spiritu sancto ad formandos mores nostros, ne omnem curam temporalium abjiciamus, sicut Monachi, qui alieno labore et curis victitarunt. Est enim oeconomicum exemplum et pulcherrima descriptio curae paternae, qua Iacob rationem habet pecorum et filiorum, quomodo singula administrentur. Ideo ablegat Ioseph ad eos, dicens: Vade et vide, quid geratur. Supra enim dictum est, Ioseph detulisse famam sinistram de fratribus sparsam ad patrem, nec vero fratrum tantum, sed etiam servorum et an-

eillarum malefacta et, si quid detrimenti res pecuaria et tota oeconomia caperet, nunciabat.

Neque sane negligenda est haec cura iis, qui positi sunt in administratione Ecclesiae, politiae, oeconomiae, quin simul sint Episcopi domi suae, et inspiciant agros, pecora etc. sicut Iacob facit. Papa distinxit secularia sive carnalia et spiritualia, et docuit oeconomiam esse fugiendam, tanquam a Deo neglectam et reprobatam, voluitque omnem curam ejus a suis amotam esse. Nos enim, dixerunt, servimus Deo in rebus coelestibus et spiritualibus, relinquamus ethnica illa et prophana etc. Quid igitur faciendum est? Legamus horas Canonicas et Matutinas, et pro illis devoremus opes mundi, et dominemur regibus, principibus etc.

Sciant igitur pii oeconomi, omnes actiones ipsorum Deo placere, sive curent greges, sive agros, seu denique fimeta et stercoraria. Uxor vero mulgeat capras, vaccas etc. Ea omnia non sunt habenda pro profanis et illicitis, si fiant a sanctis hominibus. Unde enim omnes oriundi sumus, nisi ex conjugio et oeconomia? quasi vero Papistae ex truncis et lapidibus nati sint. Nisi matres parerent, lactarent, mundarent, foverent infantes, totum genus humanum interire necesse esset. Cum autem Deus ipse auctor sit horum officiorum, nequaquam cogitandum est, impediri iis cultum Dei, sed esse optima et gratissima exercitia pietatis erga Deum et homines. Vult enim Deus foetum gestari in utero, lactari, foveri sedulitate et cura matrum, ut enutriatur et crescat, atque ideo indidit lac uberibus. Si cui tamen contigit donum castitatis, ut possit carere molestiis oeconomicis, fruatur sane suo dono. Sed aliud est, immunem esse a certis

oneribus vitae hujus, aliud, vitam ipsam damnare et reprobare tanquam profanam et ethnicam.

Quod si rem rectius aestimaverimus sane, nihil profanius et secularius esse, ut ipsi loquuntur, toto ordine Episcoporum, utcunque fucum faciant imperitis titulo spiritualium personarum. Quin ipsi potius damnandi sunt, propter judicium perversum et impium, quo Dei ordinationem damnant tanquam plenam periculis et molestiis.

Ac diligenter ad auctorem respiciendum est, quod Deus opera oeconomica instituit, laudat, remunerat, ornat. Sic enim scriptura sancta in historiis Patrum semper haec vilia, stulta, mundana, ut videntur, miscet sublimibus operibus fidei et crucis et aliis exercitiis spiritualibus, ut testetur, Deum maxima pariter et minima curare. Idem enim Dominus est summorum et infimorum, regum et servorum, masculorum, feminarum etc. Habemus omnes eundem et unum Deum, et sumus unum unitate colendi Dei, etiamsi opera et vocationes diversae sint. Quilibet autem suo loco faciat officium, sicut Iacob sanctus et spiritualis vir est, meditans in lege Dei, orans, administrans et gubernans Ecclesiam; interea tamen non negligit vilia, domestica, agrestia et pecuaria, quod nobis in exemplum proponitur, ut sciamus, omnes nostras actiones in vita oeconomica placere Deo, et esse necessarias huic vitae, in qua decet unumquemque pro sua facultate et vocatione uni Deo et Domino omnium servire.

Haec saepe agitanda, et tenerae aetati in primis inculcanda sunt, ut rectius judicare de his rebus discat, quam juris Perditi et Papistae solent, qui non desinunt Monachorum et Nonnarum ordines et regulas praeponere oeconomicis et civilibus officiis, quantum-

cunque ea a Deo commendentur et ornentur. Sciant Deo aeque placere mulierem lactantem infantem, aut ancillam scopis purgantem aream, ac otiosam Monialem aut Carthusianum ignavum: Contra abominationem papisticam, quae introducta est superioribus seculis in Ecclesiam, cum alios omnes ordines seculares et inutiles dicerent, et tantum rasuras et cucullos suos ornarent. Nos spirituales sumus, dicebant, oramus pro aliis, vos cives, rustici, principes, nobiles et omnes seculares non potestis servire Deo. Date igitur aurum, argentum, arces, oppida, ditiones vestras, et nos dies noctesque pro vobis orabimus, interea dum vos aratis agrum, regitis familiam, subditos etc. Sic enim ipse docui adhuc Monachus. Sed Deus pro immensa sua misericrodia condonavit mihi peccata mea.

Saepe tamen cogitandum est, quam horribiliter fuerit dementatus et infatuatus totus mundus, per Papistas, Canonistas et Sophistas, qui invocationem et cultus Dei incluserunt Monasteriis tantum, quasi non posset Deus coli et invocari in vita communi. Nec dum cessant perditissimum hominum genus, Iuristae et Monachi, omnem lapidem movere, ut horribilis illa abominatio Monasteriorum restituatur, ab obscuranda opera divinitus praecepta, domestica, muliebria, politica etc. quae revera sunt Dei opera; siquidem mulier, civis, princeps, nobilis etc. est creatura Dei, et singuli ad certa officia sumus conditi, ut, qui ea diligenter suo loco administrant, sciant, se placere Deo, modo abstineant a peccatis.

Haec lux sublata fuit ex Ecclesia Dei per Pontifices, ita ut nulla amplius cognitio nec creatoris, nec creaturarum manserit apud homines, et conabuntur

eam rursus extinguere Episcopi et Monachi, nisi divinitus impia consilia et conatus eorum in conventu Imperii, qui nunc agitur, impediantur. Id enim agent totis viribus, ut restituatur Papatus et Monasteria cum omnibus decretis Pontificis, quanquam ipsimet ea contemnunt et deridént. Non enim orant, non jejunant, sed helluantur et pergraecantur dies noctesque. Tamen conabuntur fucum facere Caesari, praedicatione cultuum divinorum, qui sint instaurandi in Monasteriis: quasi impurissimi Monachi soli officium et cultum Deo gratum praestent, ululando scilicet et boando in templis.

Adversus haec portenta diligenter ejusmodi loci notandi sunt de vita et actionibus Patriarcharum, quos Deus aliquando per sublimia ducit, ut, quando Iacob luctatur cum Angelo, id unum ex summis operibus fuit, ubi non erat locus aut tempus mulgendi capras, sed luctandi et vincendi per fidem et spem, peccatum et mortem. Aliquando vero extra sublimia illa, sicut idem fuit politicus et oeconomicus, curavit greges, servos, familiam etc. Non enim ad unum tantum opus destinati sunt pii, sicut Monachi se alligabant ad certa opera, sed alias spiritualibus exercitiis, alias domesticis aut politicis curis vacant.

Commendatur praeterea hoc in loco obedientia Ioseph, qui statim vocanti patri praesto est. Eam enim prolixe commemorat Spiritus sanctus, non tam propter historiam sequentem, quam ut in adolescente Ioseph puerilia illa celebret, quae in oculis Papistarum corporalia et stulta sunt, quasi in ipsorum vita nihil infirmi sit aut humani, sed coram Deo pretiosissima sunt et optima.

Invenit autem eum vir errantem in campo, qui interrogans eum ajebat: quid quaeris? Respondit: Fratres meos quaero, indica quaeso mihi, ubi pascant greges. Et dixit vir ille: Profecti sunt hinc, audivi autem eos dicentes: eamus in Dothan. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, et invenit eos in Dothan.

Pergit Ioseph promptissimo animo ad fratres, et, cum erraret aliquantisper in agro, monstratur ei iter a viro quodam, cui occurrit in via. Neque vero scit, quantum periculum sibi immineat, quam prope sit praesentissimum exitium. Nec enim admonetur a quoquam, et Deus ipse permittit, ut incidat in manus fratrum crudelissimorum. Sic utrumque negligit, et patrem Iacob, et Ioseph filium, ac dissimulat ea, quae non obscure jam diu machinabantur fratres, sinitque puerum a patre mitti et in exitium praecipitari. Ubi nunc sunt Angeli illi מַחֲנַיִם, qui supra celebrati sunt, quod pugnarint pro Iacob adversus Esau? Nullus hic apparet, qui moneat Iacob et dicat: Cave, mittas filium Ioseph ad reliquos tuos filios, occident eum, et tu suavissimis deliciis tuis orbaberis. Alle Engel und Gott selbs schweigen still. Haec profecto admiranda et inaudita sunt, quae ego nec cogitando assequi, nec verbis possum exprimere. Permittit enim Deus Iacob patrem et filium incidere in praesentissimum exitium.

Nobis vero ingens et insignis haec consolatio est, quod videmus Deum sanctissimos Patriarchas non aliter atque nos gubernare. Non enim ducit Patriarcham Iacob tantum per miracula et sublimia exercitia Spiritus, superantia communem captum piorum, sed objicit eum etiam quotidianis periculis, casibus, eventibus,

qui cuivis nostrum possunt contingere. Ioseph optimus et innocentissimus adolescens est annorum septendecim, habet Spiritum sanctum, et plenus est Dei gratia et beneplacito. Vitam quoque sanctissimam in ecclesia Iacob vixit, tamen miserabili casu opprimitur, nobis quidem forte non inusitato, sed tam sancto viro prorsus indigno.

Pertinet igitur exemplum ad consolationem nostram et monet, ut meminerimus, nos homines esse, neque humani quicquam a nobis alienum putemus. Si enim ista contigerunt Patriarchis plenis Spiritu sancto, quid miramur aut fremimus, cum nos similia experimur? Quin potius gaudeamus et agamus Deo gratias, quando sentimus nos iisdem casibus jactari, quibus exercuit Deus ab initio sanctissimos homines.

In tanto periculo videmus altissimum silentium esse Dei et Angelorum. Sinunt Ioseph praecipitem ire in tristissimam calamitatem et mortem ipsam, vident patrem futurum miserrimum et adflictissimum propter mortem filii, tamen non impediunt conatus fratrum. Exhortemur igitur nos mutuo ad tolerantiam exemplis illorum hominum, qui in cruce ferenda nobis fuerunt similes, quae propiora nobis et familiariora sunt, ideoque magis nos movent, quam exemplum filii Dei. Id enim aliquanto sublimius est et absque comparatione. Quamquam is quoque de se dicit: Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit, quasi nec pater coelestis, nec Angeli ipsum curent, siquidem obiicitur Iudaeis crudelissimis lacerandus et crucifigendus. Ad eundem modum vadunt hi duo ad mortem tacente Deo, tacentibus Angelis, imo gaudentibus; quia non fit in perditionem Ioseph et Iacob, sed in salutem multorum. Verum id consilium Dei adhuc arcanum est,

quamquam optimum et utilissimum. Quia per hanc tentationem et vexationem cavebit Deus, ne Iacob cum filiis fame pereat, et efficiet, ut convertatur Aegyptus ad veram Dei agnitionem, et multi lucrifiant.

Id sane saluberrimum consilium est, sed absconditum coram oculis eorum. Sic enim cogitat Deus, prius mortificabo utrumque, quia non ipsis tantum benefaciam, verum etiam toti Aegypto consulam per ipsos. Haec fuit tum sententia et beneplacitum Dei, quantumvis tristis et molesta species sit, ita a Deo negligi. In hoc igitur exemplum intueamur, quoties adfligimur et tentamur, ac fortiter resistamus carni frementi et indignanti, ac dicamus; Quare Deus ita me negligat, nescio: sed non dubito de optimo, sapientissimo, et utilissimo consilio patris, quamquam caro non videt, sed murmurat et luctatur adversus Spiritum. Tamen ferenda et superanda crux est fide et patientia, quia video in sanctis patribus mirabilia Dei consilia, quibus reguntur. Ita enim hi tres una moriuntur omnes, Isaac avus, Iacob pater, Ioseph filius. Sed vide, quantum boni Deus inde eliciat, quam magnifice tractet hunc casum et malitiam Diaboli, ut faciant miserum istum et emortuum pastorem Ioseph regem Aegypti et multorum populorum dominum, et, quod praecipuum est, per totum regnum propagetur doctrina de Deo. Das kumbt alles aus der kleinen tentatio. Ergo et nos sic statuamus, age Deus me hac aut alia cruce oneravit. Quid tum? Feram aequo animo. Caro quidem infirma est, gemit, ejulat, querulatur, sed Deus dicit: Tu nescis, bist ein Narr. Consilium meum est, ut ex hac tua cruce producam maximum bonum.

Sic Christus de Sanctis suis in novo Testamento Luc. 18, 7. 8. dicit: „Putatis, quod Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? etc. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum." O wann wirs glauben kündten. Si huic voci filii Dei firmiter assentiri, et hunc spiritum habere possemus, qui cum gaudio diceret, age eripiatur vita, corpus, bona, valeant omnia, certus sum, Deum facere et permittere hoc optimo consilio, tum veri Christiani et victores totius mundi essemus, idque vere esset, se tradere in obsequium et voluntatem Dei. Sicut monet Paulus Rom. 12, 2: „Renovamini in novitate mentis vestrae. (Das Renovamini thut aber wehe.) Quare? ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta," ibi discetis ferendo, dolendo, gemendo, quid Deus de vobis constituerit.

Sic non dubito, quin gemitus ille, qui hodie regnat in cordibus nostris, et omnium piorum contra Papam, Turcam et horribiles blasphemias, quas magno dolore animi audimus, suspirantes et clamantes, veni domine, acceleraturus sit liberationem piorum. Was gilts, der gemitus soll die Welt zerreissen. Non habebit Deus patientiam, inquit Christus, sed brevi faciet vindictam. Er wird kummen, er wird nicht ausbleiben. Et, cum coeperit judicare, inveniet modum, quo ipsi funditus deleantur, et servetur Ecclesia. Sic per diluvium delevit totum genus humanum, cum essent securissimi, et certissimi, nihil impendere mali, propterea quod multi sancti et sapientes in speciem adhuc inter ipsos essent. Sic periit regnum Babylonicum, Sodoma, Hierosolyma, Roma. Quis delevit eos? Isti gemitus et lacrymae in cordibus sanctorum. Moses ad mare rubrum clamat: Quid fit? Mare dividitur, Pha-

rao ingressus suffocatur, et populus Israeliticus mirabiliter evadit.

Igitur valde prodesset, si disceremus et assuesceremus, nos ejusmodi exemplis consolari in nostris aerumnis, et certo statuere, quod ex istis malis Dominus magnum cumulum bonorum possit et velit colligere. Tantum faciamus ejus consilium ad tempus, non fremamus adversus Deum, sicut Iudaei in deserto, de quibus dicitur Psalm. 106, 13. 24. 25: „Obliti sunt operum ejus, et consilium ejus non sustinuerunt. Er hät für, er wollt ihnen helfen, aber sie kündtens nicht erwarten, sie wolltens in praesentia haben, darumb bliebens in deserto. Erat omnino paratus ad ferendam opem, verum non volebant eam expectare, sed potius in praesentia auferre. Ideo conciderunt in deserto, et non ingressi sunt in terram Canaan, quia pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, non crediderunt verbo ejus, murmuraverunt in tabernaculis suis etc.“

Ad hunc modum sanctissimus Patriarcha Iacob in magno dolore et summis angustiis fuit, nec potuisset inde eluctari, nisi audivisset consolationes a patre Isaac, a domesticis reliquis, qui ei in memoriam revocarunt promissionem, atque ita eum erexerunt, donec reciperet filium cumulatum ingenti gloria et dignitate. Multo enim maximum est, quod Ioseph evehitur ad principatum Aegypti. Id si antea revelasset Deus Iacob, et dixisset: Curabo, ut amissio filii fiat occasio maximorum commodorum, summa voluntate et laetitia filium dimisisset. Sed tegit et abscondit, ut mortificet veterem hominem, et repleat ac inebriet novum hominem novis et infinitis beneficiis.

Interea vero excitandus fuit animus ad fidem,

spem et expectationem auxilii divini juxta doctrinam Psalmi: „Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine etc." Deus novit finem et exitum tentationis, quem tu non cernis, halt fest, ich wills so mit Zucker durch mengen, ut, tametsi moriaris, tamen in resurrectione mortuorum perpetuo gaudio cumuleris. Ad haec enim prosunt haec exercitia, ut discamus intelligere misericordiam Dei, et mysterium fidei et spei, et aliquomodo comprehendere consilia imperscrutabilia Dei de nobis, sicut dicitur Psalmo 4, 4: „Mirificat Dominus sanctum suum." Item Psalm. 16: „Mirificavi omnes voluntates meas in eis." Item 17, 7: „Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te." Misericordia, gratia, promissio certo adest, sed mirabiliter impletur super omnia nostra cogitata, desideria, voluntates.

Dicendum igitur est cum Hiob: Etiam, si me occidat, sperabo in eum, et cum Paulo 2. Cor. 4, 8. 9. ubi egregie rhetoricatur: „In omnibus tribulationem patimur, sed non anxii reddimur; contristamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus. Vita nostra est miserrima, et plena ingentibus malis et calamitatibus, sed non derelinquimur." Et sic pius animus statuit, scio, quod non confundar, spes mea, fides mea non fallet me, quia Deus, promissio, Sacramenta, absolutio non fallunt, quae sunt Dei. Itaque moriens vivam, periens servabor.

Ita enim abjicitur Iacob, ut apparet, sed non derelinquitur; tentatur, sed non destituitur. Denique manet Dei filius, et Deus est in eo, sed abscondito et mirabili modo. Ac tandem cum ad catastrophen perventum est, quando videt Iacob filium vivere et

regnare gratulatur sibi et gaudet de prioribus vexationibus et malis, atque ita cogitat: En nunquam mihi tanta gaudia oblata essent, si meo arbitrio et consilio fuisset administrata domus et ecclesia mea, Ioseph mansisset pastor, ut reliqui filii. Iam vero evehitur ad regiam dignitatem, fitque multis auctor et causa salutis.

Quando igitur affligimur et exercemur, excitandus est animus adversus sensum mali et dicendum: Non moriar, sed vivam, utcumque diversum appareat, etsi de me ipso quidem desperare cogar, tamen in eum sperabo, qui ex nihilo fecit omnia, meque in nihilum redactum potest restituere in integrum, maximo meo et aliorum bono. Quo atrociores igitur sunt passiones, hoc majora et mirabilia operantur in Sanctis. Estque argumentum gratiae et benevolentiae divinae, quando exercentur cruce et adflictionibus. Quando enim perseverant fide in promissione et perdurant, sequuntur ingentia et incredibilia bona, juxta illud Iacob. 1, 12: „Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se;“ et Ioannis 12, 24. „Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.“ Ex putrefactione et mortificatione grani surgit pulcherrimus culmus ferens alias trigecuplum, alias sexagecuplum.

Haec est perpetua doctrina totius scripturae sanctae et voluntas Dei, ut mortificemur secundum carnem, et secundum spiritum vivificemur. Idem vult Paulus 2. Corinth. 4, 11: „Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita manifestetur in carne nostra mortali.“ Item v. 16. 17. 18: „Propter quod non de-

ficimus, sed, licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est, momentaneum et leve tribulationis nostrae, supramodum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus, quae videntur, sed quae non videntur.

Haec vera et unica Christianorum scientia est, ad quam vocati et electi sunt a Christo, sicut ait ad discipulos Iohan. 15, 16: „Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ideo etiam eos exercet et mortificat, quo uberiores sint eorum fructus.

Ad hunc modum tractat hosce sanctissimos Patriarchas, ac si nesciret eos, et tamen suam gratiam et misericordiam effundit in avum Isaac, patrem Iacob et Ioseph filium; sunt enim Deo acceptissimi et gratissimi sine ullo dubio. Verum ista caritas et benevolentia ita absconditur, ut Deus ne hostium quidem suorum quemquam atrocius puniverit, et ne ipsos quidem parricidas, qui Ioseph vendiderant, neque Ismaelitas aut Midianitas emtores.

Sic nimirum excitat et assuefacit Sanctos ad cogitationem mirabilium consiliorum Dei. Reliquos vero sinit crescere, voluptuari, usuras et rapinam omnis generis securissime exercere, illorum cupiditatibus indulget, non castigat, nec reprimit securitatem et conatus impios. Sed o tristem et infelicem indulgentiam. Longe beatiores sunt, quos in luctum, in miseriam, in mortem conjicit. Et tamen addit promissionem, dicens: Habes promissionem, ea sis contentus. Si esses abjectus, non darem tibi promissionem, non juberem,

te mihi fidere. Si vellem te damnatum in aeternum, non absolverem, non baptizarem, non vocarem te in consortium filii mei. Sed, quia habes Sacramentum, habes Evangelium, memineris verborum meorum (Matth. 5, 4.): Beati, qui lugent, quoniam consolationem accipient, item: (Matth. 5, 11. 12.) Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum verbum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis etc.

Neque vero coelestia tantum et aeterna praemia recepit Iacob, verum et temporalem mercedem, longissime omnem spem et cogitationem superantem. Factus enim est pater regis Aegypti et Episcopi ac Doctoris multorum populorum per momentaneam hanc et levem tentationem. Hoc corporale etiam et insigne praemium est patientiae et constantiae in adversis. Itaque solet Deus abscondere faciem, manumque suam subtrahere a sanctis et dilectis suis, et sinit eos lugere, vendi, conjici in carcerem, mori, non aliter, ac si hostes Dei essent, quos quidem magis curare videtur, quam hos, non quod re vera sic affectus sit, ut in speciem apparet, sed, quia hoc quasi ludo in operibus manuum suarum delectatur. Ita enim ait: „Quos diligo, castigo."

Haec diligenter consideremus, ut postquam coepimus credere et sperare vitam futuram, datam per verbum et Baptismum, quicquid inde malorum evenerit, discamus patienter ferre, et statuamus, non temere, sed paterno consilio fieri omnia ad salutem nostram, id quod finita tentatione demum intelligimus. In ipsa epitasi et paroxysmo non intelligitur, quia sensus carnis abripit nos a promissione. Non venit in mentem

homini in tribulatione et angustia constituto: Sum baptizatus, habeo promissionem Dei, sed animus prorsus obruitur querelis, luctu, lacrymis secundum carnem. Oportet autem crucifigi et mortificari carnem, quia impedit intellectum promissionis et veritatem verbi Dei, quae conspicitur in tentatione, si firma fide retinetur. Sequiturque illud, quod in Psalmo dicitur: „Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.“ Deus sinit, tentari nos, ut habeat locum saturandi, consolandi, inebriandi, exhaustos omnibus viribus omnique praesidio destitutos, alioqui enim oscitantes et cum fastidio verbum audientes prorsus torpescimus. Sauer macht essen, spricht man. Der Hunger ist ein guter Koch.

Videntes vero eum a longe, antequam accederet ad eos, insidiabantur ei, ut illum occiderent, et mutuo loquebantur: Ecce somniator ille venit; nunc igitur venite et occidamus eum et projiciamus eum in unam cisternarum dicemusque: Fera pessima devoravit eum, et videbimus quid illi prosint somnia sua.

Deus tacet ad impia et cruenta consilia istorum fratrum, non turbat, nec impedit ea, caecus est, surdus est, non videt, non audit, non sentit, et tamen dixit: Ero protector tuus etc.

Magna vero miseria est videre in ista domo et ecclesia, quae unica et sanctissima tum fuit in toto orbe terrarum, tam turpes et prodigiosos foetus, in qua, Isaac summo Patriarcha docente, singulariter florebat verbum et promissio de Christo, regnabat Spiritus sanctus et pulcherrima exempla pietatis, disciplinae, et conversationis domesticae lucebant et ex

ea tamen adeo horribilia monstra existunt. Iacob enim subjectus est cum universa ecclesia sua Diabolo et omnibus angelis ejus, adeo ut non alieni, non hostes, non haeretici, sed filii ex ipso nati et educati et docti in verbo occidant fratrem innocentem.

Mira profecto res est, superans omnem eloquentiam et cogitationem humanam. Mich dunckt, es sey noch ärger, denn Cain und sein Bruder. Videntur mihi crudelitate vincere primum parricidam Cain. Tot enim fratres unum Ioseph adolescentulum, qui nondum attigit annos juventutis, tam inique et immaniter oderunt sine ulla causa aut culpa ipsius. Quod enim hoc peccatum est, quod habuit duo somnia, quod patri unice carus fuit, et ad eum detulit infamiam fratrum? Ibi mera innocentia pietas et simplicitas omnesque amoris justissimae causae sunt. Was kann er darzu, dafs er Somnia hat gehabt, etc. Et tamen fratres nati et educati in sanctissima domo et disciplina severissima Patriarchae, ita facinati sunt, ut tam pium fratrem et una cum ipso patrem grandaevum occidant. Hi nimirum sunt patricidae, matricidae, fratricidae, de quibus Paulus 1. Timoth. 1, 9.

Pater sedet in Hebron, animo quieto et securo, cogitat tranquilla et salva esse omnia; in ista securitate et spe odio fratrum perit filius Ioseph et pater cum eo. Quid ergo nos miseri in hac vita non expectabimus, siquidem etiam a domesticis, a filiis et propria carne plus malorum est, quam vicinis aut alienis? Zacharias canit Luc. 1, 71: Salutem ex inimicis nostris etc. At hic Iacob rectius optaret salutem ex amicis et filiis. Talis enim describitur vita nostra subjecta vanitati, Diabolo et omnibus malis, adeo ut a nostris amicis, filiis, domesticis, illud timendum sit,

ne sint nobis causa mortis aut luctus perpetui, qui tristior est morte.

Sic enim filii Iacob habuerunt praestantissimos doctores Ecclesiae et Prophetas, e quibus quotidie audiverunt verbum Dei, promissionem, legem etc.; viderunt optimos mores et exempla honestatis plurima, tamen aranei illi ex pulcherrimis flosculis et rosis nihil aliud suxerunt, quam venenum. At vero si nec monitis, nec exemplis emendari, et ab immani scelere deterreri se passi essent, tamen optimo parenti et sanctissimo avo debuissent parcere. Sed Deus seculi excoecavit eos, ut nec audire neo videre possint.

Accedit huc gravissimum scandalum, ortum ex hoc flagitio apud vicinos Ismaelitas, Midianitas et reliquos, ad quos necesse fuit famam hanc permanare. Illis enim venditur Ioseph a fratribus, ideo haud dubie cogitarunt: Ecce isti sunt filii benedictionis, nos ejecti sumus ex ecclesia Abrahae, tanquam reprobi et alieni a promissione et ecclesia; hi scilicet sunt haeredes illi, qui tantum scelus perpetrarunt.

Haec sane gravissima offensio fuit in cordibus eorum, unde non aliud concluserunt, quam inanem esse gloriationem de benedictione et se potius cum suis veram ecclesiam esse, in qua non exstent tam tetra exempla turpissimorum scelerum. Ex fructibus enim agnoscitur arbor. Neque vero levius fuerat offendiculum ex stupro Dinae ortum. Ea igitur haud dubie magis afflixerunt Iacob, quam malum ipsum per se. Quemadmodum hodie magis urimur, magis lugemus scandala in nostris Ecclesiis excitata, quam Papistarum et Tyrannorum persecutionem. Neque enim tantum nocent Ecclesiae Pontificii, quantum falsi fratres, qui eandem fidem, doctrinam, spem, invocatio-

nem jactant, utuntur iisdem Sacramentis, et sunt nobis simillimi. Ideo Papistae talibus scandalis moti, rident nos, et dicunt: Es sind Buben in der Haut. Mordent se invicem et invicem consumentur.

Est igitur Iacob exemplum patientiae et cogitationis de consiliis mirabilibus Dei super nos. Ac voluit Deus hoc scribi et in Ecclesia legi et doceri, ut discamus, quo modo mirificet Sanctos suos atque ita regat, ut ipsi etiam Sancti non possint comprehendere consilia Dei, quibus ducuntur, non aliam ob causam, quam ut mortificetur caro, sensus et intellectus ac sapientia nostra, et nos assuescamus simpliciter clausis oculis ejus promissionibus confidere, etiamsi dissimulet se nostri curam gerere, et prorsus diversum appareat. Sicut dicit sponsa in Canticis: Stat post parietem, er verkreucht sich, und versteckt sich hinter das Tuch, et sicut in templo puer duodecim annorum e parentum conspectu se aufert. Eodem modo se gerit erga pios, ut videatur prorsus nos nescire, etiam post datas promissiones, post foedus certissime nobiscum initum, tamen sinit nos ita perire, ac si oblitus sit promissionis suae, nec curet nos, sed habeat pro abjectis.

Haec igitur est sapientia Christianorum, sustinere divina consilia et perseverare fide in promissione data; nam ea quidem satis certa et firma, et pactum Domini fidele est, juxta Psalmi 121, 4. sententiam: Non dormitat neque dormit, qui custodit Israel. Ratio vero humana respondet: Praeclare quidem et pulchre ista dicuntur, sed ego contrarium experior; non solum dormit, verum etiam stertit, imo plane nullus Deus est, qui curet aut respiciat nos. Sic Iacob est securus et certus de divina promissione, de foedere

et pacto immoto, ita tamen tractatur a Deo, ut neque ipse nec filius videatur habere custodes Angelos, qui resistant furori fratris. Omnes silent et sinunt Diabolum debacchari in sanctissimam Ecclesiam. Wo ist denn nu Gott?

Saepe igitur monemur, doceri nos ejusmodi exemplis, apprehendendam esse promissionem fide nec dubitandum de promittente Deo. Ut enim Deus mentiri non potest, ita non potest non curam agere nostri, praesertim si adhaeremus promissioni. Ea firmiter apprehensa, impossibile est nos deseri, propterea quod Deus est verax. Itaque cum sinit nos tentari, deduci ad inferos, mortificari, sicut cernimus in hoc exemplo Iacob, semper est recurrendum ad promissionem, et ex oculis removendum horribile illud scandalum, quo crucifigimur.

Iacob et Ioseph durissime exercentur plane diversa et contraria ratione a promissione, et nihil minus apparet quam cura et sollicitudo divina; non enim mittit Angelum, imo ne folium quidem arboris, quo reprimitur Diabolus, sed patefacit ei fenestram, ut saeviat crudelissime in patrem et filium.

Habet quidem promissionem amplissimam et hujus impletionem et experientiam in benedictione exhibita per duodecim filios, sed cum maximis difficultatibus, quae objiciuntur, conflictatur, ac si nec Deum, nec promissionem ullam habeat. Neque tamen derelictum eum fuisse statuamus; manet enim immota promissio, Isaj. 49, 15. „Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui; ecce, in manibus meis descripsi te“ etc. Cur igitur tam atrocia a carne, filiis, prole nostra objiciuntur? Respon-

deo: Hic est modus gubernationis divinae, et talis est vita Sanctorum in hoc mundo. Requiritur igitur sapientia et doctrina, superans omnem rationem et captum humanum, qua sic possim dicere: Baptizatus sum, absolutus sum a peccatis meis, comedi corpus, et bibi sanguinem Christi, habeo certissimum verbum Dei, ille mihi non mentietur, non fallet, utcunque omnia in contrarium ferri videantur.

Sic enim Iacob cogitavit: Videor quidem deseri, cum filius rapiatur, de quo intellexi promissionem, quae jam vocatur in dubium, tamen est tentatio tantum. Sed quotusquisque est, qui possit hoc praestare? Necesse igitur est mortificari carnem et sensum carnis et rationis, ac universam sapientiam humanam redigi in nihilum. Es mufs doch dahin kummen. Omnia per verbum facta sunt et reficiuntur; ex verbo conditi sumus, in verbum oportet nos reverti. Sophistae etiam sic locuti sunt, sed sine intellectu: Ad principium, a quo processimus est redeundum. Id speculative facile dicitur, sed practice sic extenuari, mori, abire in nihilum, ut nihil videatur reliquum, neque vitae neque sensus in carne, praeter verbum, hoc opus, hic labor est. Quando ego morior, descendo in inferum, pereo; quid faciam? Nullum auxilium restat praeter verbum: Credo in Deum etc. id firmiter retineo, utcunque irascatur, deserat, occidat, deducat ad inferos. Quare? Quia ego sum baptizatus, absolutus, usus sum sacra communione; huic verbo credo. Gott geb, es brech Himmel und Erden etc. tamen verbum, promissio et Sacramenta non sunt propterea abjicienda aut abneganda, si vel ad inferos dejiciar.

Haec non sunt speculabilia, sed sumta ex medio rerum usu et experientia, nec semel tantum in vita

audienda aut cogitanda, sed saepe repetenda et exercenda sunt. Semel sum baptizatus, sum receptus in promissionem divinam; quotidie absolvor, et audio mihi annunciari remissionem peccatorum, erigor verbo Dei, sum in regno gratiae et salutis. Quid fit? Tot et tanta mala et monstra indies mihi occurrunt, ut si nihil aliud praesidii vel consilii haberem, quam rationem et carnem meam, statim aut laqueo aut quovis alio telo vitam finirem: tam infinitae artes sunt Diaboli, omnes anguli sunt pleni mille generibus mortis, insidiarum, gladiorum etc.; tamen oportet, quantumcunque nubium et caliginis obstet, in lucem verbi et promissionum perrumpere et dicere: Nu in Namen Gottes. Ego peccavi, fateor, sed tamen credo me esse baptizatum, et sedere Christum ad dexteram patris.

Hic est gemitus ille, quem vult Deus exsuscitari in cordibus Sanctorum, ne fiant securi et torpescant, ac pereant ἀκηδία et pigritia spiritus. Sic enim excitatur spiritus, acuitur fides, crescit agnitio Dei, et renovatur novus homo de die in diem, et discitur, quae sit voluntas Dei bona et perfecta. So ist es dem Mann auch gangen. Nunc morietur sanctissimus vir, haec fuit novissima tentatio, quae procul dubio eum confecit; nam reliquam vitam transegit in summo moerore, in tenebris et umbra mortis. Talis enim vita in perpetuo et tristissimo luctu non est vita, sed mors; ubi sol nigrescit, neque somnus nec cibi dulces sunt, neque quidquam eorum, quae hominem exhilarare solent, adlubescit. Ea certe est ipsissima et continuata mors. Darumb geht nu hie Jacob zu Grund. Ultimam tentationem sustinet Iacob, quae occidit eum, quia amissus est dilectissimus filius, primogenitus e prima uxore. Simul etiam vulnus illud recrudescit ex

caede Sichimitarum et stupro filiae, et recens est dolor ex morte matris Ioseph admodum miserabili. Postremo Ruben stuprat Bilha; hae quatuor tentationes, alia post aliam, triennio se subsecutae sunt continuo. Das ist ja ein armer Mann, in cujus sanctissima domo, ubi regnat verbum et Spiritus Sanctus, tanta potentia Diabolus praevalet, ut vix ethnico alicui scelerato tristiora accidere potuissent. Ich wufst nicht, wie es einem übler gehen sollt, der ein Heid wär. Si Julio Caesari, Octavio aut Alexandro Magno haec accidissent, profecto satis indigna et atrocia essent.

Sunt omnino grandia et horrenda, quae ego pro dignitate tractare non possum, es ist mir zu hoch. Ergo nos nihil metuamus, es kumm was da wöll, so kanns uns so übel nicht gehen, als dem heiligen Mann, non possunt nobis his duriora accidere. Nondum pervenimus ad istas passiones et crucifixiones hujus Patriarchae; etiamsi Turca diripiat, vastet, occidat nos, ne conferenda calamitas erit ad aerumnas Iacob; quin etiam Martyrum cruciatus non sunt comparandi, quia patiuntur pleni Spiritu et gaudio, sine luctu, sine moerore, insuper etiam insultantes tyrannis; passio eorum unius momenti est, hic occisio perpetua fuit, quae duravit XXII annis, usque ad descensum in Aegyptum.

Sic igitur mirifica sunt consilia divina, quibus reguntur Sancti, grassante Satana immaniter et simul Spiritu Sancto praesente, custodiente, docente, exhortante et servante Ecclesiam. Quanquam enim deseruntur pater et filius, tamen, ut antea dixi, retinent verbum totis viginti annis, quibus vivit uterque in morte, id est, in sola promissione et verbo.

Haec vero miserrima vita est secundum carnem,

re ipsa enim moritur pater et nihil videt nisi filii mortem et suam; ideo dicit infra: Lugens descendam ad infernum. Ioseph autem insuper in carcerem conjicietur, accusabitur de adulterio, quasi non satis malorum sit in exilio, servitute, et quod a carissimo parente et familia avulsus est, ita mors super mortem, infernus super infernum ingruit et tamen Ioseph vivit. Quare aut quomodo vivit? Quia audivit promissionem Dei et paternas conciones. Deus promisit Abrahae, Isaac patri meo, se fore Deum seminis et filiorum ejus usque in sempiternum. Hae promissiones servaverunt et erexerunt patrem Iacob et filium Ioseph, qui fuit instar boni fomitis, ignem facile excipientis, neque unquam recessit a verbis patris; ego sum filius Iacob, cogitavit, cui promisit Deus, se curam mei acturum; id firmiter credo, tametsi omnia feruntur in contrarium.

Caeterum has vitas et exempla Patrum miseri Papistae non intelligunt; audiunt Iacob habuisse uxorem, vaccas et ea tanquam carnalia aspernantur. Agite vero, hoc exemplum propius considerate, quam miser homo sit Iacob secundum carnem, et lampadem illam, quae lucet in loco tenebricoso, ante oculos Ioseph et Iacob; ibi enim haerent, ibi vivunt tam longo tempore, viginti duobus annis, in exilio et inferno ipso, quamquam Ioseph decennio ante excitatur ab inferis, tamen interea carendum est consuetudine suavissima patris. Itaque in Patribus spectanda est promissio et fides in promissionem, qui tantas aerumnas potuerunt ferre nullo alio praesidio, nisi quod habuerunt hanc vocem: Ego Dominus Deus tuus, protector tuus, noli timere, confide, tecum sum, te defendam.

Sicut nobis dicitur in Baptismo, in absolutione,

dulenter et insidiose hoc agebant, ut occiderent Ioseph arte quadam et calliditate, ne pater resciscerent factum, nec ipsi culpam sustinerent, Malach. 1, 4. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile domino. נוֹכֵל est astutus, vafer. B von M et similes veteratores, qui dolos struunt, et fraudibus suis involvunt omnia, sed astu et calliditate tegunt. Sicut germanice dicimus, wischen das Maul etc. Wer hats thun? Der Niemand. Nemo est, qui in oeconomia et politia omnia turbat et pessumdat.

Sic isti faciunt, occidunt sanctissimum adolescentem, ita tamen ut videantur ipsi innocentissimi et extra omnem culpam, quin etiam luctu patris valde se affici simulent. Non possunt eum aperta vi interficere, quia pater rescivisset, quem volunt celare facinus, igitur malitiosum consilium ineunt ut perdant eum, et tamen non videntur ipsi autores caedis. Sic faciemus, cogitant, occidamus eum et dicemus laceratum esse a bestia, a leone, urso, lupo; nos nihil scimus de ejus interitu, dicamus nos invenisse vestem cruentam in via, eam mittemus ad patrem, ut videat, sitne vestis Ioseph an non? nos certe nescimus, ubi aut quando perierit.

Pulcherrimum vero hoc mysterium et imago est populi Israelitici. Iudaei enim tales נוֹכְלִים sunt, ut apparet in Saule et Iudaeis coram Pilato, qui negabant se interficere quemquam. Hi sunt נוֹכְלִים et nemo ille, qui dant damnum, et tamen laudem innocentiae et justitiae captant. Haec mihi videtur vis et significatio vocabuli.

Vide autem, an non fuerint fratres hi obsessi a Diabolo, cum tam astute exitium fratri machinentur, tamque scelerate parenti illudant. Quamquam satis

pie crediderim non omnes fuisse adeo perditos, sed praecipuos duces sceleris fuisse Simeon et Levi; Iudas et Ruben non videntur volentes consensisse, sicut in narratione Mosi Ruben excusatur, et Iudas potius vendendum suadet, sed duo illi fixum destinatumque animis habuerunt occidere et delere fratrem: reliquos vero, Gad, Aser, Zebulon, Naphthali, Isachar aetas excusat; nam haec gesta sunt anno aetatis Ioseph XVII, Iuda fuit tum annorum XX, Levi XXI, Simeon XXII, Ruben XXIII, reliqui sub Ioseph fuerunt minores natu. Isti ergo fuerunt duo proceres et domini; Simeon et Levi sein die Junckherrn zu Hof, pestes hujus domus. Ceteri non resistunt, et involvuntur eidem peccato per illos pestilentissimos nebulones. Ja lieber Herr Gott, es geschicht oft, ein Bub kann wohl eine ganze Stadt irr machen.

Ruben resistit nefandis conatibus, sed contemnitur a fratribus, amisit enim autoritatem propter incestum, ac tanto quidem illi fuerunt confidentiores, cum se justos et sanctos esse, et propterea ad se pertinere gubernationem domus et ecclesiae jactitarent.

Prodest autem haec valde exaggerari ad correctionem et consolationem Ecclesiae, siquidem tanti viri filii tam atrox facinus tam secure machinantur, et simul etiam seducunt, et eidem sceleri implicant alios fratres, ut conspirent in necem Ioseph, ob hanc solam causam, quod recitarat duo somnia et carus fuerat patri. Ibi sublata et exstincta sunt prorsus omnia officia primae et secundae tabulae, nihil reliquum est praeter gentilissimam barbariem: Deus non timetur, imo irridetur et crucifigitur; deinde omni jure appellari possunt matricidae, patricidae, avicidae, proavicidae, credo enim Isaac multo diutius potuisse vivere,

si absque hac calamitate fuisset. Sic honestissimae matronae, Rahel, Rebecca, Debora, si fuissent superstites, dolore animi exstinctae essent, ac praeclare cum iis actum est, quod ante hanc calamitatem exemtae sunt rebus humanis; nam hoc anno si vixissent, non potuissent tantum dolorem ferre, cum lacrymis comas lacerassent, ac continuo luctu et moerore periissent. Sic igitur unico delicto hi filii inobedientes multis gravissimis sceleribus involvuntur.

Discite igitur vos adolescentes obedire parentibus, praeceptoribus, senibus etc. Ingens enim et horribile peccatum est, ac causa infinitorum malorum inobedientia liberorum, siquidem occidit parentes, fratres, avos et totam generationem, et crucifigit filium Dei, hüt euch.

Quomodo poenituerint Simeon et Levi, non constat ex sacra scriptura, sed credo magnam partem poenitentiae et poenarum fuisse, submersionem illam masculorum in Aegypto. Et potuit Deus singulos suo loco punire et affligere, ut et ipsi vicissim flerent, ejularent, lacerarent comam, ac fortassis graviora passi sunt, quam nos possumus cogitare, quae non sunt scripta. Verisimile tamen videtur Deum parem aut similem poenam delicto exegisse, cum proponeretur edictum a rege Aegyptio de abjiciendis masculis Israeliticis in flumen, ac si diceret Deus: Vos fratrem Ioseph in foveam sine aqua conjecistis, ego vicissim efficiam, ut vestri filii in flumen conjecti pereant.

Sequitur enim tandem peccatum satisfactio, non illa Papistica, sed vindicta divina. Ignoscit quidem Deus et remittit peccata, sed ne dormiat, neve fiat securus peccator, et glorietur tanquam re bene gesta, venit Deus cum virga ferrea, et visitat iniquitatem

patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. Quare? Non quod per istam poenam satisfiat pro peccato, non enim saturatur poenis, nec respicit nostras satisfactiones, sed ideo punit, ne peccator stertat securus, aut glorietur in malitia, sed ut mordeat nos peccatum, ut mortificet, et cogat magnitudinem sui agnoscere, flere, suspirare et implorare gratiam et condonationem gratuitam, promissam lacrymantibus, flentibus, poenitentibus et agnoscentibus peccata.

Quod si non puniret Deus, non solum stertere-mus neglecto peccato, sed cumularemus quotidie alia et longe majora. Peccatum dormit in foribus sicut ad Cain dicitur, sed evigilabit aliquando de improviso et crucifiget te, non tamen in perditionem aut damnationem, sed ad poenitentiam et resipiscentiam, ut agnoscas peccatum, gemas, clames et invoces misericordiam Dei. Also werden sie es wohl bezahlt haben. Ita, haud dubie satis graves poenas luerunt peccatorum suorum Israelitae, ut significatur in historia Exod. 1. Sicut enim fratrem, patrem, matres occiderunt, ita vicissim passi sunt infinita mala in Aegypto sub tyrannide Pharaonis, Pharao mustert sie recht in Egypten, ut meminerint, quantum scelus commiserint, neque putent rem leviculam esse peccatum.

Nisi enim nos diligenter et recte aestimaverimus magnitudinem peccati, Deus ipse aestimabit; si nos ipsos non judicaverimus, Dominus judicabit; et tamen magnum beneficium est, quod ad salutem judicat et punit, non ad damnationem, sicut Iudas et Saul judicati sunt. Quod si otiosus cogitas: quid tum, etiam si offendi parentes? Ibi sane dormit peccatum, sed evigilabit, teque impellet, ut dicas: Vae misero mihi, quid feci? quare contempsi Deum in patre, in matre,

in praeceptore meo, quare non obtemperavi eorum monitis? Das wird endlich kummen, es kann nit ausbleiben.

Sic saepe de sponsalibus clandestinis severe admonemus, utrinque ea cavenda esse puellis et adolescentibus; sed videas multos caeco impetu amoris ruere etiam contra conscientiam, et rapere, non ducere uxores, aut nubere invitis parentibus. Isti quid aliud faciunt, quam quod polluunt se horribili et mortali peccato? dormit id quidem ad tempus, puella placet, animus ardet ejus amore, ut nihil aliud cogitet nec somniet dies noctesque. Sed exacto uno aut altero mense, sequitur tandem suspirium et gemitus, sicut Abigail ad David inquit 1. Sam. 15: Erat anima domini mei colligata quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum etc. non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum sive offendiculum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium etc. Tales scrupuli perpetuo exagitant conscientiam: Ego tamen duxi eam invitis parentibus. Da kumbt hernach daraus das Krauen im Nacken, das schwarz böse Hundlin der Reuling, das beifst dein Lebtag, hört nicht auf, etiam si sit remissum peccatum.

Apud eos vero conscientiae dolor gravior fit, qui jam sciunt voluntatem Dei, non debere contrahi conjugia absque consensu parentum; nam antea cum nesciremus praeceptum divinum, ignorantia aliquo modo excusationem habebat, at nunc quanto melius erat inire conjugium consensu et voluntate parentum, ut cum puella dormiens cum gaudio et bona conscientia sine ullo scrupulo et singultu eam amplectaris, ridente et favente Deo et parentibus, quam furtiva et clandestina conjunctione frui? ubi cum perpetuo dolore

animus male sibi conscius illud obmurmuret: potuissem ea potiri et frui volentibus et gaudentibus parentibus, quare igitur contristavi Deum et homines? Non enim desinit oblatrare et mordere conscientiam canicula illa nigella nimis serae poenitentiae, utcunque noris tibi remissa esse peccata.

Ac saepe nobis, qui in ministerio ecclesiae sumus, multum negotii est cum talibus conscientiis perturbatis et oneratis hoc genere peccati, donec eos erigamus et consolemur: iure igitur irascimur jureconsultis et eorum canonibus, qui harum perturbationum auctores existunt, incendunt domos, et relinquunt eas postea nobis restinguendas; facimus vero quod possumus, absolvimus et consolamur oneratos peccatis talibus. Noch bleibts nicht aus das schwarz Hündlin, tamen integrascit dolor, quoties aliquid incommodi in oeconomia objicitur, cum filius aegrotat, uxor infeliciter parturit, moritur etc. in promptu causa est totius mali, contemtus parentum, quem statim oblatrat canicula: qua absente aequiore animo toleramus omnis generis difficultates, animus est quietus et tranquillus, scit hoc genus vitae placere Deo, ludit securus cum conjuge, et certus est omnes actiones Deo probari nec commovetur aut terretur facile, si quid etiam adversi accidit.

Haec exempli causa dico; accommodanda vero sunt ad omnia alia delicta, ad quae sine dubio tandem sequitur dolor conscientiae, etiam in securissimis et maxime efferis; ejusmodi enim habitus est, qui difficulter removetur a subjecto. Darumb lieben Kinder sehet euch für, es kumpt, hütet euch, ihr seyd noch jung, nescitis quam crudelis bestia sit mala conscientia, adsuefacite animos ad obedientiam erga parentes

et praeceptores. Es ist gar ein fein Ding, wie Iuvenalis sagt, „nulla pallescere culpa." Nihil prius neque optatius est, quam vivere vitam Deo gratam et jucundam parentibus; ego multa exempla afferre possem, quae et ipse sum expertus, et in aliis vidi, quantum malum sit conscientia peccati, quae propter brevitatem omitto.

Quia hoc simpliciter statuendum est, peccatum esse mortem et damnationem ad mortem; damnatio vero est duplex, irae et gratiae: si est damnatio irae, ibi tanta vis peccati sentitur, ut sine ullo remedio aut consolatione obruat et perdat conscientiam, sicut accidit in Iuda, Saule et omnibus desperatis; ab ea liberet et custodiat nos Dominus! Altera damnatio est gratiae, de qua Paulus dicit, 1. Cor. 11, 31. Si nos judicaremus, non judicaremur a Domino, ubi Deus conservat damnatos per verbum et promissionem, per verbi consolationem et ministerium. Quando adest pastor Ecclesiae, aut quilibet minister verbi, et erigit illam conscientiam, tamen quantumcunque erigatur, subinde redit gemitus contra voluntatem et omnem sensum consolationis. Scio quid mihi accidat, quando in memoriam revoco anteacta totius vitae meae; etsi enim novi mihi remissa esse peccata, tamen redit פּוּקָה illud: non possum esse sine singultu, sine pudore et rubore. Pfu dich, was hab ich gemacht etc. non sum mihi quidem conscius de stupro alienae conjugis, homicidio aut similibus enormibus flagitiis, ibi non potest mordere canicula, sed in aliis remordet etiam sanata conscientia et obducta cicatrice.

Aliis igitur peccatum evigilat in damnationem, aliis in castigationem ad poenitentiam, ut erudiantur et convertantur, ut clament et salventur, sicut Manasse

peccatum excitatum est, sed in gratiam et salutem, item Petri, Pauli, Magdalenae; sed isti tamen feliciores sunt, qui vivunt sine singultu et suspiriis, ut pii conjuges, qui certi sunt de consensu parentum; quaevis mala multo facilius tolerant et vincunt laeta et bona conscientia, quam alii qui autoritatem parentum contempserunt.

Horum vero נֹוכְלִים peccatum jam quiescit, dum immane et infandum scelus perpetrant, et proponitur exemplum hoc, tum in nostram consolationem, tum terrorem impiorum et securorum. Illi quidem misericordiam consecuti sunt, ut tandem gemerent, suspirarent et satisfacerent, non Papistica satisfactione, sed divina, quae est damnatio ad mortem, ita tamen ut excitetur peccator ad clamandum, et ad implorandum misericordiam Dei exhibitam in Christo. Sic Ninivitae convertebantur et jejunabant, verum jejunium illud non fuit poenitentia et satisfactio eorum, sed gemitus ille, (ne forte pereamus) fuit ad salutem, ne esset damnatio ad mortem.

Addunt vero ad atrox consilium etiam acerbissima verba: Ecce somniator ille venit. Ille significat despectum amarissimum; nam cor eorum et lingua plena est diabolica malitia et acerbitate, et ad hos נֹוכְלִים omnino conferendus est episcopus ille in vicinia, qui bonum et pium concionatorem M. Georgium foverat et audierat docentem in aula, quem postea clam curavit interfici, et post caedem factam simulavit se ignarum facinoris hujus esse, et magnum dolorem ob caedem injustam prae se tulit.

Cum primum igitur aspexerunt fratrem, quem debebant amare, hilari vultu excipere, defendere praesertim hac aetate et innocentem, protinus odiose et vi-

rulenter de eo loquuntur: Ecce iste בַּעַל somniorum, sic enim in Hebraeo est, id est, dominus, magister ille somniorum, der schändliche Dichter, der Träumer kumpt. Impingunt ei hanc culpam, quod sit autor et fictor somniorum.

בַּעַל significat dominum, maritum proprie, ein Hauswirth. Isai 1, 3.: „cognovit bos dominum" etc. et in Deut. „si videas asinum errantem, reduc ad Dominum suum." Hinc cultus Baal, celeberrimum idolatriae nomen invenit, deligebant enim idolatrae illi praestantiorem cultum usitata ratione colendi Deum, volebant eum habere maritum, sollt ihr Buhl seyn. בַּעֲלָה significat amatam; non sumus contenti, dixerunt, quod sit dominus noster, sicut aliorum dominus est, sed ut sit noster בַּעַל, unser Buhl, volumus esse meliores aliis. Ideo festa instituerunt, et certa sacrificia sicut monachi apud nos, qui non contenti cultibus spiritualibus fidei, caritatis, spei, etc. excogitarunt praeterea novas formas vestium, discrimina ciborum, temporum, locorum, quod ipsi perfectionem vocarunt, quasi non essent vulgares Christiani, sed Angeli longe supra Christianorum vulgus positi.

Videmus igitur quam acerbe interpretentur somnia simplicissimi et optimi adolescentis, quasi astu ab eo conficta sint, ut aliis praeriperet regnum et sacerdotium; ita augent flammas injusti odii; non enim poterant id ferre Simeon et Levi. Ruben erat abjectus propter peccatum, Iuda erat minor natu, ideo ad neminem praeterea pertinet dominium, dixerunt, quam ad nos duos, me Simeone mortuo, succedet Levi; hi sunt magistri improbi et histriones hujus tragoediae, et infra suis coloribus et poenis a Patriarcha Jacob depinguntur: „Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis in

tabernaculis eorum; in consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea etc. dividam eos in Iacob, et dispergam eos in Israel." Tota tribus Levi nihil habuit proprium, in tribu Simeon tantum fuerunt pauperculi scribae et ludimagistri, sicut Iudaei etiamnum dicunt non esse scribam in toto populo, nisi in tribu Simeon; grassata igitur est haec poena paupertatis et mendicitatis in utramque tribum, quamvis peccatum per poenitentiam esset condonatum.

Atque ita ad summum locum et regium fastigium viam affectantes, miserabiliter dejecti et ad perpetuam inopiam redacti sunt; lis enim est de primogenitura, sive de dignitate regia et sacerdotali; haec est causa tantorum certaminum et odiorum, qua impelluntur fratres ad immane scelus, longe superans parricidium Cain, qui ob eandem causam fratrem Habel occidit, quia sacrificia ejus approbabantur divinitus, sua vero rejiciebantur, darumb mufs er sterben. Sic Ioseph somniat se futurum principem et sacerdotem, et manifesta significatio est somniorum, ideo tam graviter commoventur, ut dicant: Nunquid dominando dominaberis etc.

Idem adhuc solet accidere inter fratres, quorum concordia rarissima est, in divisionibus haereditatum; inter alienos facilior est consensus quam inter fratres. Ioseph certe propter hanc praerogativam moritur, quae tamen omni jure ei competebat, erat enim primogenitus de primaria conjuge, primum petita et adamata a Iacob; Lea post hanc per fraudem obtrusa est, nunquam expetita, nec amata: tamen duo isti nebulones conantur praeripere dignitatem, et patris voluntate et jure nativitatis debitam Ioseph; sunt profecto pejores Cain, longe atrociora sunt peccata horum illius parri-

cidio; non enim cogitant se conturbaturos esse miserum et senem patrem, qui tot malis hactenus propter ipsos jactatus fuerat ab initio conjugii, nullus sensus, nulla cogitatio reliqua est, schlecht mit dem Kopf hindurch, er mufs sterben, das ist der Teufel.

Idem fecerunt deinde posteri eorum Iudaei; nulla ratione habita tot et tantorum miraculorum editorum a Christo, subinde ingeminabant, nolumus hunc regnare super nos, vult nos docere, vult esse noster pontifex, sacerdos, rex, dicit se esse filium Dei, tolle, crucifige eum; eadem obstinatio est omnibus temporibus in iis, qui repugnant veritati et ordinationi divinae; idem enim hodie sonant Papistae: nolumus regi aut doceri a quoquam etc.

Reliqui vero fratres non sunt autores hujus satanici consilii, sed tamen implicantur simul, ut solet fieri in mundo; et postquam animos obfirmarunt de trucidando fratre, porro etiam callidissimum consilium ineunt, quomodo et facinus suum et cadaver interfecti occultent. Ac vide, quaeso, quam horribiliter excoecati sunt et obsessi a Satana, conjungunt enim parricidio mendacium, adeoque nihil omittunt peccatorum, praesertim contra secundam tabulam et primam, excepto adulterio.

Si quis igitur velit exaggerare peccatum eorum, habebit amplissimam materiam: impingunt enim in totum decalogum, patrem orbant universa posteritate, possessionibus, gloria et, si potuissent, etiam promissione; contra sextum praeceptum non delinquunt, sed reliquis peccatis omnibus prohibitis in Decalogo prorsus immerguntur et obruuntur; item conturbant, et in miserabilem luctum conjiciunt totam familiam, ac in primis patrem et avum, qui videt calamitatem nepotis,

et nescit quis sit auctor, Ismaelitae et Midianitae norunt, sed maximo scandalo totius ecclesiae.

Itaque callidissime se ornant et dicunt: Projiciamus eum in unam cisternam, et dicemus: Fera pessima devoravit eum. Ibi nulla ratio, nec cura fraternitatis habetur; crudelissimo certe hosti in mentem venisset, esse hunc fratrem, eique a fratribus parcendum, sed occidunt eum et sepeliunt in cisterna, et excusationem sceleris fingunt apud patrem et alios: Nos non occidimus, bestia devoravit eum.

Hic iterum locus est cogitandi de mirifico consilio Dei, quod a nobis haud quaquam aut tenuiter saltem et obscure conspicitur; si enim irascitur Deus, ut apparet, non ex animo irascitur, sed servat misericordiam et veritatem per nos, ut de eo testatur scriptura sancta, tales promissiones lucent in his tenebris, et loco admodum caliginoso; deinde aliud consilium Dei est, quod sinit fratres Ioseph struere dolos, et magna sapientia occultare parricidium, sicut Cain putabat caedem Habelis tectam et Deo et hominibus ignotam esse, ita hi non dubitant caveri posse, ne pater resciscat, sed his consiliis et dolis callidissimis, de quibus sibi valde gratulantur, prorsus dementantur et excoecantur.

Sicut hodie Turcam, Papam sinit Deus sapere et fraudes nectere, ac dat eis mirabiles successus, sed hoc ipso ad insaniam eos redigit, quando videntur sibi sapientissimi. Sed haec quis videt? Nam nos potius infirmi, stulti, abjecti sumus in mundo, lugemus et tristamur, illi gaudent et exsultant gloria sapientiae ac potentiae, denique imperio totius orbis. Verum qui habent Spiritum Sanctum, et norunt sensum Domini, idem judicant quod Psalm. 73, 18. dicitur,

„Certe in locis lubricis posuisti eos, dejecisti eos dum allevarentur;“ itaque omnes errant mente, qui sua sapientia et astutia nituntur, Episcopi, Cardinales, cum suis practicis stultissimi sunt. Sed nemo videt: nos videmus eos prorsus insanire et furere in omnibus consiliis suis et deliberationibus, sed non persuadebimus eis.

Quando igitur minantur nobis impii mortem, crucem, ferrum, ignem, quibus nos occidere et sepelire cogitant, certo sciamus, Deum qui dixit: „Ero protector tuus,“ ridere stultitiam eorum et contrarium moliri. Sic enim fratres Ioseph dicunt: Venite occidamus Ioseph, Deus econtra: Vivificate et servate eum incolumem; illi: sepeliemus in cisterna, hic, resuscitate eum; illi justitiae et innocentiae laudem sibi promittunt, hic econtra: Accusate vos ipsos, et in aeternam damnationem praecipitate: sic nimirum mutat Deus, et invertit consilia hominum, idque intelligunt, qui habent Spiritum Sanctum et auxilium divinum et liberationem ex periculis senserunt.

Atque haec est doctrina secundi Psalmi, qui consilia et conatus utrinque depingit. Reges terrae et principes fremunt et clamant: Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum, wir wöllen ihren Christum nicht ansehen, sed qui habitat in coelis ridet eos, et dominus subsannat eos; vestrum projicere et dirumpere est meum exaltare, suscitare, coronare, et constituere regem, das ist ihr Gewinn davon, vestrum sepelire est, meum suscitare ab inferis, et excusatio vestri sceleris est aeterna damnatio.

Quod igitur dicunt isti magna confidentia: „Et videbimus quid illi prosint somnia sua,“ postea sane viderunt suo magno malo, cum jam odium erga fra-

trem nefando facinore explevissent; vidit enim Deus quoque furores eorum, tametsi celari eum posse putarent. Discamus ergo contemnere minas et crudelia consilia hostium, et certo statuamus in coelis Deum diversissima definivisse, jamque eos irridere nobiscum vero ludere ut fidem et spem nostram probet, et exerceat, quamquam nobis admodum ingratus et acerbus ludus est, illis vero, quos subsannat, longe acerbissimus et tristissimus risus erit.

Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat: Non interficiamus animam ejus, et rursum dixit ad eos Ruben: Ne effuderitis sanguinem, sed projicite eum in cisternam illam, quae est in deserto, et manum ne miseritis in eum; volebat enim eripere eum de manibus eorum, ut restitueret eum patri suo.

Moses excusat Ruben, quod non conspirarit cum reliquis fratribus ad interficiendum Ioseph, sed pro virili se opposuerit eorum furori, cumque non posset eum prorsus liberare, id tamen egerit, ne occideretur; nam ne id quidem voluit ut projiceretur in cisternam, tametsi videatur suadere, sed quoquo modo vitam fratris servare conatus est: itaque reputatum est ei a Deo pro facto et perfecta liberatione quantum in ipso fuit, cum voluntas prompta et perfecta esset, et utrumque libenter impedivisset et caedem et abjectionem in cisternam, nam in hanc sententiam inquit Augustinus: „Coronat Deus intus voluntatem, ubi foris non invenit facultatem,“ et Christus hoc modo interpretatur quintum praeceptum: „Qui irascitur fratri, reus erit judicio, est homicida qui odit fratrem suum, quia

adest plena voluntas, quae cupit sublatum fratrem; tum enim opus perfectum est, quando voluntas est perfecta sive in bonum sive in malum.

Proinde Ruben insons est fraterni sanguinis, quamquam haec innocentia non liberat eum incestu quem antea commisit; ac videtur eam poenam hoc facto voluisse effugere aut mitigare, si forte patri rursum se insinuare posset, sed studium et humiliationem istam neglexit pater, et quamquam remisit peccatum, tamen mansit poena, sicut dicitur Germanico proverbio, Alte Schuld rostet nicht, aes alienum, quantumvis inveteratum, non contrahit rubiginem.

Sic reliqui fratres parricidii debitas poenas tandem exsolverunt durissima servitute nepotum, caede infantum masculorum, praesertim vero duae tribus Simeon et Levi singulariter a patre maledictae sunt, peccatum enim non ita condonatur et remittitur, quin sceleris ac conscientiae poena remaneat. Sic Davidis peccatum, tametsi audivisset ex Nathan: „Dominus transtulit peccatum tuum,“ tamen divina ultio satis gravis secuta est, seditio filii Absolon, qui patrem regno et omnibus bonis exuit, et omnes ejus uxores stupravit.

Caveamus igitur peccata omni studio et vigilantia, quia nunquam impune abeunt, nisi maxima poenitentia, et misericordia Dei poenae tollantur, sonst heifsts: Alte Schuld rostet nicht, et impendentibus periculis oramus: O Gott räche nicht alte Schuld; ne memineris domine iniquitatum nostrarum. Sic Simeon et Levi peccant liberrime, peccatum aliquamdiu sopitur, sed dormit in foribus, ut aliquanto post ad poenam excitetur; ibi tum repente adest et mordet, ut exclamet peccator, vae misero mihi, hanc poenam

meritus sum hoc vel alio scelere, auweh, das hab ich damit verdienet; horrenda igitur et tristis res est peccatum, trahens secum divinam ultionem, praesertim si nos ipsos non judicamus, sicut econtra benefacta nunquam carent suis praemiis.

Sic adhuc quidem incestus Ruben sopitus est, et nunc cupit inire gratiam apud patrem, sed non est tempus placandi patris, ideo nihil impetrat; antea cum posset abstinere a peccato, non continuit se, jam cum vult benefacere patri, ingratum est: coram Deo autem bonum opus fuit, quod conatur liberare Ioseph, et posset excusari sicut Iuda etiam. Sed pessimi nebulones Simeon et Levi sunt auctores et duces sceleris, ac propterea Simeon omnium gravissime luit; conjicietur enim postea in carcerem, quod praecipuus auctor esset hujus flagitii. Nec opinor Christum ab aliis occisum esse, quam ab his duabus tribubus, a gubernatoribus et scribis: ex tribu Levi fuerunt Pontifices, ex tribu Simeon Scribae; sicut igitur fratrem Ioseph excruciarunt, ita posteri eorum Christum crucifixerunt, ac fuerunt sceleratissimi cum tota sua posteritate.

Hieronymus alicubi dicit in enumeratione duodecim tribuum omitti Simeon propter Iudam proditorem; de Pontificibus certum est, fuisse eos ex tribu Levi, sed Hannas et Caiphas a Simeon descendit et Iudas dux eorum, sicut inquit Petrus Actorum 1, 16. Haec igitur est excusatio Ruben, qui intercedit pro Ioseph et orat ne interficiant animam ejus, nehm ihm das Leben nicht. Sic Isaschar, Zebulon, Gad, Asser etiam innocentes sunt, sed inducti auctoritate majorum fratrum consentiunt, sicut tempore Christi Pontifices populum pertrahunt ad se, et perducunt in suam senten-

tiam, ut jubeat eum crucifigi. Iam sequitur paroxysmus,

Factum est cum venisset Ioseph ad fratres suos, nudaverunt eum tunica sua, cum polymita, quae erat super eum; et accipientes eum projecerunt eum in cisternam vacuam, in qua non erat aqua.

Sequuntur fratres consilium Ruben, et conjiciunt Ioseph in foveam vacuam, quae non habebat aquam, quod hoc in loco a Mose paucis describitur, infra autem, cum in Aegyptum ventum est, a Ruben copiose repetitur cum gravissima reprehensione fratrum: *An non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, et non audiistis me?* Fuit haud dubie Ioseph pulcherrimus adolescens XVII annorum, qui est flos aetatis et suavissimum vitae tempus, sed subito nihil tale metuens rapitur ad mortem a fratribus, qui in eum impetum faciunt; du Verräther, du Böswicht, du mufst sterben. Et quamquam fieret supplex flexis genibus et manibus complicatis, gemens, ejulans, obsecrans per Deum, per omnia sacra et parentum pietatem et reverentiam, tamen nihil loci, nec precibus, nec lacrymis relictum videt, sicut fatentur ipsi: Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animae illius dum deprecaretur nos, et non audivimus, en sanguis ejus exquiritur.

Cogitate quam miserabilis facies fuerit adolescentis levantis manus et oculos in coelum et supplicantis cum lacrymis et gemitu fratribus, a quibus vidit se circumventum et jamjam trucidandum esse, quanta enim miseria est non alienorum aut hostium, sed fratrum manibus cadere; verum illi silice et adamante

duriores sunt, nec flectuntur angustia, singultibus et ejulatu adolescentis, quibus saepe etiam hostes motos esse compertum est.

Proinde non satis exaggerari potest crudelitas duorum fratrum, qui in viscera sua et sanguinem proprium tam immaniter saeviunt; Christi passio etiam tristis et atrox est, tametsi eam voluntate patris accidisse sciamus, sed horum truculentia longe major est, quos decuisset moveri naturali στόργῃ erga fratrem, sicut Ruben hunc affectum et amorem prorsus exstinctum iis excitare conatur, cum pro vita fratris deprecatur, sed nihil agit; etsi enim non statim jugulant adolescentem, sicut constituerant, tamen in cisternam abjiciunt, quod longe tristius et crudelius est, quia cogitant eum fame et siti enecare in solitudine ista: quanto tolerabilius fuisset subito interfici, quam tot cruciatibus tamque diuturnis objici? nisi quod divinitus conatus et consilia eorum turbantur; videmus enim eos qui durius affliguntur etiam optare praesentem interitum, ut quam primum malis quibus conflictantur defungi queant.

Atque extremam crudelitatem exercuit Satan in hisce fratribus futuris Pontificibus: est enim Ioseph figura Christi, et significatus est hoc in loco descensus ad inferos, sive ut Zacharias inquit, in lacum, in quo non est aqua, ut vinctos in lacu emittat in sanguine testamenti sui.

Primum vero tunica polymita sive inconsutili exuunt, non quod delectentur magnopere spolio illo, sed ad fallendum et deludendum patrem optimum et miserrimum senem; nam haec tunica quae antea signum erat amoris paterni erga filium, nunc durum et nefarium signum fit ad contristandum et excruciandum

parentem, qui ea maxime fuit delectatus, et singulari studio ornavit filium tunica hac, eadem jam occiditur, sic enim dicet postea: Tunica filii mei est, fera pessima etc.

Exutum vero tunica projiciunt in cisternam, lassen ihn da liegen, und denken, nu ist er dahin, hoc enim consilium eorum est, ut moriatur fame, siti, squalore in puteo illo. Ac sane providentia Dei factum est, ut aquam non haberet, ne subito aquis obrueretur, alioqui hoc momento fuisset suffocatus; ideo autem amplectuntur consilium Ruben, ut aliquot diebus eum crucient, atque ita malitiam suam et odium expleant.

Ad hunc modum regnat Diabolus in domo sanctissimi Patriarchae Iacob, inter filios Dei, ut inquit Hiob. Interea vero Benjamin puer adhuc in cunis vagit, biennio enim haec omnia acciderant, stuprum Dinae, mors Rahelis et Deborae, incestus Ruben, venditio Ioseph, ist ein Unglück über das ander kummen. Ruben potest excusari, ut dictum est supra et reliqui Dan, Naphtali, Isachar etc. ac puto fuisse innocentes; sed Hannas, Caiphas, Iudas artifices sunt horum scelerum, qui sibi etiam mirifice gratulati sunt, et domino suo Satanae gratias egerunt, pro tam felici successu consiliorum, gavisi sunt et exsultarunt in rebus pessimis, nulla ratione habita grandaevi patris et fratris Ioseph, qui interea plorat, gemit, cruciatur in morte et inferno sine ullo solatio aut spe liberationis; nemo enim adest qui consoletur afflictum, qui jubeat confidere in bonitate et praesentia Dei, qui sit futurus protector in summis et tristissimis angustiis, sed haeret in extrema miseria solitudinis et inferni. Tunicam vero secum auferunt, ut fiat venenum

et pestis optimo patri, quem toties et tam suaviter antea exhilaraverat.

Ceterum nihil additur, num sciderint aut laceraȓint vestem annon priusquam sanguine tingerent: si non lacerarunt, profecto stultissime fecerunt, et accidit eis quod solet fere fieri, et usitato proverbio dicitur, semper conjunctam esse cum impietate stultitiam, et Hilarius inquit: Si quantum audet impietas tantum consuleret prudentia, difficile esset veritatis causam agere. Vulgo igitur fertur: mendacem oportet esse memorem et intelligentem; quod si reliquerunt integram tunicam tingendam sanguine, insignis stultitia fuit, qua se ipsos prodiderunt: sic enim potuisset pater colligere: En dicunt Ioseph laceratum a fera, quomodo igitur tunicam non discerpsit? aut si fuisset scissa, tamen cogitasset inquiri debere aliquam partem ossium aut carnium, quam reliquisset bestia; sic nimirum impietas et mendacium se ipsum prodit. Ac si fuisset Iacob praesenti animo, haud dubie haec in mentem ei venissent, verum perturbatur usque ad ἔκστασιν, sicut homines in paroxysmis vehementioribus vel gaudii vel tristitiae rapiuntur extra sese, ita ut omnes sensus eorum obstupescant, neque videant neque cogitent quidquam, ita Iacob prorsus obruitur et absorbetur ad primum nuntium de morte filii luctu et tristitia, o Herr Gott ist er todt, alioqui potuisset quaerere oblata tunica, an nihil esset reliquum de corpore, et quomodo mansisset vestis integra, siquidem bestiae corpus cum veste laniare solent, petivisset etiam in eum locum se deduci, ubi aliqua vestigia tam crudelis interitus apparuissent: sed animus perturbatus ista non attendit aut curat.

Insigne ergo exemplum est stoliditatis in menda-

cibus, qui sibi ipsis nunquam constant, et facile ab attentis deprehendi et argui possunt: isti putant se invenisse pulcherrimum et sapientissimum consilium, sed si recte aestimes, stolidissimum est et plenum periculi; sie sollten darob kummen seyn um Leib und Leben, nisi pater nimium credulus fuisset.

Et sedentes ut comederent panem, levatis oculis suis, viderunt turmam Ismaelitarum venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata et resinam et stacten, ibant autem ut deferrent in Aegyptum.

Sedent ad comedendum panem, tanquam re bene gesta, conscientia eorum est secura, peccatum cubat, Deus autem mirabiliter omnia administrat: sedet domi miserrimus pater, nesciens quid agatur de filio, nec Ioseph ullum exitum malorum cernit, solus Deus videt et ludit cum patre et filio suavissime; est enim ludus plenus misericordia et benignitate divina, quamquam nobis gravis et tristis admodum et tamen supra modum aeternum pondus gloriae operans in nobis.

Sedentibus igitur illis, divinitus offertur occasio liberandi Ioseph ex lacu, et revocandi ex inferis et morte, quamquam manet adhuc miseria illa, quod est captivus et mortuus civiliter, siquidem avellitur a carissimo parente, sicut pater eodem quoque fato perit, quod filio unice dilecto carendum est, quo servato et incolumi reliquorum filiorum et fortunarum omnium facilius jacturam faceret; est enim primogenitus, in quo omnes spes opesque sitae sunt, ex quo speratur posteritas et seminarium tum Ecclesiae tum politiae. Ideo miserabili luctu et ingenti moestitia ipsa morte acerbiore, tota familia affecta fuit.

Ceterum qui emunt Ioseph Ismaelitae sunt consanguinei Ioseph et fratrum ejus, Ismael enim et Isaac fuerunt fratres, hi igitur sunt fratres patrueles in tertio et quarto gradu, Vettern und nahe Freund; fuerunt et Midianitae patrueles eodem gradu; et apparet adhuc durasse odium illud inter cognatos, quia statim ac cupide emunt adolescentem Ioseph; et fuerunt negotiatores aromatum, resinae et stactes.

Quae vero vis sit horum trium vocabulorum in Hebraeo, non intelligeremus, nisi utcunque ex Exodo colligeremus. Sie haben Krämerey getrieben mit Würzen. Et ista terra praesertim illis temporibus singulari Dei benedictione abundavit balsamo, myrrha, cinnamomo etc., sicut videre est in descriptione unguenti regalis Exodi. 30, 23. 24. quod conficiebatur ex balsamo, cinnamomo, calamo, casia; quomodo autem haec discernuntur et quae speciem, quae genus denotent, mihi non constat.

נְכֹאת alii aroma, alii rem desiderabilem aut pretiosam, quidam etiam ceram interpretantur.

צְרִי resinam significat, Harz, generale nomen est ad omnes liquores stillantes ex arboribus, sicut in ceraso nostra apparet, verum ea aggrestis resina est, thus vero et myrrha pretiosissima sunt: pix omnium est crassissima, qua illinuntur dolia; succinum nostrum etiam resina est, quia stillat ex arbore, et indurescit. Quot ipsi habuerint species ignoramus, balsamum omnium resinarum vel gummi rex est, scriptura vocat non incisum balsamum, sicut etiam discernunt medici et historici, quod per se stillat quadam ubertate arboris exundante.

Opobalsamum vel primum balsamum, sponte fluens arbore non incisa, id pretiosissimum omnium est; sic

myrrha electa in Canticis appellatur, hoc est prima non expressa, sed per corticem arboris diffusa sua sponte, non extorta. Exstat eadem vox apud Ieremiam cap. 8, 22. „Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei?" Alii reddiderunt guttam thuris vel balsami. Intelligit vero aromata medicinalia ex arboribus quibus Ierusalem potuerit sanari, cap. 51, 8. ubi ridet Babilonius: „Tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur."

לֹט etiam aequivocum est, alias enim instrumentum musicum interpretantur, qua significatione saepe in Psalmis usurpantur, alias glandem aut castaneam etc. Quicquid fuit, nos pro succo aliquo nobili accipimus manante ex arboribus, ac sumus contenti generali ista cognitione rerum, quod fuerint aromatarii, qui in Aegyptum pretiosas resinas et alia odorifera importarunt, quorum usus fuit in medicina. Sicut nostrum succinum magnam vim habet in partubus mulierum et contra calculum et apoplexiam. Quod si nostrorum succorum, qui crassiores sunt, tanta virtus est, quanto magis aromata et succi illarum regionum valetudini hominum profuerunt. Et infra jubet Iacob filios tollere de fructibus terrae et offerre praesidi Aegyptio, qui in Aegypto non provenerunt aut minore copia, et ideo fuerunt gratiores. Sic tres magi obtulerunt munera puero Iesu balsamum, thus, myrrham. Nos in Germania nihil horum, aut corrupta et sophisticata habemus omnia.

Sequitur jam etiam Iudae excusatio, qui oblata occasione utitur, et fratrem vere ab interitu liberat.

Dixit ergo Iuda fratribus suis: Quid nobis

prodest, si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius? Venite et vendamus eum Ismaelitis, ut manus nostrae non polluantur: nam frater noster et caro nostra est, et acquieverunt fratres sermonibus illius.

Iuda aliquo modo mitigat furorem fratrum fortassis poenitentia ductus, quod in caedem Ioseph consensisset. Quanquam exigua admodum religio est, quam prae se fert; fatetur fratrem esse et carnem suam, et tamen hac rhetorica persuadet, ut mitius agatur. Frater noster est, inquit, caro nostra et sanguis noster, filius patri unice carus. Quae sunt sane maxima et firmissima argumenta, quibus vix alia in mundo validiora sunt apud homines sanos et communi sensu praeditos, includunt enim universam *στόργην*, quae est insita naturae humanae.

Hac igitur rhetorica et dialectica flecti et a proposito deduci debuissent fratres. Sed hoc magis eos movet, quod dicit: „Vendamus eum etc. Sanguis ejus non sit in manibus nostris." Non potest eos omnino placare, aut persuadere, ut mutent sententiam; concedunt quidem mutationem aliquam, sed tantum mortis corporalis in civilem. Manet enim deportatio, sive venditio hominis liberi in servitutem et avulsio a parentibus. Saepe numero autem facilius quis ferret mortem corporalem, quam civilem; quia incertum est, quid malorum in morte civili eventurum sit, et est perpetua crux, infinita miseria et servitus, denique distractio a parentibus, fratribus et tota familia. Mihi quidem longe tolerabilius esset capite plecti, quam in perpetua servitute et exilio vitam agere.

In has itaque angustias conjiciuntur sanctissimi

Patriarchae Iacob et filius Ioseph. Illis haec crux fabricatur artificiis et dolis fratrum. Es sind schändliche Zimmerleut, qui fabricant et cudunt hanc tam duram crucem parenti et fratri Ioseph. Das soll Niemand leiden, nisi optimi et sanctissimi parentes. Deus tacet ac connivet quasi adiuvans fabros illos, et tamen videt, eos haec moliri. At cur hoc patitur, cur non torquet in eos fulmina, et impios conatus cum auctoribus suis pessumdat? Aut cur non potius latrones, adulteros, tyrannos sic torqueri et excruciari sinit, et tam sanctis hominibus parcit?

Respondeo: Deus vult nos considerare et discere, quantus sit amor parentum erga liberos, ut inde aestimemus magnitudinem amoris divini, quo nos complexus est, cum voluit filium suum unigenitum pro nobis pati et crucifigi. Nam Ioseph est imago filii Dei.

Neque tamen dissimulanda est hypocrisis, quae adhuc in Iuda deprehenditur; profert enim argumentum Theologicum, sed ineptum, imo Pharisaicum et Diabolicum. Manus nostrae non sint in eo inquit. Haec Theologia Pharisaica regnavit ab initio mundi. Sic enim et Cain noluit videri occidisse Habelem, cum ait: „Numquid custos fratris mei ego sum?“ Ei, wer wollt seinem Bruder thun? Item Saul de Davide inquit: „Manus mea non sit super eum, sed sit super eum manus Philistinorum, 1. Samuel. 18, 17. Sic in passione Christi non ingrediuntur Iudaei praetorium, ne polluantur, neve habeantur injustae caedis auctores.

Itaque Talmudicae istae et Pharisaicae opiniones ab initio etiam in ista sancta domo et ecclesia Iacob haeserunt; tales enim fuerunt ibi Theologi, qui sentirent, eum non esse homicidam, qui manus a caede contineret. Atqui in cisternam manibus suis eum con-

jecerunt. Cur igitur fingunt consolationem et magnam speciem sanctitatis, quod manus non admoveant, sed vendant fratrem? Pulchram vero justitiam, cum manu non interficias, sed voluntate, voto, consilio, auxilio, consensu. Vendamus eum, inquiunt, et erimus innocentes. O Juda, du bist noch nicht rein. Est simpliciter Talmudicum. Verum sic solet fieri in mundo. Oportet esse hypocritas etiam in sanctis ecclesiis. Nihil igitur mirum est, quod hodie quoque tantus eorum est numerus. Et vix aliud hominum genus acerbius insectatur Christus in Evangelica historia: „Vae vobis hypocritae etc." Cum peccatoribus bibit, edit, loquitur, versatur, facit miracula, cum hypocritis vero nihil prorsus commercii habet. „Ecce enim veritatem dilexisti, inquit David Psalm. 51, 18. hypocrisin odisti." Et ab hypocritis postea occiditur Christus.

Sic scilicet poenitentiam agunt sancti Patres isti, mutant homicidium corporale in civile, et obducunt velamen quoddam Mosaicum oculis praetextu hoc, quod non intulerint ei manus, cum longe gravius peccent, et augeant miseriam et calamitatem Ioseph. Also soll es impiis gehn, wenn sie sich schmucken wöllen, dafs sie es siebenmal ärger machen. Quia suo judicio soli sapiunt, Deus non intelligit, neque tam acutum cernit, pater etiam non videt, nec resciscet unquam, ita sibi ipsis blandiuntur, et, quo magis se ornant et peccati atrocitatem tegere student, hoc gravius crudelitatem suam produnt.

Moses vero nihil dicit de gestibus et vocibus editis a Ioseph in tanto periculo. Non aliter de eo loquitur ac de muto aut de lapide aut trunco, qui nihil dixerit, non rogaverit, non clamarit, nihil plane egerit, quod ad placandos fratres faceret. Sed relinquit

lectori cogitanda haec omnia, quod verbis exprimi aut describi nequeant. Qui igitur fuerint tristissimi gestus, miserrimae lacrymae, verba lugubria, gemitus, singultus supplicantis, quilibet secum reputet. Fuit enim in eo tenerrima natura ac insignis στοργή erga patrem, a quo subito et insperato avellitur, veste a patre donata spoliatur, abjicitur in cisternam, rursus extrahitur et venditur, ac procul a conspectu et complexu suavissimorum parentum abstrahitur, nec reliqua manet ulla spes redeundi. Quantum ibi fuit singultuum, quantum lacrymarum? Ah mein lieber Vater, wie geht es mir; o wie wirst du schreien und klagen?

Haec in historia Ioseph maxime tragica sunt, et erant producenda in lucem. Sed Moses transit et significat, Deum quoque tacere. Infra autem ab ipsis fratribus magno dolore commemorantur, ubi dicunt: videntes angustias animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio etc. en sanguis ejus exquiritur etc. Er hat sich wahrlich jämmerlich gestellt, hat nit dazu gelacht oder still geschwiegen. Fuit profecto horribilis tragoedia sine omni praesidio et spe liberationis. Abest pater Iacob, ignarus omnium, quae geruntur, in quem tamen tota haec calamitas tandem redundatura erat. Ita augetur malum, et multis modis moritur Ioseph. En rapior, dixit, et cogor relinquere Hebron, et miserum ac orbum patrem, cujus luctum et moerorem jam tum praevidebat. Sic igitur obruit Deus Sanctos et eos, quos habet carissimos, ingentibus aerumnis. Et referenda haec sunt ad Christum, ut cogitemus, quid sit, tradere filium pro nobis abjiciendum in cisternam, in lacum sine aqua, Zachar. 9, 11. Prophe-

tae non frustra celebrarant haec, et admirati sunt, quod traditur filius in manus Aegyptiorum.

Deinde tractanda etiam est grammatica quaestio hoc in loco, an Ismaelitae iidem sint qui Midianitae, quae ab Augustino et aliis agitata est praeter rem. Ego sane malim, moveri quaestiones de rebus gravioribus et utilioribus, de voluntate et operibus mirabilibus Dei, de cruce et fide patrum, et quo consilio exerceat Deus sanctos viros tantis miseriis, nimirum in consolationem nostram, et ut adumbret Christi passionem. Sed illa quoque videamus: Lyra ex Iudaeorum sententia dicit, Ioseph ter fuisse venditum, primum Ismaelitis a fratribus, secundo Midianitis ab Ismaelitis, tertio Potyphari Aegyptio. Ac placet mihi haec amplificatio satanicae malitiae in despectum hypocritarum et detestationem invidiae fraternae. Sed existimo, bis tantum venditum esse, quod ex historia planum est, quae testatur, Potypharem emisse Ioseph ab Ismaelitis. Et tamen illam sententiam de triplici venditione non improbo; nam de Midianitis quoque dicetur, quod vendiderint eum Potyphari. Quaestio vero de Kethura et Hagar an eadem mulier sit, in superioribus explicata est.

Moses promiscue alias Midianitas, alias Ismaelitas nominat. Ego existimo, fuisse unam societatem duobus nominibus appellatam, ut solet fieri in negotiationibus. Et praecipue hac ratione moveor, quod antea Moses non Ismaelitas, sed turbam Ismaelitarum eos vidisse dixit. Significat enim vox אֹרְחַת viatores vel potius abstractive societatem viatorum, comitatum, ut de Christo Lucae 2, 44. dicitur: „Existimabant, illum esse in comitatu.“ Et saepe diversorum ordinum et nationum homines conveniunt, et una iter faciunt.

Talis quoque societas fuit Ismaelitarum et Midianitarum, qui fuerunt conjuncti negotiationibus, commerciis, contractibus, ut solet fieri etiam inter diversissimas et remotas gentes. Sive isti igitur, sive alii vendiderint Ioseph, parum refert, hoc constat eum esse venditum.

Neque tantum momenti est in quaestione grammatica, quantum in eo, quod hoc loco considerandum venit, quomodo emerint Ismaelitae vel Midianitae Ioseph a fratribus, an prius exploraverint et quaesierint ex Iuda, id est Simeone proditore et Levi, hoc est Caipha et Hanna, quis esset juvenis, quem venderent, aut unde ad manus eorum pervenisset, furto vel raptu. Nihil enim dubium est, quin more mercatorum non de pretio tantum, sed etiam de qualitate et quantitate mercis inquisiverint. Quod si ita est, haud dubie Iudas, Hannas et Caiphas, eruperunt in gravissimam accusationem fratris Ioseph. Quaerentibus illis, frater vester est, quare eum venditis? responderunt: Si hic non malefactor esset, non traderemus tibi eum. Ita congesserunt in eum omnis generis scelera, sicut Iudaei in Christum coram Caipha. Ad eundem modum isti quoque clamarunt, nebulonem hunc esse pessimum, adversantem fratribus, immorigerum parentibus, turbantem et miscentem domi omnia, denique insidiantem bonis et dominationi patriae, et successioni fratrum, quibus oppressis solus velit regnare. Haec si audiverunt Ismaelitae aut Midianitae, et injustam et falsam accusationem approbaverunt, certe in sanguinem Iacob conspirarunt.

Fratres vero de talibus emtoribus haud dubie sibi gratulati sunt, qui essent hostes domus et ecclesiae Iacob. Erant enim in vicinia Cananaei et Amorrhaei, quibus etiam potuissent vendere Ioseph. Sed

malunt eum illis obtrudere, qui procul a conspectu parentum abductum inclementius et durius tractarent, quam vicini. Ad hunc modum libenter ego amplificarem opera Satanae et inauditam eorum malitiam. Si venderemus viciniis, cogitarunt, tametsi a nostra familia quoque alieni sunt, et non minus cupidi emtores fuissent: tamen periculum est, ne parens resciscat, et domum reducat. Pulcherrima igitur occasio est, in longinquas regiones deportandi hominem turbulentum et seditiosum, ne possit posthac tumultuari, et regnum in domo patris affectare.

Haec est conspiratio Pilati et Caiphae adversus Ioseph; ac nisi fallor, Spiritus sanctus per Davidem composuit Psalmum secundum ex hoc loco, cum ait: „Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus dominum et adversus Christum ejus.“ (Ps. 2,2.) Gentes et Iudaei simul inierunt consilium, Midianitae et Ismaelitae, Herodes, Pilatus, Caiphas, Hannas, qui antea fuerant inimicissimi. Supra enim audivimus, Ismaelem ejectum fuisse ex domo Abrahae, et Midianitas quoque, et filios Kethurae cum muneribus dimissos esse, nec adiisse haereditatem paternam. Unde perpetuum odium exstitit inter populos istos, quanquam uno et eodem sanguine omnes essent prognati.

Sic omnes gentes et populi perpetuo odio et furore exarserunt in inclytam et sanctam domum ac familiam Abrahae, quae retinuit promissionem, sicut testatur miserabilis querela et ardens precatio Psalmi 83, 6—9: „Quoniam cogitaverunt unanimiter simul adversus te, foedus pepigerunt tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae, Moab et Agareni, Gebal et Ammon et Amalec, Philistaei cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium

filiis Loth." Atque hic eodem modo conspirant fratres Joseph cum suis et patris sui hostibus, et de hoc foedere mirifice sibi gratulantur.

Quod si nihil sermonum intercessit, nec facta est ulla conspiratio, excusari possunt aliquo modo Ismaelitae et Midianitae. Verum ego existimo, eos consensisse et conspirasse, alioqui tam immane facinus fratrum reprehendissent et aversati essent. Venditus est igitur Ioseph cognatis et fratribus patruelibus, ad quos haud dubie supplices manus sustulit, misericordiam et auxilia eorum implorans, obsecrans, obtestans, ut parcerent sibi, et ad parentem reducerent per arctissimam illam sanguinis conjunctionem, Ah Lieben, ich bin euer Vetter, helft mich erretten. Ego frater horum sum, qui me vobis vendiderunt, verum non invenit eos mitiores fratribus. Sic Ismaelitae et Midianitae conspirant cum Israel et occidunt filium Dei, sicut in secundo Psalmo describitur.

Moses hoc loco clamorem et lacrymas Ioseph non recitat, sed nihil est dubium, quin miserabiliter ejularit, et voce humillima petiverit, se eripi, et mitigari iras et odia fratrum, Ach nit, ach wehret doch meinen Brüdern. Ibi certe debuissent Ismaelitae et Midianitae adversari fratribus, et prohibere, ne tam crudeliter in optimum adolescentem saevirent, nec mercem improbam emere, aut saltem pretio redemtum ad patrem referre. Quid agitis Simeon, Levi, recte dixissent, cur in vestrum sanguinem grassari vultis, indignum facinus et ab omni humanitate et pietate vestra alienum. Das hätte Ismaelitis wohl angestanden, aber so muſs die Welt nicht thun. Haec decuissent Ismaelitas, at mundus non est dignus, ut aliquid boni faciat, sed magis, ut incommodet aliis per se, aut ad

aliorum scelera conniveat, eaque foveat et adjuvet, ut perfecte serviat Domino suo et Deo hujus saeculi. Nec fratres igitur audiunt ejulantem et supplicantem Ioseph, nec cognati Ismaelitae et Midianitae, nec Deus ipse. Quod exemplum, ut saepe dictum est, ad nostram consolationem pertinet, quo confirmemur et corroboremur in afflictionibus nostris, ne statim animis frangamur, si qua incommoda et pericula objiciuntur; neque enim atrociora mala a Turcis aut quibuscunque aliis hostibus possumus metuere. Qui ferunt incursiones Turcicas, nihil simile experiuntur horum Patrum calamitatibus, quibus tamen nos longe sumus inferiores. Id enim unum omnium malorum acerbissimum est, avelli liberos a parentibus aut econtra: haec ipsissima mors est, et longe durior, quam supplicia atrocissima martyrum, quae unius aut ad summum alterius horae sunt.

Voluit autem Deus suos Sanctos et Ecclesiam tam horribiles aerumnas sustinere, ut animi eorum excitarentur ad cogitandum, quantum hoc fuerit, quod filius Dei propter nos aliquamdiu, ut sic dicam, avulsus et in exilium missus, ac ad infernum ipsum dejectus est, ut nos exsilio durissimi peccati et aeternae damnationis liberaret.

Non frustra igitur Midianitae et Ismaelitae nominatim a Mose recensentur: non dicit negotiatores, Amorrhaei etc., dissimulatis nominibus propinquorum, sed studio nominat cognatos, ut significet consensisse omnes in perniciem patruelis, et ex hoc exemplo disci queat, quanta sit malitia mundi. Sic enim et Iudaei postea, cum essent ipsi quoque cognati et patrueles Domini nostri Iesu Christi, immaniter in eum saevierunt, nullis precibus nec misericordia ulla moti, et illi quidem non Ismaelitae erant, sed Israelitae, ut

impleretur hoc, quod dictum est a Propheta: „Inimici hominis domestici ejus.“ Ubi Pilatus et gentiles misericordia afficiuntur, condolent Iesu et judicant, eum innocentem esse, ibi videmus patrueles crudeliores esse aspidibus et immanissimis bestiis.

Haec est imago Ecclesiae omnium temporum, quam proposuit Deus in filio et Sanctis suis. **Wollt ihr Christen seyn, so schickt euch darein.** Discamus igitur obedire Deo in talibus aerumnis et adversitatibus, ac in coelum oculos defixos habere. Deus enim non delectatur interitu, exsilio et aliis malis nostris; sed firma et perpetua consolatio est, quam tradit Psalmus 36, 6. 9.: „Domine, in coelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes etc. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos;“ et 37, 18.: „Novit Dominus dies immaculatorum, et haereditas eorum in aeternum erit etc.“

Atque haec tum fuit sententia Dei de Ioseph et Iacob. Mi Iacob, mi Ioseph, video, quae mala vos premant, non dormio, sed nolo in praesentia ea tollere et vos consolari; nondum enim adest tempus liberationis, sed oportet vos experiri prius et discere, quid sit Diabolus, quid mundus, quid filii, quid fratres, quid mors, quo magis dulcescat gratia mea, utque videatis, vos mihi curae fuisse in tribulatione et morte. Nam ne capillus quidem de capite vestro absque meo nutu et voluntate decidet, modo non frangamini animis, sed discatis tolerare et ferre crucem. Ego, quod promisi, certo servabo. Promisi, me benedicturum vobis, praestabo, non mentiar. Caro quidem murmurat, sed huic resistite, et dominamini fide et expectatione liberationis.

Et praetereuntibus Midianitis negotiatoribus extraxerunt illi Ioseph de cisterna, et vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt Ioseph in Aegyptum.

Ioseph minori pretio venditur, quam Christus, et puto pretium fuisse circiter viginti thaleros; non enim libet subtilius de argenteis disputare. Ex hoc autem loco haud dubie Zacharias prophetiam suam de Christo sumsit: „Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.“ (Zach. 11, 12.) Conveniunt enim res et circumstantiae pulcherrime, nec potest major similitudo esse, quam Christi crucifixi et Ioseph, congruit venditio et mors utriusque. Ut enim de Christo Isaias dicit: „Excisus est e terra viventium,“ ita Ioseph tollitur e terra et conspectu patris, non aliter ac si nunquam rediturus, aut patrem visurus sit.

Cum autem reverteretur Ruben ad cisternam et non inveniret puerum in cisterna, scidit vestimenta sua; et rediens ad fratres suos dixit: Puer non adest, et ego quo vadam?

יֶלֶד significat parvulum, ut Isaiae 9, 5.: Parvulus natus est nobis. Haec vero alia admonitio est per Ruben, qui certe serio agere et venia dignus videtur, quia nihil prorsus metuens odia fratrum, defendit summis viribus puerum Ioseph, et indignatur, eum ablatum esse. Puer ubi est? inquit, non adest. Sed hoc ei in mentem venit, esse fortassis sublatum ab aliis, cum fratres ei parcerent nec vellent interficere, sive a Diabolo sive a latronibus seu vicinis Amorrhaeis aut Cananaeis, qui antea quoque insidiati fuerant domesticis Iacob, aut a pastore aliquo inventum, et Si-

chimitis aut aliis vicinis gentibus traditum mactandum. Ita suspicatur periisse puerum ex eo tempore, quo a fratribus fuerat in foveam abjectus. Videtur enim vicinorum injurias et odia metuere, et fatetur tamen, se voluisse servatum et salvum Ioseph, et factum fratrum damnat, imo se quoque accusat, inquiens: et ego quo vadam? et infra eandem reprehensionem repetet, non, quod hac ratione suum scelus incestus expiaverit, haeret enim adhuc in poenis satis gravibus, amissa primogenitura et privilegiis maximis; sed quia agnoscit delictum, et societatem alterius sceleris defugere cupit, id agit, ut testetur, Ioseph esse innocentem, atque ita eum liberet. Sed Simeon et Levi contemnunt eum propter notam incestus, ideo perrumpunt.

Iusta tamen et vera reprehensio est, was habt ihr nun gemacht? En, quid fecistis? puer jam e manibus et potestate nostra sublatus est, quem si vellemus omnes salvum et liberum, non possemus quantivis redimere. Si Cananaei in eum forte inciderunt, sine dubio abductum in longinquas oras occident, aut miserabili et perpetua servitute enecabunt.

Excusat igitur Moses Ruben, non autem exprimit, quid responderint fratres, sed tecte videtur significare Simeon et Levi persuasisse ei, ut taceret, et una consentiret cum fratribus de horribili fratricidio. Id totum vero ex maledicta theologia natum est, quam postea etiam retinuerunt Iudaei. Qui non occidit manu, non est homicida. Hoc argumento persuaserunt, ut taceret, ne aliam et longe majorem turbam daret interpellatione sua, si forte ejus dicta et clamores ad patrem perferrentur, ac interminati sunt, nisi secum una hoc facinus occultaret, eandem vim aut odia perpetua fratrum eum experturum. Nec mirum sane fuis-

set, si vulneribus et caedibus in se mutuo essent grassati, id quod Diabolus haud dubie sedulo egit et perfecisset, nisi Deus prohibuisset. Itaque tacet Ruben et consentit tacentibus et celantibus aliis, ne majoris perturbationis parenti aut dissensionis fraternae auctor sit. Sed hoc pacto facit se participem parricidii et fratricidii.

Hoc etsi non expresse a Mose scriptum est, tamen non obscure subindicatur? Scindit enim vestimenta, et vehementer angitur de periculo et interitu fratris, sed metu majoris alicujus cladis et reliquorum fratrum silet. Dominus Scarioth, Simeon et Levi, Caiphas, Hannas, werden ihn wohl aufs Maul haben schlagen dorfen, schweig, hilf decken, oder dich soll alles Unglück holen. Cura, ut celetur patrem factum nostrum, ne videamur occidisse fratrem; si enim resisceret, illico nos omnes simul domo et ecclesia ejiceret et excommunicaret, sicut postea faciet.

Magna igitur sapientia est, quam videmus divinitus eis concessam esse, quod celant patrem facinus hoc. Reliqua omnia in hac historia extreme mala sunt, hoc unicum consilium bonum est, siquid tamen boni in tanto scelere potest esse, ut patri persuadeatur, esse filium laceratum a bestia. Itaque accesserunt ad patrem, simularunt se quoque dolore et luctu ejus affici, ac ingens desiderium fratris mortui prae se tulerunt, sed falso et hypocritice. Et tamen aliquanto minus mali est in hac simulatione, quam si patri totum negotium aperuissent.

Ruben vero videtur habere excusationem, licet admodum infirmam, sicut infra solus cum reliquis expostulat: „An non dixi vobis, nolite peccare in puerum et non audistis me etc." Ac videtur sane sapienter

et recte consuluisse, sed subest hyporisis illa, de qua antea dixi, quod statuerunt non esse homicidium aliud, nisi quod manu propria perpetratur. Quod si omni culpa liberari prorsus voluisset, debuisset ad patrem clam aufugere et admonere, ut in auctorem caedis inter filios inquireret. Sed victus aut metu aut minis eorum consentit domino Simeoni et Levi, Iudae proditori et Caiphae, qui regnabant et imperabant aliis.

Ideo Iudas et Ruben et reliqui omnes coguntur mussitare flagitium hoc, atque ita Ruben cum aliis animam et conscientiam suam horribili caede patris et Ioseph polluunt. Interim tamen egregie suam causam ornant, et patri fucum faciunt, ne persentiscat.

Ego vero vehementer miror, quid animi eis totis XXII annis fuerit. Tot enim intersunt anni inter venditionem Ioseph et descensum in Aegyptum. Fuit profecto maximum scandalum, et mihi plane persuasum est, eos toto illo tempore nihil boni facere, nec bona conscientia vel minimum gemitum invocationis et precum ad patrem in coelis edere potuisse. Hoc certissimum est, quia sanguis Ioseph, mors patris et luctus familiae totius haeret infixus cordibus eorum. Tanta autem mole oppressa conscientia haudquaquam invocare potest. Ego sane si vel minimae offensae aut livoris mihi conscius essem, non possem orare. Oportet igitur cor ab omni malevolentia, odio et invidia erga proximum liberum esse, quod nemini male velit, sed omnibus optime cupiat et ignoscat. Nam si quando officii ratio postulat, ut vitia hominum reprehendamus, quos castigando ad poenitentiam perducere conamur, nequaquam caritatis officium cessare ibi existimandum est. Non enim odio aut cupiditate

nocendi, sed emendandi et corrigendi studio tales objurgationes fiunt.

Itaque in invocatione oportet animum ab omni odio esse alienissimum, tametsi vitia et peccata hominum odisse et detestari debéamus. Sic pro impiis Episcopis recte oramus; neque enim ita affecti esse debemus, ut imprecemur eis mala aut exitium; hoc fine autem reprehendo et arguo impietatem et flagitia eorum, ut emendentur.

Valde itaque miror, quid fecerint fratres his viginti duobus annis, quibus viderunt patrem in sacco et cinere sedentem, lacrymantem et ejulantem ob interitum filii. Ego sane non potuissem tanti et tam miserabilis luctus spectator esse, nec me continere, quin dicerem: Ah nos infelices, quid fecimus etc. Atqui isti audiunt quotidie patrem docentem, habentur pro membris ecclesiae et domus Iacob, et tamen nullus eorum potest Deum invocare, nihil boni facere, aut si quid bene operantur, impium tamen est et abjectum, quia haerent impliciti peccato mortali et homicidio paterno, fraterno, avito. Hypocrisis kann solch schändlich Ding anheben und treiben. Hypocrisis tam abominanda committere et in tantis malis durare potest.

Si Ruben intra illud spatium annorum esset mortuus, forsitan agnovisset et confessus fuisset patri peccatum, petivissetque veniam. Sed reliqua turba dissimulato scelere periisset, tanto enim tempore nullus eorum poenitet, et paulatim quidem magis ac magis ad conscientiae sensum et stimulos occalluerunt. Quanquam igitur subinde redierunt pavores, quos non potuerunt prorsus sopire aut obruere oblivione sceleris, quotidie oculis et animis obversante luctu et la-

crymis patris, hos tamen silice et adamante duriores filii contemserunt; quia plane obsessi et indurati sunt a principe daemoniorum, siquidem ferre possunt tanti flagitii conscientiam tanto tempore.

Neque vero dubium est, scriptura alibi attestante, Deum vehementer commotum et detestatum fuisse reos et auctores extremorum et atrocissimorum scelerum parricidii et fratricidii. Durum igitur et horribile est, ista legere et intelligere de summis illis viris et principibus ecclesiae, de filiis et haeredibus promissionum Dei, quas in domo patris ab ineunte aetate audiverant magna diligentia et cura ab avo et parente inculcari. Noch geschicht es.

Nos quoque malo originali corrupti ad peccandum proclives sumus. Sed hoc tamen agamus in tanta imbecillitate humanae naturae, ut retineamus cor et στοργὴν fraternam et filialem, ne nobis ipsis poenas et exitium accersamus. Nam hi fratres, dum student Ioseph innocentem, cujus odio exarserant, opprimere, sibi ipsis acerrimi hostes et Diaboli fiunt, adeoque plus nocent, quam Ioseph unquam nocuisset, si imperium in eos fuisset adeptus.

Tulerunt itaque tunicam Ioseph et mactantes haedum ex capris tinxerunt tunicam in sanguine. Et mittentes tunicam illam polymitam curabant deferri ad patrem suum dicique: hanc invenimus. Vide, utrum sit tunica filii tui, an non. Et cognovit eam dixitque: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia laceravit Ioseph.

Addunt aliam fallaciam, qua et facinus suum tegant facilius, et patrem gravius affligant et excru-

cient; tollunt enim tunicam Ioseph, et intinctam in sanguinem hirci ad eum mittunt, ut persuadeant Ioseph a bestia laceratum esse. At quam procul abest Deus a conspectu eorum? quam securi et sine omni metu gerunt omnia? neque quicquam pensi habent, quomodo afficiatur grandaevus pater tam inopinato et tristi nuntio. Saltem hoc cavissent, ne eum conspectu inusitato et atroci cruentae vestis terrerent, quo nihil tristius objici poterat misero et decrepito seni. Mitius fuisset indicare patri puerum in itinere a latronibus interceptum et abductum, aut se eum non vidisse, nec scire, quomodo periisset, incidisse forte in manus vicinorum hostium, aut Ismaelitarum et Midianitarum, quibus eum vendiderant. Sed nihil horum eis in mentem venit, nec parcunt parenti, sed tristi et horribili objecto dolorem animi accumulant.

Insignis igitur et diabolica malitia est, qua delectatur Satan omnem crudelitatem et saevitiam in optimum senem effundere. Ipsi vero horribilibus peccatis immerguntur, iisque haerent impliciti contra conscientiam sine ulla poenitentia, sine omni sensu pietatis. Ac totis viginti duobus annis vixerunt postea absque invocatione, timore Dei et omnibus exercitiis spiritualibus, quibus non potuerunt pie studere, nisi prius agnito peccato et facta reconciliatione cum parente et fratre.

Interea vero quid agit Deus? Was thut unser Herr Gott dazu? Ubi sunt magnificae illae promissiones: Ego protectio tua et merces tua etc.? Cresce et multiplicare, ego tecum ero. An non apparent diversissima omnia a tantis promissionibus? Non enim nosse eum aut curare, sed Diabolo potius objecisse videtur, siquidem sinit sanctissimum patrem tam misere

excruciari furoribus filiorum. An dicemus, Deum memorem fuisse promissionum suarum? Nihil minus equidem dici aut judicari potest. Sed David hoc vidit et pronunciavit post factum, quod in paroxysmo tentationis haud quaquam cerni poterat. Sic enim ait: Misit ante eos virum, qui salvaret Iacob.

At qualis est missio haec? quae est ista phrasis? mittere salvatorem in Aegyptum, qui salvet Iacob et totam ejus domum. Quomodo mittitur? abjicitur in cisternam, venditur, pater occiditur. Idne est mittere salvatorem? Est sane, sed secundum phrasin divinam. Constituitur enim rex, sed solus Deus videt. Iacob et Ioseph non vident, qui sunt in summa angustia et luctu constituti. Est igitur haec loquela singularis et coelestis, mittere salvatorem et constituere regem conjiciendo in cisternam et infernum. Ad hanc oportet nos adsuefacere animos, ut discamus intelligere hoc, quod alibi dicit David Ps. 37, 12. 13.: „Observabit peccator justum: et stridebit super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniat dies ejus, quo peribit etc. Das künnen wir nit thun. Nos non possumus prospicere et retinere fidem, nisi valde infirmiter. Sed Deus est tenacissimus (ut sic dicam) suarum promissionum, atque ita ut non solum non obliviscatur, sed etiam prospiciat et rideat adversarios, quin etiam sententiam adversus eos ferat, sicut Psalmo secundo v. 2. dicitur: „Qui habitat in coelis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos."

Atqui ego non video. Recte quidem. Ideo proponuntur haec exempla, ut in nostris tentationibus cogitemus rideri nostros adversarios et decerni illis poenas; nos vero quantumvis afflictos diligi, amari, cu-

rari, respici; sed occulto modo, ut inquit Iesaias: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.

Satis igitur nobis sit, quod habemus verbum et Sacramenta, in quibus nobis apparet Deus, fructus autem et finis signorum suo tempore sequetur. Interea hac cogitatione nos sustentemus: Ego habeo signum et verbum, ea firmiter retinebo, utcunque in me saeviat mundus et Satan, et omnis generis calamitatibus me obruant. Tantum id agamus, ut bona conscientia quicquid id est patiamur, non enim dubium est, nos esse in summa gratia et pretio apud Deum, adversarios autem sub amarissima subsannatione Dei servari ad poenas et supplicia gravissima. Denn das Lachen unsers Herr Gotts gibt das höllisch Feur, sicut sequitur. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conculcabit eos. Ja hüte dich für solchem Lachen.

Iacob igitur et Ioseph coram Deo sunt filii gratiae, illi vero venditores irrisionis, damnationis et irae filii sunt. Atque utinam haec discere et utrunque tenere possemus, caro enim obstat, et tamen certum est vitam passivam esse optimam et pretiosissimam, adeo ut non egeat remissione peccatorum, quia est absque peccato. De piis haec dico, hoc est, de illis, qui in fide Christi patiuntur, hi non peccant, sed sustinent et ferunt aliorum peccata. Ac praeclare quidem a Socrate dictum est: Melius est ferre injuriam, quam facere; quia, qui fert, non peccat: qui infert, peccat. Qui sibi recte conscius est et sentit se injuste affligi, is sua innocentia nititur, et simul intuetur in promissionem liberationis, ideo non trepidat, nec frangitur animo. Scit enim, se neminem laedere, sed aliorum injurias et peccata ferre. Wenn die Rupes und Petra

da stehet conscientia bona, so kann nichts schaden, wenn gleich Caypbas und Scarioth kummen und ziirnen, so haben wir doch gewunnen. Bona conscientia instar firmissimae rupis est, cui innituntur pii in afflictionibus, animoque magno et excelso omnium adversariorum minas contemnunt, sicut scriptum est 1. Petri 3, 13. 14.: „Quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis? Sed, et si quid patiamini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini etc.“

Econtra quando affliguntur illi, qui intulerunt injuriam, tum vero pavent et horribiliter trepidant, planeque ut apud poetam est, ad quodvis fulmen pallescunt. Hei mihi exclamant, hanc poenam meritus sum mea improbitate et contumacia, quid faciam? quo me vertam? Ea profecto miserabilis carnificina conscientiae est se ipsam accusantis et damnantis.

Proinde praeclare agitur cum Iacob et Ioseph, quamquam ipsi non rideant, nec agnoscant felicitatem suam in paroxysmo. Vere enim beatus est, qui in tentatione sic est affectus, ut queat secum statuere: etiamsi coelum terrae misceatur, aut fractus illabatur orbis, ut maxime insaniat mundus cum Principe suo et omnibus portis inferorum, quid ad me? ego mihi recte conscius sum: fero enim crucem et injurias aliorum: non laedo quemquam, non pecco. Praeterea habeo meam absolutionem et Sacramenta. Lafs her gehn, non movebor nec trepidabo. Vae illis, qui peccant et me affligunt. Christianorum enim est non irasci, non indignari de malo sibi illato, quanquam caro suo more solet obmurmurare, sed spiritus non irascitur. Sic potius cogitat: vae tibi. Du hast mirs nicht thun, du hast dirs thun, non me, sed te ipsum

maxime offendisti. Sic Iacob et Ioseph potuerunt dicere: Non me venditis, abjicitis, occiditis, sed vos ipsos. Caro quidem aliter sentit, sed spiritus sic affectus est.

Quaeret autem aliquis, quid igitur faciendum est? an propterea laxandum frenum impietati, nec coercendus est furor et malitia hominum vel legibus vel poenis, sed insuper pro dato damno agendae sunt gratiae improbo, et dicendum, nihil mali mihi fecisti? Fac quod lubet, ego lubens patiar, qua ratione invitabuntur mali ad augenda et cumulanda flagitia, siquidem docemus, cum gaudio et bona conscientia ferenda esse incommoda, quae ab aliis objiciuntur?

Respondeo: Demandatum est nobis ministerium legis et Evangelii juxta praeceptum Pauli: Argue, increpa opportune, importune, getrost schelten und strafen, etiam irasci et indignari peccato. Hoc pertinet ad ministerium legis et ad officium patrum, praeceptorum, magistratuum, imo etiam privatorum propter correptionem et admonitionem fraternam, quae est mandata singulis divinitus, ut, quantum possumus, quilibet suo loco resistamus malo, et caveamus, ne impune grassentur improbi, vel in nos, vel in alios. Wenn das geschehen ist, und will doch nit helfen, so soll ich mich zufrieden geben und sagen: Non me doctorem, sed te culpaveris ipsum. His omnibus ubi nihil profecerimus, restat, ut animis acquiescamus et ultionem divinam exspectemus. Sentient enim suo magno malo, non alios, sed se ipsos gravissime offensos esse. Der Teufel wird sie wohl gnug martern.

Nos vero hanc consolationem habemus, quo magis nos macerant, affligunt, cruciant, hoc magis au-

gent gloriam et coronam in coelo. Interea tamen arguendi sunt, ut non noceamus, sed ut revocemus maleficos in viam, ne incurrant in odium et iram Dei, qui est ignis consumens non poenitentibus. Ad hunc modum resistimus malo, verbi et gladii ministerio; et tamen ferimus mala, quae prohiberi non possunt, magno nostro commodo, illorum vero detrimento et pernicie.

Haec est theologia et sapientia Christianorum, quam, etsi nondum assecuti sumus, tamen quotidie ea exerceri et adsuefieri debemus, ut in paroxysmo et calamitatibus, quas sustinemus, possimus dicere praesenti et tranquillo animo: Non potes mihi nocere, ego sum Christianus. Du schadest mir nicht, du fürderst mich, sich dich für. Quid nocet Ioseph venditio et exsilium? Imo ad quid non ei profuit? aut quomodo potuissent eum fratres majore honore et dignitate ornare? Nam eo ipso, quo conantur eum impedire et opprimere, commodissime eum ad fastigium et culmen illud regni evehunt, quod paulo ante somniaverat.

In hanc sententiam celebratur dictum Gregorii. Impii malefaciendo nobis benefaciunt, et Augustinus ait de infantibus ab Herode occisis, non potuisse hostem totis viribus et omnibus opibus regni sui plus prodesse parvulis quam occidendo.

Sic igitur Deus suos humiliat, ut exaltet, occidit, ut vivificet, confundit, ut glorificet, subjicit, ut extollat. Sed est ars artium et scientia scientiarum, quae non nisi magno labore et a paucis adeo disci et cognosci solet, vera tamen et certa; sicut hoc exemplum testatur, vere enim quod in Psalmo 105, 21. dicitur: Constituit Dominus Ioseph Regem Aegypti, ac dominum et salvatorem multorum. Quomodo? Vendendo,

abjiciendo, occidendo. Haec sunt opera divina, quae non intelliguntur, nisi impleta et consummata. Interea vero, dum fiunt, non possunt, nisi sola fide apprehendi, simpliciter enim id retinendum est, credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae etc.

Ad eundem modum ex hac vita discessurus hac consolatione me sustento, quod credo in Filium Dei. Atqui sepelior, corrodor a vermibus, et putredine foedissima absumor, sicut ait Hiob cap. 17, 14. Putredini dixi, pater meus es, mater mea et soror mea vermibus. Ibi consilium Dei non cerno, quod morienti et putrefacto mihi sit aliquando reviviscendum. Sed promisit Deus et dixit: Tu vives, ego enim vivo et vos vivetis. Ego sum dominus Deus tuus. Quomodo? Vita aeterna et corpore pulchriore et clariore, quam est corpus Solis. Haec in praesentia nec video nec sentio, sed credo et sustineo moram hanc admodum exiguam; jam enim parata est vita illa, et paratur interea corona regni et gloriae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex, ut inquit Paulus, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.

Sed haec omnia fiunt occulto modo, ideo ferenda et sustinenda est mirabilis Dei absconsio. Iacob et Ioseph non vident coronam regni, nec fratres genibus flexis eum adorant, ut postea fiet in Aegypto, sed jam venditione hac futura adornantur, et coram Deo habentur pro praeteritis et transactis. Es ist bei unserm Herr Gott eben, als sey es geschehen. Es kumpt gewifslich.

Haec igitur ad nostram doctrinam scripta sunt, ut discamus intelligere et exercere fidem hanc, quae

potest ferre mortem et omnia mala, et tamen in his sperare vitam et liberationem, quae tolerat vim et injurias aliorum, tametsi pro officio severe eos objurget et increpet; neminem tamen odit, sed ignoscit, bene precatur, sperat, optat, benefacit sine cupiditate vindictae. Hoc enim in exemplo Ioseph clare perspicimus, qui non meminit injuriarum, nec ultionis cupidus est, sed benefacit pessimis venditoribus et homicidis.

Ad hunc modum qui habent potestatem castigandi et puniendi aut verbo aut gladio, aut virga, assuefaciant animum ad patientiam, fidem, caritatem. Patientia, inquit Iacobus, opus perfectum habeat. Quia patiens non peccat, qui mortificatur, justificatus est a peccato, Rom. 6. Patiens in fide Christi verè sanctus est. Nihil ibi peccati restat. Quicquid enim patitur, est mera et purissima justitia.

Haec et scripta sunt et gesta in historiis Sanctorum, sed valde infirmiter et imperfecte, ut apparet in Iacob et Ioseph. Nihil illi quidem mali nec imprecantur, nec faciunt filiis et fratribus, magnam tamen in utroque luctam fuisse adversus infirmitatem carnis, consentaneum est, wie oft wird Ioseph flentibus oculis gen Hebron, da der Vater wohnet, gesehen haben, da er fürüber gefuhrt ist, wie kläglich wird er gethun haben? Quoties enim cum lacrymis respexisse Ioseph ad Hebron, ubi habitabat pater, putabimus? cum tam subito et inopinato e conspectu et domo parentis redactus in aliorum potestatem abduceretur. Caro non potuit non murmurare, sed vicit spiritus reluctans et gemens, ferensque vim injustam sine cupiditate vindictae, furentibus et odio suo indulgentibus nebulonibus illis pessimis.

Addit etiam Moses, quomodo miserum senem ficta narratione facti indignissime excruciarint, wie sie den guten senem so jämmerlich haben gemartert. Hoc enim miserabilis et funesta ejus querimonia testatur: Tunica filii mei est, fera pessima devoravit eum etc. Haec habet ex sermonibus et indicatione filiorum, cum exhibent vestem madentem sanguine, ibi addit, argumentum esse lacerationis factae a bestia. Atqui hominem potius ejus auctorem esse, multo erat verisimilius, ac si inquisivisset pater in singulas circumstantias diligentius, statim deprehendisset fraudem. Cur enim integra mansit tunica? dixisset, ubi accepistis eam? Nulla apparent vestigia vel dentium vel unguium ferae alicujus. Si bestia eum lacerasset, non exuisset eum veste, neque hanc reliquisset integram, sed una cum corpore laceram abripuisset. Verum haec in mentem patri non veniunt. Totus enim submersus et absorptus est dolore animi et luctu. Ideo facile persuadetur in tanto moerore et tentatione gravissima.

Sciditque Iacob vestimenta sua, et posuit saccum in lumbis suis, et luxit filium suum multo tempore. Surrexerunt vero omnes filii ejus cunctaeque filiae ejus, ut consolarentur eum, sed noluit consolationem admittere, et ait: Descendam ad filium meum lugens in fossam, flevitque super eum pater suus. Porro Midianitae vendiderunt eum in Aegyptum Potiphari, eunucho Pharaonis, principi laniorum.

Nun haben sie es wohl ausgericht die Junkherrn. Vendito et occiso fratre etiam parenti perpetui luctus et exitii auctores fiunt; atque hunc quidem crudelius

excruciant, quam fratrem, cogunt eum lugere XXII annos continuos, ac tanto quidem tempore eum vident incedentem in sacco ac miserabili moerore, vident gemitus, suspiria, lacrymas; nam postea nec habitu nec vultu hilariore unquam eum usum arbitror. Quantus igitur stupor, quanta immanitas fuit aspicere parentem tam indigne et tamdiu moerentem? Dafs die Leut sollen so voller Teufel seyn.

Non credidissem ego unquam, tantum flagitium posse cadere in hominem, ut senio confectum patrem, insuper etiam suo scelere exagitatum mori et descendere ad inferos sciens prudensque aspiceret, sine ulla commiseratione omnique sensu humanitatis et στοργῆς divinitus omnibus animantibus insita erga patrem et avum. Idne est patrem et matrem honorare? Und dazu der alt Vater Isaac mufs auch sehen. Accedit huc dolor et luctus Isaac, qui post venditum Ioseph vixit duodecim annos, et tandem haud dubie aegritudine animi propter amissum nepotem confectus est. Illud decus mundi soll sich noch zu todt weinen und greinen.

Neque sane quicquam mirabilius est, quam quod audiverunt verbum promissionis et benedictionis tot annis, et ne unus quidem ex fratribus resipuit admonitus gravissima doctrina et pietate patris et avi, neque etiam ad misericordiam optimorum et sanctissimorum senum miserabili moerore adducti sunt, seid hart lieben Gesellen, also soll man dem Teufel dienen. Sic scilicet inserviendum est Satanae, neque vero patri, nec avo, nec Ioseph, sed sibi ipsis plurimum nocent.

Simeon et Levi impulsi sunt spe et cupiditate primogeniturae. Simeon Papa fuit, Levi Cardinalis, Iudas aliquanto fuit sincerior, sed metuit duorum fra-

trum vim et potentiam, Ruben nihil valuit apud eos auctoritate, sed fuit contemtus ob notam admissi sceleris, ideo coactus est tacere propter Scharioth et Caipham. Es wär nit Wunder, dafs unser Herr Gott hätt Sodoma und Gomorra lassen werden. Non mirum fuisset, si igni coelitus demisso ad exemplum Sodomitarum deleti essent, et haud dubie eodem modo periissent, si absque paucis piis et illis fulcris familiae hujus avo Isaac, patre Iacob et filio Ioseph fuisset. Hi tres Atlantes illius seculi fuerunt. Die drei Männer tragens, sonst sollt Gott mit Schwefel und Pech darein geschlagen haben.

Ita exaggeranda et aggravanda sunt peccata eorum, quantum potest fieri, nobis in consolationem. Eorum enim veniam et remissionem cum sint consecuti, nobis quoque propter nostra delicta nequaquam desperandum erit. Sed ita ne tentes Deum, Iudas enim desperabundus laqueo vitam finit. Vide igitur ne tibi ipsi malum et exitium accersas. Verum, si quis casus inciderit, et praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, ut inquit Paulus, ibi talibus exemplis opus est, ut cogites, etiam sanctos Patriarchas fuisse peccatores, et foedissime lapsos esse. Ego quidem tam atrocis delicti mihi non sum conscius, nisi quod quindecim annis Antichristo servivi, abominabili sacrificio Missarum quotidie peragendo. Sed in pavoribus conscientiae ejusmodi exemplis et promissionibus Evangelii me sustento. Tolerabilior vero fuisset quilibet incestus, quam facinus tam indignum horum fratrum, quo patrem et fratrem et avum enecant moestitia et dolore animi. Ac tandem pavores conscientiae haud dubie horribiles senserunt, cum ad conspectum fratris et regis Aegyptii expavescerent, quin etiam omnia ma-

la, quae ipsi cum posteris pertulerunt sub Pharaone, poena fuerunt divinitus irrogatae propter hoc peccatum. In Aegypto werden sie es wohl gefühlet haben.

Hactenus igitur audivimus Ioseph in Aegyptum deductum et venditum esse ab Ismaelitis et Midianitis Potypharo, coquo Regis, dem Kuchenmeister oder Hofmeister. Hoc Deus permittit fieri tacens, dormiens, surdus et durus sine ulla misericordia et agnitione tam dilecti filii. Omnes Angeli silent, et abripitur in Aegyptum tantus thesaurus vilissimo pretio, viginti argenteis venditus, tantus Patriarcha, Propheta et Monarcha futurus. Was macht doch unser Herr Gott cum suis electis? Quaenam ista gubernatio est electorum Dei? Quid est, quod eos ita deserit et affligit?

Miserrimus Ioseph a suis emtoribus abripitur et cogitur praeterire Hebron, cum quidem in mentem ei veniret: En, illic pater meus habitat, ignarus, quid de me fiat, nec licet eum alloqui, aspicere et extremum vale relinquere. Haec profecto ingens et miserabilis calamitas fuit. Taceo parentem, qui postquam factum rescivit, clamat: Ad infernum descendam, sepeliar cum filio meo, quo amisso haud unquam vita haec mihi jucunda et grata erit. Das mügen aber auch mercatores heissen, qui tam pretiosum thesaurum Hebron praetervehunt et portant in Aegyptum, qui postea totius regni salus erit corporum pariter et animarum. Instaurabit enim Ecclesiam et doctrinam de Deo, et geret res maximas et utilissimas toti regno. Ideo prius oportet, eum crucifigi et mortificari, antequam dies resurrectionis et glorificationis veniat, ne superbiat, sed meminerit, quis fuerit, et unde emerserit ad tantam dignitatem.

Das ist unser Herr Gott, et scribuntur haec in nostram consolationem. In hac enim tam horribili cruce patris et filii Deus interea surdus et mutus est, nihil cogitans, nec sciens eorum, quae fiunt. Sed fides adest, et Deus tamen ei in cor loquitur. Exspecta, harre doch, crede Ioseph, ne desperes, retine promissionem, quam audivisti ex patre. Sic loquitur ad eum per verbum patris, Deus promisit proavo et avo et patri semen. In ea promissione persevera firma fide. Sed loquitur cum eo in mirabili silentio, ubi nihil videt, nec audit. Deus enim quasi caecus et mortuus est, tantum vivit et nititur generali promissione. Deus promisit Abrahae etc. Credo in Deum, in quem crediderunt patres mei. Postea magnifice et re ipsa cum eo loquetur, quando constituet eum regem et salvatorem Aegypti. Iam vero sepultus et mortuus est Ioseph, et habet suam parasceuen et sabbatum: pater etiam moritur, sed resurgent uterque divina potentia, quae vivificat mortuos. Cor credentis mufs doch leben et resurgere, und wenn zehen Welt auf ihm lägen. Necesse est, cor credentis vivere et resuscitari ab inferis, etiam si immensa mole totius mundi depressum jaceat.

Et ideo haec exempla proponuntur, ut assuescamus ad tolerantiam in afflictionibus, ne simus impatientes et murmuremus quantumvis multis et magnis calamitatibus oppressi. Weh thut es; wie es dem jungen Herzen auch ohn Zweifel weh wird gethun haben. Non potest quidem animus humanus haec sustinere et vincere sine ingenti dolore et cruciatu, sicut Ioseph gravissime haud dubie doluit et conturbatus est sentiens, se tam indigne a patre avelli, ac objici peregrinis, inque perpetuam servitutem dedi, ubi nihil pro-

prium unquam nanc isci, nec libertatem sperare queat, sed cogatur esse servus servorum. Servitus enim per se satis gravis et misera est, etiamsi aliae difficultates non accedant. Sed eo molestior est optimo adolescenti, quod in primo flore aetatis parentibus et omnibus hujus vitae commodis orbatur. Läfst denn unser Herr Gott solchs über seine Kinder gehn, so lafst uns auch nit murren, wenn es uns auch nit allmal geht, wie wir wöllen. Cum autem sinat Deus Sanctos suos, quos habet carissimos, tam duriter affligi: nos quoque aequo animo feramus, si quando objiciuntur tristia et adversa, non enim sunt signa irae et desertionis, sed argumenta potius gratiae et probationis fidei nostrae.

Talis igitur vita fuit sanctissima et summorum Patriarcharum, ad quos Monachi et Episcopi nostri ne conferendi quidem sunt. Nihil sunt jejunia et miracula illa, quae recitantur in Legendis nostrorum Sanctorum, Francisci, Ambrosii, Augustini etc. Das heifst gelebt, jenes ist eitel Kinderspiel. Haec sunt exempla, quae ostendunt, qualis sit vita Christiana, quae sint vera exercitia pietatis et patientiae. Wohlan, er ist hin Ioseph, da lassen wir ihn ruhen in inferno. Iam sepultus est Ioseph, sinamus eum quiescere in שְׁאֹלָה in inferno, ut ait pater, in seiner Schul.

TRIGESIMUM OCTAVUM CAPUT GENESIS.

Factum est autem eodem tempore, ut descenderet Iuda a fratribus suis, et diver-

teret ad virum Odollamiten, nomine Hira. Viditque ibi Iuda filiam hominis Cananaei, qui Sua appellabatur, et duxit eam uxorem. Cum autem ingressus esset ad eam, concepit et peperit filium, quem vocavit ipse Ger. Et iterum concipiens peperit filium, et ipsa vocavit eum Onan. Et adjiciens peperit adhuc filium, vocavitque nomen ejus Sela; et erat in Chezib, quando peperit eum.

Supra aliquoties admonui, diligenter seriem historiae observandam esse in narratione de obitu Isaac et venditione Ioseph. Moses enim figura, quam ὕστερον πρότερον vocant, usus est more aliorum historicorum. Sub finem capitis trigesimi quinti dixit: Impletis diebus Isaac CLXXX eum mortuum esse. Postea trigesimo septimo ait: Flevit Ioseph pater suus Isaac. Eam ob causam et hoc caput diligenter inspiciendum est, et notandum, ea, quae complectitur, longe ante gesta esse, quam moreretur Isaac, aut Ioseph venderetur. Vivit enim Isaac, donec evehitur Ioseph ad principatum Aegypti, ferme XIII annis, et Iuda descendit ad Sua Odollamiten, ducit ejus filiam uxorem, suscipit ex ea tres filios, quorum duo occiduntur superstite avo Isaac, et fratre Ioseph apud patrem adhuc degente incolumi et libero. Ab eo tempore septem aut octo annis exactis venditur demum Ioseph. Ideo omnia illa, quae hoc capite continentur, praecesserunt mortem Isaac, quod ex supputatione annorum Iacob, clare colligi et evinci potest. Atque ea series semper ob oculos habenda erat, descripta in tabella, ne perturbetur lector parum attentus.

Apparet autem, Iudam descendisse a fratribus non

in Hebron, sed in Sichem tum degentibus, ad quem locum Iacob ex Mesopotamia venerat, ibique fixerat tabernaculum. Nec puto, eum amplius duobus annis haesisse apud patrem adolescentem adhuc, sed relicta domo paterna et fratribus secessisse cum suo peculio ad vicinos Odollamitas, forte ab iis invitatum; non enim constat, quae fuerit causa migrandi. Verisimile tamen est, intercessisse aliquam familiaritatem et notitiam gentibus illis cum Iudaeis hospitibus, et magnum argumentum est civilitatis et humanitatis eximiae, posse in ditione sua tolerare peregrinos, qui agros colant, negotientur, et alia usitata officia communis vitae faciant. Apparet, eos nondum fuisse auctos divitiis et potentia, sicut supra dictum est. Nondum completae sunt iniquitates Amorrhaeorum, adhuc fuerunt boni et hospitales, donec postea opibus et luxu corrupti sunt. Significatur igitur fuisse humanos et faciles in excipiendis et ferendis Iudaeis naturali quodam jure, sine lege positiva. Tales fuerunt Aner et Mamre Amorrhaei et gentiles. Et supra audivimus, Abimelech et alios benigne praebuisse hospitia et auxilia Patribus. Potuit etiam haec causa accedere, quod Iuda offensus superbia et tyrannide fratrum, praecipue Simeon et Levi, qui gloriam et praerogativam primogeniturae sibi vindicabant, secesserit, cum ipse esset ingenio placidiore, nec posset ferre eorum fastum et mores efferatos.

Lyra valde angitur, quam ob causam discesserit e domo paterna, et adducit nugas Iudaeorum, quibus propemodum totam scripturam sanctam contaminarunt, fratres nimirum commiseratione patris, quem dolore et luctu consumi viderent, coepisse irasci et indignari Iudae, quod ipsis auctor exstitisset venditionis Ioseph,

nisi enim id consilii dedisset, non fuisse eum venditu-ros. Sed has fabulas refutat supputatio annorum et ordo historicus. Iam enim uxorem et tres filios habuit Iudas, antequam abduceretur Ioseph in Aegyptum.

Distat autem Sichem satis longo intervallo ab Odollam, sunt enim in diversis tribubus sitae urbes, Sichem in Ephraim, quae postea vocata est Neapolis, Odollam vero versus occidentem, ubi habitavit tribus Iuda. Ac videtur sane singulari quodam fato in eam regionem concessisse, quam postea tenuerunt eius posteri. Divertit autem apud virum bonum et honestum, qui eum perhumaniter tractat, cumque eo moratur aliquamdiu, non, ut opinor, servili conditione, sed ut hospes pascens pecora circa Odollam civitatem Iuda, atque ibidem cujusdam Cananaei filiam videt, quam ducit uxorem.

Forsan autem de eo dubitaverit aliquis, an adhibuerit patrem in consilium cum in secessione, tum in contrahendo conjugio apud exteros. Ac propemodum ita videntur sonare verba textus, quasi fecerit parente inconsulto; non enim fit mentio potestatis patriae, quod eo jubente aut consulente hanc duxerit uxorem, sicut postea dicetur, Iuda dedisse Ger filio uxorem. Neque tamen ostendi potest, eum sine consensu patris contraxisse matrimonium cum Cananaea, aut, si probetur, non sequetur, esse hoc factum trahendum in exemplum, ipse enim in filio Ger diversam et honestiorem rationem sequitur, et quia perpetuo apud patrem gratia valuit, haud dubie summo studio monitis et praeceptis ejus paruit. Infra enim audiemus, patrem nemini ex fratribus velle committere filium Benjamin, quam Iudae, et ejus reditum ex Aegypto sollicite exspectare; nec arbitror, eum ita discessisse,

ut ad patrem non redierit unquam, sed interdum haud dubie revisit, quid ageret, quomodo valeret et parens et avus Isaac. Tum quoque cum venderetur Ioseph, forte exspaciatus fuit ad fratres, aut rediit in domum paternam ab hospite, apud quem aliquot annis haeserat; nisi sic velimus statuere, habuisse eum tantum pascua et greges in Odollam, et ultro citroque sive ad tondendas oves, sive alias ob causas commeasse.

Porro et de vocabulo grammatica quaestio est, utrum proprium sit vocabulum Cananaeus, et pro aliquo de gente Cananaeorum accipiatur, an vero appellativum, quod mercatorem significat. Saepe enim in scriptura sancta appellative usurpatur, ut Proverb. 31, 24: „Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Cananaeo,“ id est negotiatori. Incertum est igitur, fueritne mercator, an non, nihil enim additur, unde id colligi queat.

Sua non filiae, sed patris nomen est. Mulieris autem nomen non exprimitur, nec recensetur in genealogia Christi, sed Thamar celebris est, et facta est mater Christi, nec Iudae filii ea gloria ornati sunt, tametsi satis numerosam progeniem habuerunt. Concipit ergo mulier et parit filium primogenitum, quem pater Iuda appellat Ger. Reliquis duobus Onan et Sela mater nomina imponit. Appellatio Onan a dolore et difficultate partus facta est, sicut Rahel superata doloribus partus vocat filium Benoni. Tertio melius nomen indit Sela, quod facilius et felicius peperisset.

Postrema particula: Et erat in Chezib, quando peperit eum, reddita est ab Hieronymo: quo nato cessavit parere. Id enim interpretibus solet accidere, ut nonnunquam nomen proprium appellative exponant:

propterea, quod propria fere a nominibus appellativis descendunt, eorumque significatione accipi possunt. Chezib autem nomen civitatis est in Iuda, quae alias Achsib Michae 1, 14 vocatur, ubi fit allusio in nomine urbis, et fallendum esse regem Israel significatur. Er soll feil da schlagen. Fuit et Achsib in tribu Asser ad aquilonem, sed haec in Odollam ad tribum Iuda vel Dan potius pertinuit versus meridiem. Hieronymus secutus Aquilam transtulit appellative, quod mihi non probatur, displicet enim libertas illa fingendi figuras et interpretationes alieniores, sicut hoc admodum durum est, fuit in mendacio, id est, cessavit parere. Sic enim sonat in Hebraeo appellative, fuit mendacium in pariendo, vel frustratus est eam partus.

Accipio igitur pro nomine loci, qui celebris est in sacris literis. Duae enim civitates fuerunt hoc nomine, sicut etiam Hieronymus affirmat. Et haec significatio congruit cum historia: vult enim ostendere Moses, quod initio statim proposuit, Iudam fuisse sejunctum a fratribus, siquidem non habitavit in Sichem cum sua uxore, sed relictis parentibus et fratribus descendit ad quendam Odollamiten, ubi hospes et peregrinus fuit, et vagabundus pavit pecora errando hinc inde pro commoditate pascuorum. Iam enim in Achsib, jam in Thymnath, jam in Odollam, quae sunt civitates Iuda vel potius Dan, commoratus est. Simeon postea in Thimnath celebravit nuptias.

Significat igitur Moses, Iudam non habuisse certam sedem, sicut nec patres ejus, sed manentibus fratribus apud parentem in Sichem ipse peregrinatus est, et plurimum consuetudinis habuit cum Hira Odollamite, amico et socero suo. Atque ibi videntur fuisse optimae reliquiae Cananaeorum, a quibus pluri-

mis beneficiis affectus est, si enim tractassent eum inclementius, non junxisset cum iis affinitatem. Et postea, cum Sichimitae occiduntur, haud dubie praesidio fuerunt filiis Iacob in ulciscenda injuria illata a Sichimitis, et tuendo Iacob, ne a vicinis cum familia trucidaretur. Qui volet autem retinere translationem Hieronymi, et quaerere allegorias, ei per me sane licebit, quasi significetur, fuisse in mendacio, id est coepisse falli in partu et desiisse parere, quia IX aut XII annis post, non generavit Iuda, ut infra videbimus.

Diligenter autem notandum est, omnia haec, quae hactenus recitata sunt, gesta esse ante mortem Rahel et Deborae, ante nativitatem Benjamin, stuprum Bilhae et violationem Dinae, quia Iuda discessit a fratribus secundo aut tertio anno post adventum patris Iacob in Sichem. Octo aut novem annis vixit in summa tranquillitate, octavo autem aut nono anno circiter quasi impetu facto, calamitates illae simul ingruerunt, stuprum Dinae, obitus Rahelis etc., et tandem venditio Ioseph. Sed quae porro narrantur a Mose de conjugio et morte filiorum Iuda et conjugis ejus, illa haec omnia consecuta sunt.

Deinde supputatio annorum Iacob et Iuda etiam inspicienda est, si enim ea, quae hoc capite commemorantur, cum annis aetatis Iuda conferas, videntur propemodum incredibilia esse, nec tam brevi tempore, quod interest inter descensum in Aegyptum et nativitatem Iuda, fieri potuisse. Iacob enim LXXXIV anno duxit uxores Lea et Rahel, et, cum descendit in Aegyptum, annos habet CXXX. Iuda vero natus est anno quarto conjugii. Relinquuntur igitur fere XLII anni inter nativitatem Iuda et descensum in Aegyptum. Eo tam exiguo spatio fit maritus Iuda et stuprat nurum

suam. Quando enim ducit uxorem, ratiocinamur, eum viginti annorum fuisse, jam et tres filios ponamus natos esse biennio, quibus cum adolevissent et attigissent annum vigesimum, pater filias Cananaeorum collocavit. Mox iis exstinctis mansit Thamar vidua uno anno, altero vero, qui sequutus est, incestum cum ea committit socer Iuda, et suscipit ex nuru duos geminos Perez et Serah, quibus omnibus collectis in unum prodeunt XLIV anni, cum non amplius quadraginta duobus intersit inter nativitatem Iuda et descensum in Aegyptum. Et tamen haec adhuc secunda generatio est. Infra enim 46. cap. recensentur duo nepotes Iuda, Hezron et Hamuel, quos genuit Perez ante migrationem in Aegyptum, cui similiter tribuendi erunt XX anni ad maturitatem conjugii et generationis, qui juncti superioribus conficiunt 60. annos, intervallum longe superans usitatam et veram supputationem annorum.

Necessario igitur inde colligimus, naturam tunc longe firmiorem et validiorem fuisse tum in masculis tum in foemellis, quam nunc est, ita ut conjuges potuerint generare liberos duodecimo aut tredecimo anno. Nam alia ratione supputationem cum historia non conciliabimus. Statuamus itaque Iudam tantum duodecim annos habuisse, cum fieret conjux, biennio autem post natos esse tres filios, quo tempore fuit complete XIV annorum, his accesserunt duodecim filii Ger, cui ea aetate uxorem Thamar junxit, anno aetatis Iuda XXIV quo occiduntur etiam Ger et Onan, aut altero ab hoc XXV; itaque non peperit Thamar usque ad XXVI Iudae, et interea exspectavit, dum cresceret Sela duobus annis minor fratre Ger, forte XI aut XII annorum. Ponamus vero, fuisse eam viduam domi uno anno, et

sequitur, Iudam XXVII annorum esse, cum stuprat nurum. Non enim amplius tribuemus viduitati Thamar, quod eo tempore mulieres in magno metu fuerunt sterilitatis, contemtus et maledictionis, quam summo studio conati sunt effugere. Ex incestu porro vigesimo octavo eduntur gemini uno partu, ex quibus alter Perez duodecimo anno uxorem ducit, qui est quadragesimus Iudae, et generat Hebron et Hamuel, quibus etiam biennium dandum est, nisi forte fuerint gemelli, tandem vero XLII anno descendit in Aegyptum.

Haec ratio annorum proxime accedere videtur ad historiae seriem, et, qui volet, requirat eandem ex nostro Chronico paulo exactius supputatam. Illud autem omnino concedendum est, patres eo tempore celerius generasse natura adhuc firmiore, quam in hac extrema mundi senecta. Sic sane singulare Dei opus fuisse arbitror, quod Iuda ea aetate idoneus fuit ad procreandam sobolem. Hodie perpauci decimo octavo anno maturi sunt conjugio et generationi, Patriarchae vero paucis annis eam maturitatem et robur aetatis adepti sunt, ut infra annos pubertatis generarent.

Cum autem nihil aliud complectatur hoc caput, quam narrationem de generatione Iudae ac discessu ejus a fratribus, et praeter haec foedissimum incestum cum nuru sua Thamar, rursus usitata quaestio nascitur: Quare Deus et Spiritus sanctus haec tam turpia et nefanda scribi et conservari voluerit in Ecclesia recitanda et legenda; non enim recte gravioribus omissis curare ista videtur non modo non necessaria sed et indigna luce et memoria. Talia enim doceri posse ad salutem aut aedificationem Ecclesiae, quis credat? Narrat, Iudam discessisse a fratribus, duxisse alienigenam, postea incestu polluisse nurum

suam, quod satius fuisset tegi et perpetua oblivione obrui.

Canonistae et Papistae facile evadunt, qui dicunt: Vetus Testamentum esse librum de concubitu et scortationibus Iudaeorum. Sed hi suam stoliditatem produnt, et satis testantur, se esse porcos et asinos, loquentes de rebus non intellectis et ignotis, ac contumelia afficiunt Spiritum sanctum, quasi nesciat, quid scribendum aut proponendum sit Ecclesiae Dei. Hieronymus etiam respondet, verum non ea tantum ratio est, quam adfert, quod Christus voluerit ab initio genealogiam suam in sacris literis celebrari, et, cum Thamar mater ejus esset, oportuisse ejus nomen omnibus notum esse. Sed insuper ingens consolatio proponitur, quod sanctissimi Patres et tantorum Patriarcharum filii, Iudas et alii describuntur ut homines pleni infirmitate et maximis naevis, quibus haec misera natura est obnoxia, et quod mirabiliter eos rexerit Deus Spiritu sancto, ita tamen, ut permitteret eos exserere motus suos proprios, hoc est peccatum et fructus originalis mali. Est enim horribile scelus utriusque Iudae et Thamar, quod licet extenuari queat, tamen excusari nequaquam potest.

Recitantur autem ejusmodi exempla nobis in doctrinam et consolationem, et fidei nostrae confirmationem, ut consideremus immensam misericordiam Dei, qui non solum justos, Abraham, Isaac, Iacob salvos fecerit, sed etiam injustos, Iudam, Thamar, Ruben, Simeon, Levi, qui sunt insignes peccatores, adeo ut nemo praesumat de sua justitia aut sapientia, neque quisquam propter peccata sua animum despondeat.

Celebrantur ergo in sacris literis pulcherrima exempla Patrum, Abrahae, Isaac, Iacob, qui fuerunt

veluti luminaria totius mundi et Ecclesiae Dei, instar stellarum, solis, aurorae, perfecti in fide, spe, caritate. Simul vero describuntur insignes et horribiles peccatores, tam mali et scelerati, quam justi illi fuerunt. Ruben thut seinem Vater wohl so ein grofse Schalkheit, als justitia Abrahae ist gewesen. Ita proponitur justitia summorum sanctorum et peccatum extreme malorum, qui ex una familia et sanguine eodem exstiterunt.

Haec est praedicatio poenitentiae et fidei, seu remissionis peccatorum, ne quis praesumat propter justitiam suam, neque desperent lapsi, nam et Iudae et aliorum etiam Patrum errata, imo enormes lapsus recitantur. Et ad hunc modum erigendi sunt animi perturbati propter conscientiam peccati: Noli desperare, quia Deus jubet te confidere et credere promissioni suae, et potest te quoque justificare, sanctificare et salvare, sicut illos salvavit. Idem Deus est, qui humiliat superbos, et exaltat humiles. Non autem vult nos niti justitia nostra, neque desperare in peccatis, sed confidere misericordia ejus. Itaque valde necessaria sunt exempla haec Ecclesiae Dei. Denn wo wollten wir bleiben? Quid enim spei nobis foret reliquum, nisi Petrus negasset Christum, et Apostoli omnes in eo essent scandalisati, si non fuisset lapsus Moses, Aaron, David. Voluit igitur Deus his exemplis consolari peccatores, et dicere, si es lapsus, revertere, janua misericordiae tibi patet. Tu, qui nullius sceleris tibi conscius es, noli praesumere, sed uterque confidat gratia et misericordia mea.

Haec vera causa est, cur misceantur narrationes plenae turpissimis scandalis, Legendis, vel historiis sanctorum Patriarcharum. Moses singulari studio fru-

ctus pessimos juxta cum optimis recenset, sicut in novo Testamento Iudas inter Apostolos est magno et mirabili exemplo in consolationem Ecclesiae, ne desperent pii, non ut exemplum habeant impii, quod sequantur, sed quo nitantur poenitentes, ne prorsus omnem spem abjiciant de salute sua et misericordia Dei.

Non voluit ea scribi Spiritus sanctus ad statuendum morale exemplum, sed in consolationem; non ad confirmandam licentiam peccandi in posterum, sed ad spem et fidem excitandam. Commendat enim et committit nobis satis fortem remissionem peccatorum, siquidem facit spem erigendi, resuscitandi et confirmandi lapsos in Ecclesia. Hanc doctrinam non habent Ethnicorum aut Papistarum libri, solus Spiritus sanctus in scriptura Bibliorum eam tradidit. Deinde conditio sanctissimorum hominum ob oculos ponitur, quod non fuerunt saxei, aut ferrei, non trunci aut stipites, sine sensu, sine carne et sanguine, sed per omnia nobis similes homines, et, si quid praeterea sancte fecerunt, id non ex carnis nostrae viribus, sed dono Spiritus sancti gesserunt. Fieri igitur potest, ut, quae illis contigerunt viventibus in eadem carne, quam nos circumferimus, ea nobis quoque usu veniant.

Secundo respexit Spiritus sanctus ad Messiam, et nativitatem filii Dei, quae est principalior causa. Nam hunc lapsum oportuit fieri in illa ipsa linea, in qua nasciturus erat filius Dei. Summus Patriarcha Iuda, pater Christi hunc infandum incestum commisit, ut nasceretur Christus de carne excellenter peccante et turpissimo peccato contaminata. Nam ex scorto incestuoso nuru sua generat geminos, unde postea ducitur linea Salvatoris. Da mufs Christus in sua carne peccator werden, so schändlich, als er immer werden

kann. Caro Christi oritur ex incestuoso concubitu, similiter et caro Virginis, matris ejus, et totius posteritatis Iudae, ideo, ut significaretur ineffabile illud consilium misericordiae Dei, quod assumsit carnem sive naturam humanam ex carne contaminata et horribiliter polluta.

Disputant enim Doctores scholastici, utrum natus sit ex carne peccatrice, an munda, an servaverit Deus a condito mundo aliquam puram guttulam carnis, ex qua Christus nasceretur. Respondeo ergo, Christum vere natum esse ex vera et naturali carne et sanguine humano, qui corruptus fuit originali peccato in Adam, sed sic, ut posset sanari. Sicut nos credimus et speramus, qui sumus circumdati carne peccati, futurum ut in die redemptionis nostrae ea purgetur et separetur ab omnibus infirmitatibus morte et ignominia, sunt enim peccatum et mors mala separabilia. Itaque cum ventum fuit ad virginem vel guttam illam sanguinis virginalis, impletum est, quod dixit Angelus: Spiritus sanctus veniet super te et obumbrabit tibi. Non quidem natus est Messias virtute carnis et sanguinis, sicut Iohan. 1, 13. dicitur: „Non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri etc.,“ sed tamen ex massa carnis et ex isto sanguine corrupto voluit nasci. In illo autem puncto conceptionis virginalis Spiritus sanctus purgavit et sanctificavit massam peccati, et extersit venenum Diaboli et mortis, quod est peccatum. Etsi mansit mors in ea carne propter nos, tamen fermentum peccati expurgatum est, et facta est purissima caro per Spiritum sanctum purificata, et unita cum divina natura in una persona. Est igitur vere natura humana non alia, quam in nobis. Et Christus est filius Adae et de semine et carne ejus, sed, ut dictum

est, Spiritu sancto obumbrante, operante et purgante, ut apta esset ad hanc conceptionem innocentissimam, et mundam ac sanctam nativitatem, qua nos purgaremur et liberaremur a peccato.

Propter Christum igitur haec scribuntur, quem voluit Spiritus sanctus mergere in peccatum, quam potuit fieri profundissime. Ideo oportuit eum fieri incestuosum, et nasci ex incestuoso sanguine.

Tertio illud quoque notandum est significari per Spiritum sanctum in hac historia, Deum ita recipere et eligere semen Abrahae, ne tamen abjiciat gentes secundum carnem. Non est, quod glorientur Iudaei, se solos esse semen Abrahae. Post Isaac enim non sunt tantum Abrahae semen, quia Rebecca non ex Abrahamo, sed a Nachor oriunda est, sic Lea et Rahel progenies sunt Bethuelis; ibi confusa sunt semina, gentile mixtum est cum Abrahae semine. Item Thamar est mulier Cananaea, non igitur aspernatus est Christus matrem Cananaeam, sed voluit nasci ex semine gentis reprobae, ne immodice se efferrent et jactarent Iudaei de suo sanguine. Fateri enim eos necesse est, se esse Idumaeos, Parthos etc. et etiam jure naturali gentes esse matres, fratres, patrueles, matrueles et sorores Christi, saltem propter matres. Omnes enim ex hac Thamar orti sunt, quae est mater totius tribus Iuda, et caro Perez conflata et composita fuit ex Cananitidis et Abrahae semine. Necessario igitur agnoscit Israel gentes consanguineos sive cognatos et fratres suos propter matres. Nam et mater constituit sorores, fratres et uxores non minus, quam pater. Quamvis enim series genealogiae non ducitur a matribus, nec censentur mulieres in posteritate, tamen annumerantur quoque: et harum quidem

expressa et singularis mentio fit Thamar, Ruth, Rahab, Bersaba. Ibi veniunt gentes in communionem populi Israelitici et societatem non tantum religionis sed etiam carnis ejusdem. Certe enim una caro fiunt masculus et femina. Ergo Iudaei et gentes jam sunt una caro ex una carne prognati.

Ad hunc modum voluit Deus retundere fastum et stultitiam superbissimi populi Iudaeorum, qui gentes cane pejus et angue oderunt. Cogentur enim vel inviti concedere, Iudaeos et gentes etiam naturaliter et secundum carnem esse fratres. Non enim abjicient hanc matrem Thamar, licet paternitas et genealogia non ducatur a matribus. Moab ait de Ruth, haec est filia mea et est mater Messiae, ergo Messias est meus filius, idem Canaan de Thamar dicere potuit. Denique Manasse et Ephraim filii Ioseph an non orti sunt de matre Aegyptia? Ergo tribus regia in Israel est Aegyptia, et Aegyptus dominatur populo Israelitico, si non ex linea paterna, tamen ex consanguinitate et natura. Accedit huc, quod medici dicunt, plus alimoniae matrem foetui conferre, quam patrem, mater enim alit foetum decem mensibus in utero non nisi de suo sanguine, et postea sanguine in lac converso lactat infantem.

Non igitur causam habent Iudaei gloriandi, sed humiliandi se ac agnoscendi sanguinem maternum. Ex patre enim Israelitae sunt, ex matre autem gentiles, Moabitae, Assirii, Aegyptii, Cananaei. Atque hoc voluit significare Deus, Messiam futurum esse fratrem et fratruelem cum Iudaeorum, tum gentium, si non secundum genealogiam paternam, at secundum naturam maternam, ita ut nullum discrimen sit inter Iu-

daeos et gentes, nisi quod Moses postea separavit hunc populum a gentibus diverso cultu et politia.

Ideo autem haec scripta sunt, ut constaret omnibus, Messiam collecturum esse gentes et Iudaeos in unam et eandem Ecclesiam, sicut natura et consanguinitate juncti sunt. Ac propterea supra vocabulum Canaan appellative exponendum duxi; quia Christus voluit nasci de Cananaeis, gente ethnica, et hoc modo inchoare pacificationem inter Iudaeos et gentes. Necesse enim est recolligi et quasi in unum ordinem redigi omnia in Christo, quia non Iudaeorum tantum Deus est, sed et gentium. Nos quidem gentes a Iapheth proprie orti sumus, sed Cham et Canaan sanguine juncti sunt Sem. Etsi igitur sumus paulo alieniores, tamen eodem jure, quo Assirii et Aegyptii ad societatem et unitatem Christi pervenimus.

Haec dixi contra vanam jactantiam Iudaeorum de semine Abrahae. Totus enim populus Israeliticus a Lea et Rahel ortus est, quae non fuit Abrahae progenies. Tribus Iuda originem trahit a Thamar, denique David ipse ex Moab oriundus est. Valde igitur reprehendenda est superbia eorum, qua gentes contemnunt et oderunt infensissime, cum tamen sint consanguinei propter hanc matrem Thamar, et alias, quas ante commemoravimus, per quas sanguis gentilis et Iudaicus mixtus fuit.

Atque hae sunt causae, quare Spiritus sanctus hanc historiam noluit praeterire, primum in consolationem lapsorum et poenitentium, deinde in gloriam gentium, quamvis matres non pertinent ad genealogiam, qui honos soli paternitati debetur, sed tamen paternitas et maternitas habent eandem carnem et sanguinem. Et in posteris incipit consanguinitas in Perez et Iuda.

Ibi Thamar non est amplius affinis, sed mater secundum naturam; et mater tam est substantia, sanguis et corpus filii, quam pater.

Eadem vero spurcissimis Canonistis opponenda erant, qui ejusmodi historias editas a Spiritu sancto pro obscoenis habent et fastidiunt, ac tuentur impiam legem Pontificum de impuro Caelibatu, quo veram castitatem et totam vitam conjugum ita obscurarunt, ut multae bonae mentes a conjugio, tanquam impio vitae genere, abhorrerent; neque juventus amplius ad oeconomiam et officia ejus educaretur. Unde horribiles laquei conscientiarum et infinitae confusiones in rebus oeconomicis et politicis consecutae sunt hereditatibus non rite divisis.

Satanae igitur haec vox est, quando dicunt, in Genesi tantum concubitus Iudaeorum recitari. Is enim immani odio generis humani horribiliter deformare, et foedare hanc miseram naturam conatus est omnibus temporibus, propterea quod vidit Deum illam assumturum et glorificaturum aeterna vita. Das muſs dem Teufel weh thun, und verdriessen. Ac videmus quidem, subjectam eam esse permittente Deo ludibrio et injuriis Diaboli, sed coepit tamen eam ornare, et in futura vita immensa gloria cumulabit. Generatio in hac vita ab omnibus magnifieri et expeti debebat, sicut in omni genere animantium desideratur. Sed inter homines multi eam aversantur. Das hat der Papst und der Teufel zugericht. Nullus rusticorum ferret vaccam sterilem. An non igitur fecunditas in natura humana multo gratior et optabilior esse debebat, quam in brutis? Huc accedit etiam illa infirmitas et ἀταξία, quae a peccato est invecta. Sed exspecta, Deus repurgabit et liberabit illam miseram carnem, sicut

jam ante summa gloria cumulavit, illa ineffabili unione humanae naturae cum divina.

Haec eo dico, ne quis turpitudinis accuset sanctissimos Patriarchas. Videmus enim, quam cupide mulieres sanctae expetiverint sobolem, ita ut propemodum ejus amore insanirent, sicut supra de Rebecca dictum est, ea enim sola et praecipua earum dignitas fuit et ornamentum. Et Salomon inter tria inexplebilia recenset uterum mulieris, quia naturae insitum et sic condita est, ut fecundetur et pariat. Itaque non potest non appetere multiplicationem, quemadmodum inquit Deus: Crescite et multiplicamini. Et mulier non pariens cupit parere sine fine, et non saturatur, hört nicht auf. Apud nos vero hic ordo naturae mutatus est prava consuetudine et traditionibus Pontificiis, quibus didicimus contemnere tum oeconomiam, tum politiam. Diligenter igitur ejusmodi exempla agitanda et eruenda sunt ex sordibus Canonistarum, ut recte de iis judicare et consilia Spiritus sancti in talibus narrationibus cernere queamus.

Et accepit Iuda uxorem primogenito suo Ger, nomine Thamar. Et fuit Ger primogenitus Iudae malus in conspectu Domini, et interfecit eum Dominus.

Quod hoc in loco recitatur de nuptiis Ger, secutum est venditionem Ioseph et alias calamitates paulo ante enumeratas. Supra autem in descriptione conjugii Iuda, non meminit Moses auctoritatis paternae. Verum mihi nihil dubium est, quin consensu et consilio patris Iacob id genus vitae ingressus sit. Hic autem clarus textus est, quod Iudas ipse accepit uxorem filio suo primogenito, idque arbitror factum anno

duodecimo aetatis Ger, Isaac adhuc superstite, et Ioseph vendito et abducto in Aegyptum.

Nomen uxoris est Thamar. Cujus vero fuerit filia, non constat: praesumimus, fuisse Cananaeam, qualis et uxor Iudae erat. Necessaria autem ejus mentio est, et propter eam solam hoc caput scribitur, quia est mater salvatoris filii Dei, propter quem tota Scriptura sancta data est, ut ille innotesceret et celebraretur. Ex hac igitur Thamar ortus est Messias, licet per stuprum et incestum, illum in hoc libro quaerere et agnoscere debemus. Et, quamquam incertum est, sitne Cananaea, an Amorrhaea Thamar, nomen enim gentis non exprimitur diserte, tamen haud dubie ad Canaan pertinuit.

Sic igitur Christus participat sanguinem Cananaeorum, et conglutinat sibi corpus suum proprium ex semine Abrahae et Cham vel Canaan, ut principio statim testaretur, se non abjicere gentes, quos recepit, et dignatus est eos assumere in suam personam. Malos quidem punivit, ut impiorum Cananaeorum et Sodomitarum exempla testantur, quos expulit aut delevit penitus, sicut nec Iudaeis naturalibus ramis pepercit, quin eos ejiceret. Nec profuit gloria sanguinis, sive paterni apud Iudaeos, sive materni apud Cananaeos; non enim vult filios carnis. Solus ipse est carnis filius, sine peccato carnis. De reliquis omnibus manet immota sententia, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis etc." Sic igitur utrique, Iudaei et Cananaei jactitent carnem, ut removeatur et purgetur peccatum. Sicut filius Dei propterea humanam naturam assumsit purissimam ab omni peccato, ut purgaret sanguinem et carnem nostram tam gentium, quam Iudaeorum. Da stehet nun die liebe Thamar,

und ist Christus der Juden Vetter, non affinis, sed cognatus. Iuda vero, cum dat uxorem filio, et fit avus aut socer, natus est annos XXIV.

Addit Moses, fuisse Ger malum in oculis Domini, ideo occisum a Domino. Cur autem non pepercit sanguini tam sancto, filio Patriarchae Iuda? Respondeo: Filii carnis non aestimantur in semine, sed spiritus, Rom. 9, 8. Oportet accedere Spiritum sanctum, qui purificet carnem, alias aeque ac gentes abjiciuntur, aut occiduntur carnales filii Abrahae.

Dixit ergo Iuda ad Onan: Ingredere ad uxorem fratris tui, et duc eam uxorem, ut suscites semen fratri tuo.

Vox haebraeo יַבֵּם, quae hoc in loco ponitur, nusquam alibi extat, quam in Deuter. 25, 5., ubi jubetur uxorem fratris defuncti ducere frater. Ea vero non fuit lex Mose, sed Patrum ante legem Mose, unde apparet eum fuisse collectorem multarum ceremoniarum et traditionum, quarum auctores fuerunt sancti Patres. Illarum haec lex una est, conservata et per manus tradita a summis Patriarchis, supra modum sane difficilis et molesta. Cogit enim invitum etiam ad ducendam uxorem relictam a fratre absque prole, tametsi ejus amore aut desiderio non afficiaris, cum quidem impossibile videatur amare eam casto et maritali amore, quam nec eligas ipse, nec expetas, nisi furore libidinis id fiat. Quid, si sit sterilis, quemadmodum illa, cujus fit mentio Matth. 22, 25? Durissima igitur lex fuit. Verum in istis etiam ceremonialibus respectus est ad Christum, qui in iis quaerendus est.

In Deuteronomio autem quando praecipitur, ut frater defuncto fratri semen suscitet, includitur polyga-

mia et a Mose confirmatur. Atque haec causa fuit, cur Salomo tantum numerum uxorum haberet, quarum aliquae certe consanguinitate aut affinitate ipsi fuerunt junctae, et si qua fuit paupercula in familia illa, adjunxit se regi cognato aut affini. Da haben sie sich zu dem Vettern geschlagen, tales complures aluit. Et tamen haud dubie aliquae fuere concubinae praeter reginam propter hanc legem, quae profecto res molesta et intolerabilis fuit, tot uxoribus aut concubinis onerari, quas minime desideres.

Significat igitur יָבַם copulam illam facere, quando propinquus cogitur lege ducere uxorem viduam fratris relictam sine liberis, aut si fratrum nullus fuit superstes, eadem lege reliqui cognati tenebantur. Qui vero fuerit ejus primus auctor, aut unde orta sit, non scio. Iuda filio suo Onan mandat, ut ducat uxorem fratris, quod ipse invitus facit, ac propterea inclementius videtur tractasse mulierculam, aut, cum cogeretur eam sibi jungere, tamen noluisse cum ea dormire; non enim potuit ferre molestiam hujus legis. Ideo Thamar natura fecundissima non concipit ex his duobus Ger et Onan, fortassis etiam alia peccata accesserunt, sicut exitus utriusque testatur, insignem eorum fuisse malitiam. Dominus enim eodem anno ambos occidit, nisi alterum Onan in principio secundi anni exstinctum esse dicamus, cum esset duodecim annorum, et urgeretur a patre ad ducendam Thamar.

Mirabilis sane libertas fuit muliebris sexus, quod potuerunt nubere ordine omnibus fratribus aut propinquis, quocunque ex eorum numero defuncto; et si fuit sterilis, profecto ingratum et difficile onus fuit. Id vero est domare concupiscentiam, quae ubi non vult, cogitur: coacta fugit et aversatur oblatam. Arbitror

itaque, tantum a bonis et piis hanc legem servatam esse; ab improbis vero neglectam et violatam. In historia Ruth propinquus, qui eam recipere ad se jure propinquitatis debebat, mavult relicto agro ignominiam ferre, et dici discalceatus, quae erat poena transgredientium legem, ein barfusser Münch, quam servitutem illam tolerare. Esset sane horribilis disciplina contra concupiscentiam, si nos quoque ea lex obligaret. Experimur enim, quantum alioqui difficultatis et molestiae amor conjugalis, qui initio liberrimus et ardentissimus est, secum trahat, Satana subinde turbante et inflammante animos injustis odiis, rixis et contentionibus.

Ait ergo Iuda ad Onan, ingredere ad uxorem fratris tui, (ea enim vis est Hebraeae vocis, jungere sibi propinquam, non simpliciter matrimonium contrahere,) ut suscites semen fratri tuo. Hic finis legis fuit, ea cura pertinuit ad fratres aut cognatos superstites, ne fratris defuncti nomen deleretur in terra. Oportuit enim, quemlibet relinquere filios post se in Israel. Sequitur autem teterrimum facinus pessimi nebulonis Onan.

Sciens vero Onan, quod non suum esset semen, ingressus ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram et dispergebat, ne semen daret fratri suo. Et malum visum fuit in oculis Domini, quod ille fecerat, ideo occidit et ipsum.

Das muss ein muthwilliger, verzweifelter Bub seyn gewest. Hoc foedissimum peccatum est, longe atrocius incestu et adulterio; nos vocamus mollitiem, imo Sodomiticum peccatum, ingreditur enim ad eam,

hoc est, cum ea concumbit, et exercet copulam, et cum ad seminandum ventum est, profundit semen, ne concipiat mulier. Tali sane tempore ordo naturae conditus a Deo in generatione sequendus est. Itaque teterrimum scelus fuit, provocare semen et mulierem, et illo ipso momento eam frustrari. Fuit incensus pessimo livore et invidia, ideo non passus est, se cogi ad ferendam illam intolerabilem servitutem. Iuste igitur a Deo occisus est. Eine böse That, darumb hat ihn Gott gestraft.

Et hoc est, quod dixi, singularem illorum fuisse probitatem, qui hanc legem servarunt. Magnum enim onus est, servire alteri in excitanda et conservanda posteritate et haereditate, gignere liberos alienos, educare, alere, relinquere iis patrimonium, eaque omnia sub nomine mortui fratris. Hanc caritatem prorsus ignorat mundus. Magna molestia est gubernatorem tantum et tutorem esse pupillorum, quod hodie fieri solet jure Romano: quot ibi querelae, quanta perfidia per totum orbem terrarum deprehenditur? Difficile enim est et insignis caritatis opus fidem et diligentiam in alienis bonis tuendis adhibere. Itaque lex ista ardentissimam caritatem includit, quam nequam ille non vult exercere, et potius teterrimo peccato se polluit, quam exsuscitet semen fratri. Peccat vero et Iuda, ideo mox horribilis poena sequetur.

Dixit itaque Iuda ad Thamar nurum suam: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela, filius meus. Dicebat enim: Ne forte moriatur etiam ipse, sicut fratres sui.

Disputant hoc in loco, quo patre nata sit Tha-

mar. Iudaei suo more delectantur nugis ac fabellis, et fingunt, eam fuisse filiam sacerdotis Sem, idque inde colligunt, quod Iuda jubet eam produci, ut concremetur propter adulterium, propterea quod filiae sacerdotum fornicantes solitae sint igni exuri. Sed has nugas missas facio, eadem enim facilitate contemnuntur, qua confictae sunt. Sem ante annos circiter quinquaginta excessit e vivis. Ger autem et Onan duodecim annorum sunt, quibus non sivisset Iuda nubere quinquagenariam Thamar. Fuit ergo Cananaea, sicut Rahab et Ruth Moabitis gentili sanguine prognata.

Porro haec quoque difficilis et aspera lex fuit, si quando filiae non erant fecundae, aut si morerentur mariti, facile ejiciebantur et reddebantur parentibus. Ideo difficile fuit, elocare filias. Sed aliae gentes aliis utuntur legibus, nos haec lex aut similes non obligant. Iuda videtur jure negare nurui Thamar tertium filium, alias non recusaret, et tamen rigore isto peccat, et valde frigida excusatio est, ne forte moriatur tertius filius, et ego maneam sine liberis defuncta jam conjuge. Ex sequentibus vero apparebit, eum aliam uxorem collocasse filio Sela contemta Thamar. Ablegavit enim eam in domum paternam spretam et desertam, non voluit servare hanc legem de successione in conjugium fratris mortui: quia dicet Moses, crevisse Sela, neque tamen ei collocatam Thamar.

Fuit igitur infelix mulier, et apparet in universum, sexum hunc valde servilem et abjectum fuisse in illo populo, et coactum suo labore, lana ac tela, victum quaeritare. Sic enim Thamar domi apud patrem exercendo muliebres operas, nendo et lavando se vix misereque sustentasse videtur, et supra Laban filiarum

ut hodie in messe fieri solet, opus enim est cibo et potu defatigatis labore et aestu. Haec moralia et civilia sunt.

Ceterum greges, ut ante dictum est, non fuerunt apud patrem in Sichem, licet interdum eum solitus sit invisere, sed in Odollam, cui vicina fuit Thimnath. Achsib vero fuit in tribu Dan in convallibus terrae Iuda. Ideo enim et Simson dicitur descendisse, et Lyra sic exponit, a Ierusalem usque ad Thimnath fuisse locum declivem descendendo. Rursus a mari ad Ierosolimam fuisse ascensum.

Vocem רֹעֶה exposui in Germanica translatione pastorem, de qua Hebraei vehementer contendunt et nos flagellant. Adfirmant enim significare amicum sive proximum, neque tamen sanguine junctum; sicut in Evangelio recte redditum est: Dilliges proximum tuum, sicut te ipsum. Hieronymus diligenter tractat, et dicit significare pastorem, quando per ◌ֹ scribitur. רֹעֶה, quando autem legitur רֵעֶה, pro amico exponi; et transtulit ipse pastorem seu opilionem. Ego relinquo Hebraeis; videtur ortum esse a רֵעֶה, et ejus significationis quandam speciem habet, cum dicit, eum divertisse ad quendam virum Odollamiten, qui fuit civis honestus et bonus, eumque hospitio excepit. Apparet tamen, Iudam illo fuisse superiorem, quia per illum mittit haedum ad Thamar, tanquam per servum; opinor igitur, non fuisse amicum aut propinquum, sed inferiorem aliquem, qui observavit et coluit Iudam. Sed neutrum adfirmo, potius in medio relinquo, sicut Hieronymus, et permitto Hebraeorum judicio. Utraque explicatio satis commoda est; quanquam ego altera magis delector, si vertas רֵעֶה pastorem. Talis enim vita fuit Patriarcharum, Isaac, Iacob, Iuda, nomadum

instar vagantium incertis sedibus, sicut patres eorum, et hodie nostri Armentarii, die Ochsentreiber. Ita erraverunt ipsi quoque et indies quaesiverunt nova pascua, conduxerunt prata, agros et loca idonea armentis et gregibus. Ideo inquit David Psalm. 39, 13. „Peregrinus sum apud te, sicut omnes patres mei,“ atque ita dispersi fuerunt filii Iacob per varia loca et familias propter conjugia et affinitates, quas contraxerunt. Nihil enim proprium de terra ipsi habuerunt.

Nunciatumque est Thamar per dicentem: Ecce, socer tuus ascendit in Thimnath, ut tondeat oves suas. Quae, depositis viduitatis vestibus assumsit theristrum, quo se operuit atque involvit, et sedit in ostio oculorum, quod est juxta iter, quod ducit in Thimnath. Vidit enim crevisse Selam, et non datam illi in uxorem.

Iuda injuste fecit, quod filio noluit collocare nurum suam Thamar secundum legem, sicut ipse fatebitur postea. Nunc ipsa similiter peccat. Vocabulum צָעִיף supra quoque cap. 24, 65. exstat in historia Rebeccae, quae venit ex Mesopotamia, et, cum videt Isaac deambulantem in agro, accipit צָעִיף, et operit se ad significandam reverentiam et verecundiam. Isti enim mores fuerunt populi hujus, ut aliter vestiret mulier, aliter virgo, aliter vidua, quod ipsum argumentum est, fuisse homines bene moratos et institutos, antequam degenerarent, et in omnis generis peccata prolaberentur.

Arbitror autem, significare magnum illud peplum mulierum, quo non solum capillos vincire, sed et totum caput usque ad humeros velare solitae sunt. Ein

langer Schleier oder grofs Gehüll umb den Kopf. Infra audiemus, etiam viris fuisse peculiaria velamina, quae totum caput involverunt, perinde ut scholasticus habitus fuit in academiis cucullorum. Studentenkappen, quo totum caput una cum humeris operiebatur. Talem puto fuisse in usu apud Chaldaeos, sicut Ezech. 23. recitatur, venisse principes Chaldaeos cum tiaris tinctis in capitibus; fuerunt sinuosi et ampli cuculli. Habuerunt igitur et viri et mulieres peculiaria ornamenta, quibus tegerent capita usque ad humeros. Et hodie in quibusdam locis Germaniae velamenta capitum in usu sunt, quibus et collum et os operitur, ut tantum oculi appareant.

Caeterum non fuit illud ornamentum viduarum, sed matronarum, quae non lugubri, sed festivo habitu uti voluerunt. Thamar igitur depositis vestibus lugubribus induta est צָעִיף, et non solum caput operuit matronali peplo et honesto, sed etiam totum corpus eleganter et festive ornavit. Audio, etiam apud Turcas usitatum esse, ut mulieres et capite et toto corpore velentur, et exstat narratio cujusdam, qui fuit captivus in Turcia, in qua affirmat, nunquam a se matremfamilias nudo capite aut facie visam cum marito colloqui. Theristrum Graeca vox est, quam interpretantur vestem aestivam et aptam messoribus.

Postquam vero ornata et culta ad provocandum Judam progressa est Thamar, ait Moses, eam sedisse in ostio oculorum, hoc est in bivio, quae est figura Hebraei sermonis, Latinis inusitata. In janua vel foribus duorum oculorum. Est enim dualis numerus, una via sinistri oculi, altera dextri, propterea quod in bivio solent diverti oculi in duas partes ad sinistram et ad dextram, alii in divisione fontium reddiderunt.

Hieronymus interpretatus est in bivio, sive in compito, ubi diligenter debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat.

Sedit igitur Thamar in bivio, sed ita, ut eo itinere haereret, quod vergebat in Thimnath. Consilium autem ejus est, ut fallat suum socerum, satis equidem temerarium et periculosum, et cum maximo peccato conjunctum. Fuit omnino stulta et temeraria mulier, quae adeo confidenter tentavit Deum. Neque libidine impulsa id videtur ausa fuisse; diserte enim explicatur causa in textu, vidisse eam, se spretam esse, nec posse nubere tertio filio Sela, quod jure ei et secundum legem debebatur. Fuit enim rigidissime servata lex illa de instauranda et conservanda posteritate fratris defuncti per superstitem fratrem, aut quemvis alium ex propinquis. An vero eadem gentes quoque adstricti fuerint, incertum est, Patres certe magna religione eam soliti sunt tueri. Ideo enim Iuda severe imperat filio Onan, ut ingrediatur ad Thamar viduam relictam a fratre.

Iam vero cum videt Thamar, se frustratam spe tertii filii potiundi, non ardore libidinis incitata, (alioqui enim alterius amore potiri potuisset), sed, ut jus suum persequatur, hanc fraudem struit, nihil dubitans, se justissimam causam indignandi et poscendi tertium maritum habere. Sunt enim sponsalia non tantum de praesenti sed et approbatione parentum facta. Quia Dei lex seu praeceptum jubet, ut sit Sela sponsus hujus Thamar, jure divino, et longe firmius, quam si parentum, vel sponsi, vel sponsae consensus accessisset, nam uterque cogitur auctoritate Dei. Itaque praeclaram causam habet Thamar petendi Selam, qui

erat sponsus ipsius, et tenebatur mandato divino, cum ea matrimonium contrahere.

Est quidem aspera et difficilis lex sed tamen stricte ab aliis servata. Et secundum eam Sela est maritus, Thamar est uxor inseparabiliter juxta regulam: Quos Deus conjunxit homo non separet. Hoc praecepto nititur ipsa et gloriatur in corde suo: Hic Sela meus est maritus, ego ipsi sum conjux et mater familias hujus domus. Ich geh ihr in das Haus. Quare igitur feram eum mihi praeripi? Juda wird das Spiel versehen haben, peccat in hanc legem, et vult separare hanc conjunctionem, dat filio aliam, hanc negligit et repudiat; ideo fremit et indignatur Thamar, non sine causa, licet stulte agat, tamen animo plus indignationis quam libidinis versat: cogitat enim: En despecta sum et repudiata sine ulla causa, et perpetuum hoc opprobrium sustinendum erit, fuisse uxorem secundum legem, sed rejectam a socero absque ulla culpa aut crimine, atque ita privabor fructu ventris mei, nec superest spes alterius matrimonii, sed totam vitam, deserta et spreta perpetuo et miserabili luctu transigere cogar; darumb versucht sie es, so hoch sie kann, itaque extrema experiri certum est, an possit fallere Iudam; credo etiam si Selam ipsum in fraudem illicere potuisset, summo studio fuisse facturam. Lex addit ei animum, quamquam reverentia sanguinis eam absterrere debuisset: est enim incestus, sed ex indignatione et impatientia illius probri et contumeliae audet designare foedum facinus et ipsa maxime indignum.

Recitantur autem tam prolixe et copiose ejusmodi peccata Sanctorum nobis in consolationem, ut sciamus Patriarchas et matronas sanctas fuisse nobis similes,

qui quandoque magna et sublimia gesserunt, quae nos neutiquam assequi aut imitari possumus, qualia commemorantur in epistola ad Hebr. 11; quandoque vero stulta, ridicula, imo pessima flagitia designarunt, ut solus Deus glorificetur in operibus nostris et bonis et malis; in bonis quae ipse fecit in nobis, in malis quae condonavit per misericordiam. Sic Iuda et Thamar fiunt peccatores, non jubente Deo, sed permittente et scribente postea, ac proponente Ecclesiae suae in exemplum et consolationem. Thamar sane est inexcusabilis, sed superatur impatientia et contumelia orbitatis et sterilitatis; ardet enim ingenti desiderio et cupiditate sobolis, et vult mater fieri in hac domo, in qua jus maternitatis tribuerat ei lex divina, sie wills haben, sollt sie es vom Schwäher selbs kriegen. Est impatientia muliebris qua delinquit contra leges verecundiae et pudicitiae, nec potest negari esse incestum: cum enim non possit esse mater ex filio aut propinquo, socerum ipsum irritat et provocat ad concubitum satis irreverenter et inverecunde.

Also bringt ein Sünde die ander; ita peccatum Iuda trahit secum scelus Thamar et incestum turpissimum, ac prorsus idem accidit quod dicitur: Nulla calamitas sola. Misera enim superatur contemptu et opprobrio quod videt, ut ait Moses crevisse Selam, se autem repudiatam, nec datam illi in uxorem. Arbitror autem clam id factum esse a Iuda, nec publico judicio eam rejectam et aliam collocatam filio Sela, ipsa tamen suspicante aut sentiente. Vix enim annus exiit a morte uxoris Iudae, sicut textus dierum, non annorum meminit, quamquam alias scriptura consuevit dierum appellatione pro annis uti. Mortuo igitur priore marito, altero filio, fuit Sela XI annorum cir-

citer, et potuisset adhuc annum exspectare Thamar, quo ad maturitatem conjugii perveniret; sed videt nullam spem obtinendi ejus reliquam esse, ideo contumelia illa et auctoritate divina, qua jus matrisfamilias ei tribuebatur impulsa ingens flagitium committit, sie denkt, ich will auch etwas thun, das soll gethan heissen.

Videns autem eam Iuda suspicabatur eam meretricem esse, operuerat enim faciem suam ne agnosceretur.

Quaeritur hoc in loco, quomodo Iuda non agnoverit Thamar nurum suam, quam ex oculis saltem debuit agnoscere, quos habuit apertos, item ex voce, loquitur enim tum ea, et fuit antea ipsi familiaris et domestica duobus annis cum nupta esset duobus filiis Ger et Onan, ubi certe loquelae sonum quotidie audire, et ab aliis facile potuit discernere; tanta enim differentia vocum est, ut etiam aviculae ex voce matrem agnoscant: mira igitur res est Iudam his omnibus prorsus non esse admonitum. Quid causae fuit? Respondeo: Imaginatio alienat sensum et cogitationem: qui enim in unam aliquam rem serio intentus est, non videt nec audit quidquid praeterea auribus aut oculis objicitur, ut in communi consuetudine vitae quotidie cernere licet, et vulgo illud fertur: Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Quando attente verba alicujus audio, tum anima mea est in auribus, nec potest adeo oculorum actionibus occupari et econtra. Sic in quocunque alio sensu intenta languidius aliquanto actiones suas exercet in reliquis. Iudas igitur totus in hac opinione est sedere ibi scortum, et quia id unum animo et oculis obversatur, non advertit, nec

vocem neo oculos mulieris. Quod si cui haec solutio non satisfacit, sentiat sane fuisse miraculum, aut sive divinitus, sive a Diabolo excaecatum esse, ne sensus oculorum aut aurium officium faceret.

Declinans ergo ad eam in via, dixit: Age, sine quaeso ad te ingrediar (nesciebat enim quod nurus sua esset). Illa vero respondit: Quid dabis mihi, ut ad me ingrediaris? Qui dixit, Mittam tibi hoedum de gregibus. Ait illa: Si dederis arrabonem donec miseris. Qui ait: Quid tibi vis pro arrabone dari? Respondit: Annulum tuum, et amictum tuum, et baculum quem manu tenes. Dans itaque ei, ingressus est ad eam, et concepit ex eo.

Ex hac narratione videtur suspicio libidinis et scortationis in Iudam conferri posse, quasi illi vitio antea quoque fuerit obnoxius. Qui enim fieri potuit ut hanc fiduciam animo conciperet Thamar, posse eum decipi specie meretricia nisi scivisset eum vagis libidinibus solitum indulgere? Et cur non recta pergit Iuda ad greges, occupato animo illo unico negotio tondendarum ovium, sed eo neglecto subito ad conspectum meretricis incenditur libidine? Wie kumpt er so plötzlich darauff? Sed nos nihil mali suspicabimur, sic potius statuemus habitum esse Iudam pro bono viro a Thamar, ac voluisse tantum periculum facere, an hac ratione posset obtinere jus suum, cum saepius idem frustra tentasset; videtur enim varia consilia inivisse et solicitasse aliquoties per patrem, per affines filios Iacob, per suos cognatos, an bona gratia a socero aliquid posset impetrare, sed frustra, itaque alia

via rem aggreditur, non quod eum suspectum habeat de lascivia, sed ut quoquomodo voti compos fiat.

Quod si cui recte in eum suspicio haec convenire videtur, nequaquam eum excusabo; neque enim obscurum argumentum levitatis est, tam subito exardescere libidine, quasi ad eam natura et moribus fuerit proclivior. Sed quidquid fuit, cogitavit ipsa extrema tentare et experiri, cum omnes alii conatus et consilia fuissent irrita. Neque tamen de successu aut eventu certi aliquid sibi potest promittere, neque etiam divina gubernatione niti; non enim potuit divinam opem implorare, sicut nec Iudas oravit, quia Spiritus sanctus non movet nec impellit ad fornicationem et incestum, et oratio non fit in peccato. Statuimus itaque ambos esse peccatores et reos, licet postea peccatum remissum et condonatum sit.

Petit vero Iuda ut liceat sibi ingredi ad Thamar, id est rem cum ea habere, sic enim solet loqui Scriptura sancta, et nihil additur ubi incestum perpetraverint, cum dixerit Moses eam sedisse in propatulo et conspectu praetereuntium. Non puto eos cynico more in publico coivisse, sed fortem domum culam aut specum, vel lucum vicinum secessisse; atque ibi impraegnata est per incestum turpissimum, et effusa est caro illa ex lumbis Iuda, de qua nasciturus erat Christus, et sic propagata est et gestata, peccato contaminata, usque ad Christi conceptionem. So geht unser Herr Gott mit unserm Heiland umb. Deus sinit eum concipi in incestu foedissimo, ut assumeret verissimam carnem, perinde ut nostra in peccatis effusa, concepta, et nutrita est; postea vero cum veniret tempus assumendae carnis in utero virginis, purificata est et sanctificata virtute Spiritus sancti, juxta illud

Luc. 1, 35: „Spiritus sanctus superveniet et obumbrabit tibi,“ et tamen revera erat caro polluta ex Iuda et Thamar.

Propter Christum igitur haec omnia descripta sunt, ut constaret vere eum nascendum esse de carne peccati, sed sine peccato. Quod igitur de se inquit David Psalm. 51, 7: „Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,“ id recte etiam de carne Christi dicitur, nondum assumpta nec dumpurgata, sed qualis fuit in utero Thamar, eam vero postea assumsit repurgatam, ut posset ferre poenam peccati in suo corpore.

Enumerat porro Moses quid pignori opposuerit Iuda, donec hoedum promissum mitteret ad Thamar, annulum signatorium, et amictum, et baculum. Vox Hebraea פְּתִיל significat filium, in plurali numero פְּתִילֶךָ sicut hoc loco ponitur, fila, ein geflochten gewürkt Tuch, ac fuit velamentum capitis quo viri soliti sunt uti ad tegendum caput; nec fuit lugubris habitus quia antea dixit Moses accepisse Iudam consolationem finito luctu propter obitum conjugis; rursus igitur indutus est ornatu festivo, et arbitror fuisse linteum contortum quo velavit caput communi consuetudine illorum hominum: Hebraei enim exponunt filum duplicatum et tortum, ut Lucae 16, 19. epulo ille dives dicitur indutus fuisse purpura et bisso, qui fuit proprie vestitus capitis et colli; et talis hodie etiam a Turcis usurpatur, item in Actis 16, 22. de Paulo recitatur, etiam super languidos deferebant a corpore ejus sudaria et semicinctia, ea fuerunt tegmina capitis et colli. Ita Thamar petit sibi dari פְּתִילֶךָ hoc est, linteum confectum ex filis, quod simul cum capite complectebatur collum. Sicut in Graecia quoque velarunt utrunque, nos capitiis et pileis utimur, Hut

oder Barett. Non procul abfuit locus hic a Thimnath, ideo cogitavit se statim posse repetere pignus, annulum, tegmen capitis et baculum quae peculiariter viris competunt. Arrabo verbum Graecum est quod et Latini postea usurparunt, sed ab Hebraeis haud dubie ortum est, qui עֵרָבוֹן pignus dicunt.

Simul etiam videre est qui fuerint eo tempore hujus populi mores: fuit summa et pulcherrima pax in tota terra, ideo non sunt usi armis aut gladiis in itinere, nec peram nec pecuniam nec arma gerit Patriarcha, cum quidem decuisset tantum virum tantae familiae gubernatorem instructum esse viatico, ad minimum uno aut altero aureo, sed nihil amplius quam annulum et baculum secum fert cum veste; o felicem et beatam tranquillitatem. Non potest igitur mulieri pecuniam numerare, sed hoedum promittit. Nec fuerunt similes negotiationes et commercia illorum temporum nostrae mercaturae, sed fuit permutatio mercium, pecude, pro frumento, pro pane aut aliis rebus necessariis dabantur.

Thamar vero non curat pecuniam aut pignus, sed semen quaerit, vult esse mater, et abit ex eo loco, non exspectat hoedum promissum, pignus vero retinet, quo videtur significare se non fore contentam hoc concubitu. Ac miror sane, quomodo potuerit certa esse de conceptione: fuit mirabilis mulier, ac videtur amplius tentatura fuisse, si spe sua frustrata esset, sed experta est extremam fortunam, et successit feliciter: magnum enim decus fuit in illo populo fecunditas muliebris, propter benedictionem et legem divinam, apud nos vilipenditur, ideo non possumus intelligere ejusmodi historias; nihil turpius erat coelibatu et sterilitate, propterea quod ad hunc finem generationis et

partus conditus esset sexus muliebris; nos cupiditate quadam augendae rei familiaris amamus fecunditatem in pecudibus, sed steriles et infecundae mox ad lanienam abripiuntur. In conjugio autem nulla ejus ratio habetur.

Ethnici sive a patribus acceperunt, sive naturam ducem secuti honestissimam legem sanxerunt, ut ex Comoedia apparet, qua cogebantur aut ducere propinquas pauperculas, aut dotem iis numerare. Reprehendendus igitur est contemptus ille conjugii, praesertim si accedunt pollutiones vagarum libidinum. Si potes continere, bene est, sin minus, longe melius et honestius est contrahere matrimonium, quam indulgere illicitis flammis libidinum; quod si non in re ampla, tamen in castitate et timore Dei vives. Fuerunt igitur mores et leges illae utiles et salutares reipublicae, cui quidem prodest repleri civitatem liberis, et si eadem statuta et leges nostris moribus hodie receptae, et approbatae essent, quibus obligabatur populus Iudaicus, minus esset turpitudinis et libidinum, sed infinita illa licentia grassatur per totum orbem, et deformat humanam naturam horribilibus scandalis: homines dediti voluptatibus, abhorrent a laboribus et molestiis conjugii, aut si id vitae genus ingrediuntur, potius remedium contra libidinem quam prolem spectant. Atque hi fructus sunt caelibatus papistici.

Sancti Patres duxerunt uxores desiderio et amore prolis, quam magno studio educarunt, et summis laboribus familiam rexerunt, ist ein eigen Ding bei ihn gewesen, wir sind Pfaffen worden, nos sacrificulorum vitam expetivimus, assuevimus ad otia, luxum, voluptates et excussimus curas et onera oeconomica, die Pfafferei hanget uns noch sehr an, neque unquam

ullo remedio aut ratione sarciri jactura et damnum hoc poterit, quod attulit ordini divinitus sancito caelibatus pontificius, quia non est remedii locus, ubi quae vitia fuere, mores fiunt, ut inquit Seneca, etiam apud nos qui vera encomia conjugii ex Scriptura sancta debebamus petere et intelligere. Homines enim deliciis et otio perditi negligunt oeconomiam et politiam, postea rident conjuges quasi genus hominum sit voluptatibus ac libidinibus diffluens. At vero neutiquam delicata vita est conjugum, sed plena innumeris curis et molestiis, ac sudore et labore difficillimo, voluptas, büſst sich wohl; tu vero monache, aut sacrificule, quicunque caelibem vitam degis, otio et voluptatibus abundas, sicut recte et sapienter quispiam dixit: Vivere monachos non religiosam, sed voluptuosam vitam, contemnunt et elevant alios ordines, ut de aliena quadra vivere, et imperio orbis, et summis dignitatibus potiri queant; id nimirum summum et delicatissimum otium est, frui aliorum laboribus, et corradere opes totius mundi.

Haec propter peccatum Thamar diligentius cogitanda sunt, ne putemus eam libidine peccasse; delinquit quidem graviter, sed impatientia contumeliae, quae huic sceleri occasionem praebet. Dolet enim sibi eripi summum decus mulierum, videlicet esse uxorem, et praesertim hujus filii, et exui universis ornamentis matrisfamilias. Haec justa ira fuit, et propemodum excusatione digna. Videmus enim quam aegre feramus nos vel levem jacturam honorum, dignitatis aut opum. Quid vero amplius reliquum est miserae mulieri ablata dignitate maternitatis; domus, posteritatis et omnis gubernationis oeconomicae? Magnam igitur causam indignandi habet, nec temere dam-

nari debet, quanquam etiam non sit excusanda; talis enim mulier perpetuo captiva et serva sit oportet. Ipsa ad hoc vocata et destinata erat divinitus, ut esset gloria et ornamentum domus illius, sed abjicitur a Iuda, atque ita uterque gravissime impingit contra mandata Dei.

Et surgens illa abiit, positoque peplo suo, induit vestimenta viduitatis suae.

Hinc apparet fuisse probam et honestam feminam; non enim superbit, nec prostituit se aliis, nec quaerit voluptates illicitas, id tantum agit, ut possit fieri mater in hac domo, in quam divina auctoritate collocata fuerat: deposito igitur habitu quem sumpserat, rursus induitur vestimentis viduitatis, et sedet in luctu, cumque sit impraegnata, exspectat porro benedictionem a Domino.

Mirabilis autem diligentia est Spiritus sancti, in describenda turpi ista et obscoena historia, etiam ad novissimam usque entem expedit omnia, adeo ut non dedignetur de gemellorum partu, et ruptis secundinis verba facere. Cur igitur mundissimum os Spiritus sancti demittit se ad infima et abjectissima quaeque, quin etiam obscoena et foeda, ac damnationi obnoxia, quasi haec magnopere faciant ad erudiendam Ecclesiam Dei, was hat Ecclesia darmit zu thun?

Respondeo ut antea: Propter Christum haec commemorantur, qui per totam Scripturam sanctam describitur frater noster, consanguineus, propinquus, ac nobis arctius conjunctus quam quisquam alius ex nostris necessariis; nam secundum lineam Abrahae frater est et fratruelis omnium filiorum Israel, secundum matrem est frater fratruelis et matruelis omnium Aegyptiorum,

Cananaeorum, Amorrhaeorum, quia natus est de Thamar, Ruth, Rahel, Bathaeba Uriae conjuge.

Nobis qui a Iapheth orti sumus, non est quidem matruelis, sed affinis tamen, etiam secundum carnem, imo si ad Adam ascendamus, aeque noster fratruelis est, et matruelis ac Iudaeorum, et de hac propinquitate non minus atque illi gloriari possumus. Quamquam nihil facit ad rem, imo damnata est, Ioan. 1. et Ro. 9. nisi accedat fides et verbum seminis benedicti, quo restauretur et resuscitetur caro obnoxia corruptioni, peccato et damnationi, de qua sola Iudaei gloriantur superbissime. Quid prodest autem esse fratrem aut matrem de polluta et aeterno Dei judicio subjecta carne, quamquam utile est scire Iudaeis jactationem illam non esse propriam et peculiarem, sed communem etiam cum gentibus, si non secundum Abraham, at secundum Adam et omnes Patriarchas usque ad Noah, ibi enim distinguitur totum genus humanum in tres fratres, ceterum omnes simul in lumbis Noah fuimus, sed nondum erat semen benedictum, quod repararet casum naturae lapsae. Ideo nihil attinet jactare communionem naturae nondum resuscitatae, et ea sola et vera gloria est, Christum esse promissum, et donatum mulieri Hevae.

Hic ergo describitur semen benedictum, quod de semine et carne maledicta, perdita, damnata ortum est, ipsum tamen sine peccato et corruptione. Secundum naturam eadem est Christi caro cum nostra, sed in conceptione ejus accessit Spiritus sanctus obumbrans et purificans illam massam, quam accepit de virgine, ut conjungeretur cum divina natura. In Christo igitur sanctissima, purissima, mundissima caro est,

in nobis autem et omnibus hominibus corruptissima, nisi quantum in Christo reparatur.

Atque huc descendit Spiritus sanctus cum purissimo ore suo et loquitur etiam de illa foeditate peccati et horribilis incestus, ut significet carnem Christi fuisse in Iuda et Thamar, et se quoque prope homines esse qui peccant, quamquam non solum ingens turpido et foeditas, sed etiam damnatio est et reatus coram Deo; prope adest Spiritus sanctus tam corruptis quam incorruptis, justis et injustis, turpibus et honestis, foedis et pulchris, quamquam talia non facit, non est auctor peccati et corruptionis, sed nisi adesset, aut prope esset peccatoribus, quis vellet turpitudinem illam carnis repurgare et corrigere?

Testatur igitur haec narratio capitis 38. de praesentia ejus tam propinqua, ut admisceat suam linguam rebus foedissimis et turpissimis; quin etiam in talibus descriptionibus longe copiosior est, quam in aliis, adeo ut prolixitas illa supervacanea videatur, ut sciamus Deum curare creaturam suam, ac praecipue Messiam et Christum, quem deducit per peccatores et generationem peccati.

Misit autem Iuda hoedum per pastorem suum Odollamiten, ut reciperet pignus quod dederat mulieri, sed non invenit eam; interrogavit igitur homines illius loci, dicens: Ubi est illa meretrix, quae sedebat in bivio. Illi responderunt: Nulla fuit hic meretrix. Reversus est igitur ad Iudam, dixitque illi: Non inveni eam, sed et homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum.

Supra dixi Hebraeos disputare, utrum רֹע an רֵע sit legendum. Alii enim amicum, alii pastorem vertunt, atque haec quidem expositio Hieronymi est, et videtur cum eo facere hic locus, siquidem mittitur vir Odollamites, quasi minister a domino; ideo magis mihi placet quam Iudaeorum interpretatio. Quamquam enim hospitio ejus usus est Iuda, tamen statuendum est eum in magna auctoritate et gratia fuisse apud hospitem et reliquos Cananaeos, qui reverenter eum coluerunt, et benigne praebuerunt necessaria ad rem familiarem.

Forsitan etiam functus est inter eos officio doctoris et sacerdotis, more aliorum Patriarcharum, qui ubique locorum cultus divinos exercuerunt, docendo et orando, cujusmodi multa exempla extant in historiis eorum: fides enim si adest, non tacet, sed docet et instruit populum, hortatur ad credendum, orandum, sacrificandum, laudandum, sicut scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem, si firmiter credis, et habes verbum in corde, fieri non potest quin et ore illud sones et confitearis. Ita fit ex verbo cordis confessio oris, ut laudes Deum, et gratias agas pro beneficiis et doctrina patefacta, et hanc etiam tradas et profitearis ipse, sicut Iuda suam familiam, hospitem et vicinos docuit, et perduxit ad agnitionem Dei, et ut Apostoli errantes per orbem propagarunt et invocarunt Deum. Alioqui non potuisset salvus et incolumis in peregrina illa regione vivere, quin ejiceretur ab improbis, nisi doctrina et ministerio verbi aliquos sibi conciliasset. Ex eorum numero fuit quoque hospes iste, sive pastor, sive amicus conversus per verbum Iudae ad Deum Abraham.

Moses vero iterum utitur Hebraismo, quo paulo

ante usus est: Ostio oculorum super viam, id est bivio, in principio bivii, ubi aperitur quasi bivium, hoc vocant ostium oculorum. Ibi sedit Thamar, ea parte quae vergit ad Thimnath. Non procul autem abfuisse locum illum a Thimnath argumento est, quod cum Iuda vaderet illuc ad tonsionem gregis Thamar interea abiit, statim enim cum illuc pervenisset Iuda, consentaneum est eum misisse hoedum. Id omne uno die gestum est, ideo vicinum fuisse bivium gregibus in Thimnath necesse est: puto fuisse intervallum quartae partis milliaris germanici, et Iudam arbitratum esse eam mansuram, donec mitteret hoedum.

Suspicari etiam libet parasse eam sibi illo in loco casam seu tuguriolum quoddam, aptum ad quaestum meretricum, in quo consederit juxta viam; in id forte ingressus est Iuda, pastore foris eum exspectante. Valde enim consentaneum est eam non suopte ingenio hanc technam invenisse, sed edoctam et subornatam esse a suis cognatis aut propinquis, qui audiverunt eam rejectam et collocatam esse in domum patris, ideo miserati illam iniquam fortunam Thamar, struxerunt insidias Iudae, et hac fraude circumventum ceperunt. Non enim verisimile est eam sub dio sedisse in publico. Et haec mea conjectura confirmatur responsione vicinorum; quando interrogat pastor de meretrice: respondent nullam ibi fuisse meretricem, cum tamen haud dubie eam viderint et noverint, sed dissimulant adhuc, ac videntur velle dicere: Nondum indicabimus, aliquanto post ipsi intelligetis.

Ad hunc modum opinor subornasse eos Thamar, ut restituerent eam in suum locum et dignitatem per fraudem. Ac similis propemodum dolus est, quo Iacob praeripuit fratri Esau benedictionem instinctu ma-

tris. Thamar enim erat repudiata cum perpetua ignominia et desperatione acquirendae prolis, sicut sonant verba Iudae: Sede in domo patris tui vidua, in quo graviter peccavit; debuit enim eam domi retinere et jungere filio Sela, jure divino, quod violat ipse et facit ei injuriam cum insigni contumelia et mendacio. Videtur igitur haec justa fallacia esse; quia Thamar cogitur desperare de dignitate sua, ideo propinqui morti illa calamitate, sunt ei auctores, ut quo jure quaque injuria decus illud maternum sibi vendicet. Cumque major ejus esset auctoritas et potentia, quam ut ad restitutionem Thamar cogi posset, per insidias eum adoriuntur et vincunt.

Haec ex responso illo colligo, cum dicunt vicini: Quid de scorto quaeris? nihil nobis rei est cum meretricibus, putas nos hic fovere scorta. Haec verba significant fuisse eos conscios et auctores hujus facti, siquidem tam superbe respondent, meinst du, dafs wir Huren hie haben. Dissimulant et tegunt fraudem, non dicunt fuisse consanguineam, ac optant tacite eam esse impraegnatam, tum vero patefacturos, sicut postea annunciabitur Iudae, quae fuerit meretrix illa.

Vocabulum קְדֵשָׁה hactenus non habuimus in Genesi. Supra enim dixit Moses: Iudam putasse Thamar esse זוֹנָה quae dicitur meretrix proprie, ut Rahab; sed Rabbini volunt esse aequivocum ad meretricem et cauponam, unde disputant quidam Rahab non fuisse meretricem. Sed ex superiore loco manifesta est propria vocis significatio:

קְדֵשָׁה autem quod hic usurpat Moses in Hebraea lingua significat sanctum, Isaiae 6, 3. Sanctus Sanctus, et est usitatissimum vocabulum. Inde מִקְדָּשׁ sanctuarium, templum, et sanctificati dicuntur ordinati,

praeparati: reges Medorum sanctificati, hoc est, instructi ad bellum. Ita Moses crebro et varia significatione eo utitur. Non erit in filiis Israel, nec קָדֵשׁ nec קְדֵשָׁה, wider Har noch Bub, nec fornicator, nec fornicatrix, debent omnes conjuges, mariti, uxores esse.

Videtur autem noster voluisse modestius et reverentius loqui, ideo appellat eam קְדֵשָׁה non ut Juda זוֹנָה. In Hebraea enim lingua perinde ut in aliis multa sunt vocabula, non solum aequivoca, sed et per antiphrasin usurpata, ut apud Latinos bellum, lucus, sacrum. Auri sacra fames, id est, detestanda et execrabilis. Idem in germanica lingua admodum frequens est, ei das ist ein fromm Kind, ein fromm Gesell, ei der will gut werden, boni et honesti appellatio per antiphrasin accipienda est pro turpi et malo. Sic hoc in loco meretricem appellat sanctam, ei das heilig Kindichen, ein fromm Töchterlein, vicini enim respondent astute, ut dixi, se nullam meretricem ibi vidisse. Adeo diligenter singula recenset Spiritus sanctus, ut mirum sit eum in his narrationibus tot verba perdere, verum non dedignatur impia et foeda tractare, ut ea quoque proponantur Ecclesiae in doctrinam et consolationem.

Et dixit Iuda: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest: en misi hoedum hunc, et non invenisti eam.

Iuda non vult lites sequi; habeat sibi inquit, wie sie will, et addit: Ne simus nos in contemptu (haec enim vis est Hebraei textus) sed quid sibi velit ignoro; noster interpres reddit: Non potest nos arguere mendacii, quasi non miserim, Rabbini exponunt: Ne re-

veletur et patefiat turpitudo ista, quae interpretatio non solum falsa, sed et ridicula est; res enim manifesta est, quomodo igitur occultari queat? Mittit Iuda hoedum, et pastor apertis verbis de meretrice quaerit, significans se allato hoedo solvere pretium fornicationis, hoc non est caelare factum: quaesiverunt vicini, quid sibi vellet cum hoedo, respondit, missum eum esse meretrici, ibi nihil occultum fuit, nec verbis, nec facto.

Post tres fermè menses nunciatum est Iudae a dicente: Fornicata est Thamar nurus tua, et ecce ex scortatione concepit etiam.

Haec haud dubie verba fuerunt cognatorum et amicorum Thamar, qui ejus curam egerunt, alioqui nihil fuissent solliciti honestene an turpiter viveret, sed quia tam cito nunciant Iudae, apparet ipsos esse auctores consilii de fornicatione; antea quidem sedulo dissimularunt, cum de impraegnatione incerti essent, si enim non concepisset Thamar, longe satius esse norant celare factum, quam manifestari; jam ubi sentiunt gravidam esse, cum gaudio renunciant Iudae, da gehet das Gaudium an.

Post tres menses, inquit Moses, ubi infans incipit vivere; non exspectant donec plenius intumescat uterus et crescat foetus, sed properant, et quasi insultant, et illudunt capto fraude et dolis Thamar, jamque aperiunt quae sit meretrix illa, quam antea nosse se dissimulaverant inquirente eam pastore, quasi dicerent: Nimium properas cum pastore et hoedo, du kommst zu früh. Nunc audi: Fornicata est Thamar nurus tua; tu videris quem ipsa habuerit socium sce-

leris, nemo enim est quem possimus insimulare hujus flagitii, praeter te; da spricht nun Iuda ein Sentenz über sein eigen Hals, ibi lata sententia se ipsum damnat Iuda, perinde ut David, cum Nathan ad eum veniret 2. Reg. 7. Sed hic quoque agnoscit peccatum suum.

Dixitque Iuda: Producite eam ut comburatur.

Vides etiam hanc legem, sicut alteram illam de suscitando semine fratri defuncto, ortam esse a patribus, fuit enim tum quoque poena fornicationis in filias sacerdotum constituta, ut igni cremarentur, etiam maritatae; proinde et Thamar ad idem supplicium deposcitur, quia fuit uxor sacerdotis, et forte in altera linea, et familia Cananaeorum filia fuit sacerdotis, sed de eo non constat, nam quod Iudaei somniant ex Melchisedec eam natam esse, nimis longe petitum et absurdum est: Melchisedec enim ante quinquaginta annos circiter mortuus est, ac si eam in extrema senecta genitam dicamus, sequetur fuisse tum quinquagenariam cum nuberet filiis Iuda, quod est impossibile.

Arbitror autem non tantum filias, sed et uxores et omnes mulieres in familiis sacerdotum huic legi et judicio fuisse obnoxias: ita enim voluit Deus insigne discrimen constituere inter magistratum civilem et sacerdotalem administrationem, et hunc ordinem prae caeteris severius tueri leges disciplinae et honestatis oportuit; ideo poenam graviorem sancivit trangressoribus. Iacob vero fuit sacerdos cum omnibus suis filiis, qui passim dispersi erant, et singuli suo loco docebant, orabant, sacrificabant, sicut Ismael et Isaac in domo Abrahae, et inter illos unus aliquis erat primo-

nore, materno et sacerdotali quo amisso etiam vita haec invisa et acerba est.

Itaque recte dixit Iuda: justior est me, quamquam ingens flagitium est incestus; sed in plura et majora peccata commisit, pugnantia cum lege et jure divino, et posset accusari sacrilegii, homicidii, et omnis generis injuriarum. Ita vero humiliatus est, ut agnosceret et fateretur peccatum, quod ejecisset eam domo, orbasset jure sacerdotali et materno, denique posteritate et haereditate; atque ad hunc modum describendus erat Patriarcha, ut sciret se esse peccatorem, ne alios peccatores prae se contemneret, quasi auctoritate et honore sacerdotii et ministerii verbi circumdatus, non posset labi, multa enim peccata eaque grandia et atrocia hic concurrunt simul.

Proponuntur autem haec in nostram consolationem, die grofsen Heiligen müssen grofse Feihl thun, ut testetur Deus se velle omnes humiliari, et haberi in catalogo peccatorum, idque ubi agnoverint, et fuerint confessi, inveniant gratiam et misericordiam, geschicht etwa ein Fall, wie soll man ihm thun. Tamen illi qui Christum cruci affigunt, hanc orationem audiunt: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciant; cavenda quidem sunt peccata, sed si quis lapsus est, non propterea animum despondeat: utrumque enim prohibuit Deus, et desperationem et praesumptionem, declinationem ad sinistram et ad dextram, in dextra non est praesumendum, in sinistra non est desperandum. Regiae viae insistendum est, peccator non abjiciat fiduciam misericordiae, justus non superbiat: bene placitum enim est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus, odit superbos et praesumptuosos, et eos diligit, in quibus timor aliquid spei

et praesumptionis retinet, non in nobis ipsis, sed in misericordia Dei.

Sic igitur Sancti humiliantur, et cum lapsibus suis celebrantur, ut erudiant nos suis exemplis, et monstrent nobis regiam illam viam inter desperationem et superbiam.

Postremo cum agnovit Iuda peccatum, sibi ipse poenam irrogat, ut significet se serio poenitere, abstinet enim porro a Thamar, et aliis etiam mulieribus. Petivit autem haud dubie veniam ab affinibus quoque, quod contumelia cognatam eorum affecisset, et ipsi vicissim quod hac fallacia ei imposuissent, et ad gravissimum peccatum provocassent, atque ita ingens cumulus peccatorum coacervatur, Iudae, Thamar, cognatorum; sed Iudae delictum majus est, propter munus doctoris et gubernatoris Ecclesiae, quod gesserat hactenus. Condonatis autem offensis omnibus, utrinque in gratiam redierunt, Thamar quoque restituta est pristinae dignitati in domo Iuda, quamquam libentius filio Selà nupsisset, id vero cum fieri amplius non possit, tamen hoc gratum est, quod ex domo patris sui, ubi perpetuae sterilitatis periculum erat, reducitur in eam domum, in qua decus maternum et gubernatio familiae divinitus ei attributa erat.

Quod autem fuerit officium sanctarum matronarum, Sarae, Rebeccae, Leae, Rahelis, Thamar, ex historiis Patriarcharum patet: fuerunt uxores pastorum, ideo administrarunt rem familiarem et pecuariam, mulgendis vaccis, capris, colligenda lana, lacte, caseis, butiro et similibus, hae fuerunt operae domesticae apud Patriarchas, atque has domina Thamar gubernavit. Selae uxor, etiam suum locum habuit, sed Thamar puto fuisse primariam. Fuerunt egregiae matronae,

non otio et luxu perditae, sed sedulae et diligentes in officio oeconomico, fuit etiam res pecuaria satis ampla et laboriosa, ad quam numerosa familia requirebatur. Sic infra coram Pharaone Iacob inquit: Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri.

Proinde vita et mores illarum matronarum non aliunde colligi possunt, quam ex facultatibus maritorum. Non habuerunt proprias aedes, agros, silvas, metalla, sed pecudes, lac, butirum, caseos, sind eitel Viehmägd gewesen, sicut hodie nobiles matronae rem rusticam et pecuariam tractant. Et illis temporibus reges et principes iisdem studiis occupabantur, et negotiationes non aliae fuerunt quam permutationes pecudum et similium bonorum. Sic Iuda hoedum dat pretium scortationis, magnus propheta et sacerdos, habens domi amplam et numerosam familiam, tamen ne teruncium quidem habet, quem numeret mulieri. Non dubium autem est fuisse assiduas in suo officio matronas illas, siquidem res pecuaria in primis magnam vigilantiam, solicitudinem et laborem requirit, nec puduit eas tam viles et sordidas operas obire: Deus enim iis quoque delectatur, et fuit Dominus et custos sanctissimarum matriarcharum, cum interea quidem principes et reginas negligeret.

Cumque advenisset tempus, ut pareret ipsa, ecce vero gemini in utero ejus, et in pariendo unus manum exeruit, et accipiens eam obstetrix, circumligabat coccino filo, dicens: Iste egredietur prior. Factumque est ut is reduceret manum suam, et ecce egressus est frater ejus, dixitque illa: Cur rupisti tibi rupturam? Et voca-

tum est nomen ejus Paretz; postea egressus est frater ejus, in cujus manu filum coccinum erat, et vocatum est nomen ejus Zarah.

Vide quam diligenter describit Spiritus sanctus miserabilem et calamitosum partum, delectatur enim creatione et creatura sua, cujus conspectu nos non modo non afficimur, verum etiam ita excoecati sumus, ut non videamus opera Dei. Magna et mirabilis res est, etiam in bestiis generatio et partus, quando vaccà edit vitulum, ovis agnum etc. quanto magis illud admirandum et suspiciendum est, quod mulier concipit et parit hominem? Omnes enim ex utero muliebri in hanc lucem nascimur, per partum, hoc est, per mortem, siquidem matres cum infantibus in certissimo periculo mortis constitutae sunt; et mansit etiam apud ethnicos consideratio et reverentia hujus operis, sicut Romani propter partum concesserunt mulieribus usum aureorum ornamentorum, in honorem et solatium difficillimi oneris et laboris, quem sustinent in pariendo. Quia autem dispergit Deus miraculum hoc in totum genus humanum, et omnium animantium, per universum orbem terrarum, ideo quotidiano usu coepit vilescere et contemni; sed Spiritus sanctus ornat creationem, et ejus intuitu et celebratione delectatur.

Hoc loco autem non solum partus propter prolem describitur, sed etiam periculum ingens parturientis commemoratur. Thamar nescivit se habere gemellos in utero, sicut gravidae id non possunt scire, antequam pariant. In pariendo vero apparent gemini, da wird der Jammer angangen seyn, ea res magnam trepidationem et terrorem utrique Iudae et Thamar attulit, fuerunt enim in summa angustia et discrimine,

et haud dubie recordatione et conscientia peccati graviter excruciati sunt. Ah quid fecimus? dixit Iuda, Dominus occidet matrem, et ego duobus filiis orbabor; semper enim cum calamitates et pericula ingruunt, accedit conscientia et dolor de admisso peccato: cor humanum non potest non trepidare, et cohorrescere, et se accusare: en peccavi, et nunc peccati poenam luo.

Propter illud igitur periculum videmus partum fuisse difficillimum, qui non parentes tantum in metum et angustias conjecit, sed et totam familiam. Sela filius pastor aut hospites Odollamites, et reliqui anxie suspiraverunt, et gemitibus ac votis opem divinam imploraverunt. Atque id verum exercituum sacerdotii fuit, exhortatione, invocatione et confessione peccati: Domine Deus, fatemur nos peccasse, miserere nostri, et ignosce. Hae conjecturae non sunt incertae et vanae; talia enim saepe in vita Sanctorum usu venire solent, neque unquam conscientia peccati ita regnat et viget, ut in calamitatibus et aerumnis: cum res secundae sunt et florentes, peccatum quiescit et dormit, nos securi in diem vivimus, sine lege enim peccatum mortuum est, sicut Paulus de se inquit: Vivebam aliquando sine lege, sed calamitas aperit oculos, et exuscitat conscientiam, ut non quiescat amplius, sed mordeat et excruciet.

Idem hic accidisse cogitabimus huic toti familiae, postquam enim incipit eniti Thamar, apparent gemini in utero ejus, et horum unus manum alteram exerit; ibi praesentissimum exitium, et mors ob oculos fuit, ingens enim periculum est, cum in pariendo primum pes aut manus infantis editur, nec rite potest eniti foetum parturiens, nisi caput primum exeratur, quod

apprehendi ab obstetrice queat; sin manus aut pedes emittuntur admodum incommodum et periculosum est, adeo ut nisi mirabili clementia subveniat Deus, saepe frustillatim eruendus sit foetus ex utero materno. Ibi sane titillationes et pruritus cessant, et succedunt mortificantia et enecantia, da ist Scherz aus, und gehet das Sterben an, sicut hic tres animae simul moriuntur, gemellorum duorum et matris, wie soll Judae das Herz im Leib gezappelt haben.

Obstetrix quidem sedulo officium facit, simulat spem et fortitudinem quandam, ut addat animum parturienti: Iste inquit egredietur prior; ea enim verba sunt bene sperantis et consolantis, sicut ad Rahel dicebat, consolandi non prophetandi causa: Noli timere, etiam hunc habebis, aber Rahel gieng darob dahin, sed superabatur illa laboribus partus, et enitendo exhalabat animam. Decet vero obstetrices esse animosas, et ut Virgilius de Aenea inquit, spem vultu simulare, et laborantem in partu consolari et jubere, ut bene speret; spes enim mirabiliter eorum animos erigit, qui premuntur calamitatibus et aerumnis, sicut addit Aeneas: Dabit Deus his quoque finem. Talis prudentia et fortitudo etiam in obstetrice requiritur, ut in praesenti et manifesto periculo, magnam animo suo spem concipiat, et eandem quoque verbis accendat in laborante.

Nondum vero editus est infans, et videtur periculum crescere et augeri, cum retrahit manum; etsi igitur consolatur eam, et confidere jubet obstetrix, tamen admodum incerta spes est. Ibi ergo vota et gemitus ingeminarunt: O Herr nu hilf, erat aliquantulum spei reliquum, nunc prorsus concidit; revixit etiam, et regnavit peccatum, et recordatio incestus afflixit

animum Iudae et Thamar, ac sane satis gravis ea poenitentia et satisfactio fuit, magna miseria, et contritio admodum acerba. Periculum enim fuit, ne cessarent dolores parturientis, sine quibus non potest eniti, et primus conatus naturae in enitendo irritus fuit, postquam reduxit puer manum, itaque Iuda anxie et cum lacrimis clamavit, et precatus est, ne mater cum gemellis perirent. Nihil tum loci fuit tentationi concupiscentiae, libidini et turpitudini, quibus delectantur homines in otio et abundantia omnium rerum, da gilts Leib und Leben, dafs Mutter und Kinder bei einander bleiben, wenn die Wehen fürüber sind, tota domus lacrimis, gemitu, ejulatu, ac tristissimo luctu repletur.

At vero illo ipso momento adest Dominus, et novo miraculo adjuvat partum. Primum illud (et ecce unus manum in pariendo exeruit) miserabile est et luctuosum, alterum (et ecce egressus est frater ejus) plenum est consolatione et laetitia, quae sequitur miserabilem trepidationem et angustiam; recte enim et feliciter hic editur, ideo non desperat de altero illo priore, qui jam factus est secundus, et obstetrix quasi obstupescens, et admirabunda exclamat prae gaudio: Cur rupisti etc. quasi dicat: du Schalk, dafs dich Gott behüte, du hast schier ein böse rupturam gemacht.

פָּרִיץ Hebraeis significat latronem, grassatorem, qui non regia via ambulat, sed per lucos et loca devia vagatur ad struendas insidias, et grassandum in viatores, aut qui alioqui non volunt subjici communibus legibus et ordinationibus, sed violenter grassantur suo arbitrio, nach ihrem tollen wilden Kopf. Propter te igitur, inquit obstetrix, haec grassatio facta

est, ut tu prior egredereris, non est servatus legitimus ordo naturae, sed per rupturam et grassationem editus es, et propter te mater cum gemellis maximam vim passi sunt, propemodum enim violentia illa eos occidisses. Sic exsultat et laetatur obstetrix propter violentiam istam felicem et gratam matri et pueris, quia laetum et jucundum exitum sortita est, salutem et vitam eorum quos metuebant perituros, es ist nu wohl gerathen, non meminit amplius pressurae, praesertim tam atrocis et periculosae, sicut inquit Christus Ioan. 16, 21. Nam praeter omnem spem et exspectationem mater cum gemellis hac grassatione servatur, et alterius quoque partus felix et facilis est.

Hactenus vero historia Iudae et Thamar, quam simpliciter potius explicare, quam allegorias fingere libuit; longe enim utilior est, et necessaria magis historiae tractatio, saltem propter Iudaeorum insulsas glossas, qui seriem rerum gestarum prorsus confundunt. Meminerimus itaque, sicut initio et alibi a nobis annotatum est, inde conjugium praecessisse venditionem Ioseph, cujus narrationem supra inchoavit Moses, et in sequentibus eam pertexet; haec enim ut una omnium calamitatum Iacob gravissima, ita et postrema fuit.

TRIGESIMUM NONUM CAPUT GENESIS.

Porro Ioseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Potiphar cubicularius Pharaonis,

princeps mactatorum, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, qui perduxerant eum illuc.

Initio hujus capitis repetit Moses quaedam ex superioribus de venditione Ioseph, quam per ὕστερον πρότερον ante narrationem praecedentis capitis descripsit, cum tamen discessum Iudae a fratribus suis, conjugium ejus et nativitatem trium filiorum secuta sit; postea vero cum morerentur Ger et Onan, et Thamar a socero suo incestaretur, Ioseph annos circiter XXIV natus, jamque in Aegyptum abductus fuit, ita ut prior pars superioris capitis antecesserit venditionem, posterior vero secuta sit, sicut patet ex supputatione annorum.

Hinc vero colligi potest Ioseph ter fuisse venditum, primum Midianitis, deinde Ismaelitis, tertio Potiphari: forte enim Midianitae non descenderunt in Aegyptum, ideo Ismaelitis illuc proficiscentibus eum tradiderunt. Sed primum vocabula expediamus quae negotium faciunt interpretibus. Potiphar propemodum germanicum est, pot, fett, pharr, quasi dicas, pinguem et crassum juvencum, sed veram etymologiam non possumus scire, quia est vox Aegyptia.

סָרִיס eunuchum omnes exponunt, et frequens est in sacris literis hoc vocabulum, et plerumque pro castrato accipiunt Iudaei, sed origo ejus est honestior, quia venit a custodiendo cubili, ideo reddidimus cubicularium, cui custodia cubiculi demandata est, vulgo ein Kämmerer, et hanc puto veram et propriam significationem fuisse; postea cum divisae sunt familiae regum, coepit usus סָרִיסִים eunuchorum in gynecaeis reginarum. Alioqui nulla mentio fit castratorum in sacris literis, nisi Jes. 56, 3. et Matth. 19, 12. alibi

semper significat cubicularios et ministros regios, sicut in historia Esther recensentur septem cubicularii in conspectu regis ministrantes, qui fuerunt destinati ad custodiam corporis regii, et intimi ac fidelissimi ministri.

Laudo igitur Lyram, qui dicit eunuchos capi dupliciter, uno modo pro castratis, qui adhibentur ad cubilia reginarum, altero pro cubiculariis regum, et tales plerumque intelliguntur in sacris literis. In Jesai. cap. 39, 7. cum dicitur ad Ezechiam: Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis, non puto accipiendos pro custodibus feminarum, sed hoc significari, futuros eos in aula aut palatio regis Babylonii; neque enim consentaneum est Danielem aut socios ejus fuisse castratos, et adhibitos ad ministeria muliebria, sed circa regem fuerunt, ut apparet ex Daniele, et in historiis Regum Ioram et Ahab dicitur: dedit unum de eunuchis, id est, de intimis secretariis.

Iudaeorum deliramenta odi et detestor. Hieronymus ex commentariis eorum recitat Potipharem hunc juvenem eleganti forma emisse in turpem usum, itaque Deum afflixisse eum, ut exarescerent virilia ejus, ne posset adolescente abuti, postea vero electum esse in pontificem civitatis On, et hujus filiam esse Aseneth, quam Ioseph uxorem duxit, solitos item castrarii sacerdotes, sicut Galli Cybeles apud Ethnicos, sed haec falsissima sunt. Alius enim est Potiphera, cujus filia nubit Ioseph, qui habuit nomen a Pharaone, quasi dicas: crassitiem Pharaonis. Alii ut respondeant, quomodo potuerit uxorem habere, cum esset eunuchus, fingunt ei exectis virilibus, nervum mansisse salvum, ut posset cum uxore dormire quamquam esset sterilis.

Haec foeda et cynica sunt digna sane scrophis Iudaicis, qui turpissima quaeque de gentibus comminisci, et suas laudes jactare immodice solent: tamen ideo recitavi, ut sciret lector quid de eunuchis sentiant ipsi, et potius veriorem expositionem amplectatur, quod fuerit unus de intimis et fidelissimis cubiculariis Pharaonis; et huc accedit quod praecipua dignitate eum ornavit rex, et constituit principem mactatorum.

Hic vero rursus negotium nobis est cum Grammaticis שַׂר הַטַּבָּחִים. Hieronymus vertit, principem militiae, sive exercitus, sed certum est verbum Hebraeum idem sonare quod Latinis occidere, immolare, mactare victimas, ideo vertunt principem mactatorum, quod nos germanice reddidimus Hofmeister, qui praefuit aulae Pharaonis, nec aulae tantum, sed etiam templo et sacrificiis, ut promeret laniis, quidquid mactandum esset, sive ad profanos, sive sacros usus. Talem praefectum aut magistratum dignitate reliquis antecellentem, arbitror fuisse Potipharem, ein Marschall oder Hofmeister. Infra fiet mentio principis, pistorum et pincernarum, ea fuerunt certa et distincta officia in regno Aegypti, et forsitan ita distributa, ut alius mactationi laniorum ad quemcunque usum, alius pistoribus, alius pincernis praeficeretur, non solum in aula, sed in civitatibus singulis et toto regno; fuit enim optime constitutum et pulcherrimis legibus ordinatum.

Ideo non ad aulam tantum referenda haec puto, quam non arbitror tam amplam ac magnificam fuisse, quam nostrorum principum aulae sunt, fuit enim magna illorum temporum frugalitas, sed in tota regione Aegypti pistores, lanii, pincernae, habuerunt suos principes sive praefectos, quorum autoritate gubernabantur

secundum leges regni. Illi etiam annuas pensiones et tributa, quae regi solvenda erant, a singulis ordinibus ad regni conservationem exigebant. Sic infra audiemus Ioseph praefectum esse rei frumentariae. Et talis princeps fuit Nebusar Adan Babilonius 2. Reg. 25, 20. Id vero falsum est, quod nugantur Iudaei Ioseph ministeria illa pistorum, pincernarum et coquorum sive laniorum instituisse: antea enim quam veniret Ioseph in Aegyptum, ea omnia ordinata fuerunt.

Hactenus de vocabulis, jam ad historiam redeamus, quae profecto alium interpretem et doctorem requirebat, ac libens sane cederem aliis, quibus vires adhuc integrae et majora dona a Deo concessa sunt, sed faciamus quantum possumus: Dominus Deus donabit me rude suo tempore.

Et fuit Deus cum Ioseph, et erat vir in cunctis prospere agens, existens in domo domini sui Aegyptii.

Hic incipit insigne et illustre illud exemplum, cujus nihil simile in omnibus aliis historiis memoriae proditum est. Fuit Ioseph felicissimus juvenis, et felicissima institutio et educatio patris, ei die Zucht ist wohl gerathen, non de nihilo fuit, quod Iacob hunc filium unice prae caeteris omnibus dilexit. Videmus enim Spiritu sancto operante, summa fide et diligentia doctrinam patris eum audivisse, et retinuisse; ideo lucet in eo ardentissima fides, cum in prima illa et florida aetate, non tantum calamitatibus extremis, sed et summis illecebris voluptatum impugnatur, neque tamen impelli aut expugnari potest. Hoc exemplum proponere sibi adolescentes debebant. Quanta ibi fides? quanta pudicitia, castitas et patientia fuit? quae ver-

his explicari non possunt. Adolescens enim XVII annorum est cum venditur, et a parente suo et avo, quos reverenter coluerat, avellitur, et conjicitur in servitutem sine ulla spe libertatis, aut reditus ad suos: ibi certissime firma fide ac incredibili robore et tolerantia opus fuit.

Ac verbum seminatum a patre in cor pueri, sane purissimum et fecundissimum uberrimos fructus protulit, juxta illud Lucae 8, 15. Nam alius quispiam aequalium ejus, aut impatientia et dolore animi fractus esset, aut oblatam occasionem libidinis explendae avide arripuisset, at in Ioseph nihil horum vides, sed lucet in eo chorus pulcherrimarum virtutum, quae in hanc quidem naturam possunt cadere, neque aliud ullum exemplum exstat, quod cum hoc conferri queat. Itaque reliqui fratres non eadem diligentia et fructu patrem audiverunt, tametsi eadem institutio et idem verbum esset, quod haud dubie Iacob toti domui assiduo et fideliter inculcavit; sed fiunt illi patricidae et fratricidae, werden eitel Teufel, solus Ioseph angelus est, solus apprehendit verbum patris, concipit fidem, spem, caritatem, et retinet mordicus, adeo ut nec impetu, nec insidiis Satanae excuti sibi patiatur.

Magna miseria est, quod tam procul e conspectu patris abripitur, nec relinquit domum sine maximo dolore, luctu et lacrimis suis et parentis, Deus tacet et dissimulat, Ioseph gemit, ejulat, et videtur abjectissimus, da ist nichts. Quare non frangitur animo, et desperabundus clamitat? Video me desertum a Deo et hominibus, et praeter meritum tam indigna fortuna conflictari, qui patrem colui et observavi etc. quales solent a desperabundis edi fremitus. Nec dubium est, cor ejus his arietibus oppugnatum esse: adolescens

enim fuit XVII annorum, neque est quod existimemus eum truncum aut stipitem fuisse, sine omni sensu tantorum malorum, cum conjiceretur in hasce tam atroces tentationes desperationis, indignationis et odii adversus Deum, libidinis, denique servitutis tristissimae, ubi alienis et ignotis hominibus cogebatur instar vilissimi mancipii servire, a germanis fratribus proditus et abjectus. Vide annon horribiles istae et intolerabiles aerumnae sint, ad quas nostrae calamitates ne conferendae quidem sunt?

Sic nimirum vere haeres est patris, hoc est calamitatis paternae, quamquam etiam Iuda non exigua cruce exercetur, sed nihil est ad illam, der ist zumal jung, ist zu früh, Ioseph adhuc adolescens est XVII annorum, destitutus omnibus commoditatibus et adminiculis, quibus opus habet prima aetas, pervenit in terram peregrinam et ignotam, ad homines impios et idolatras, nihil doctrinae nec exemplorum videt, quibus erudiri aut confirmari queat, sed mera barbaries et turpissima exempla ob oculos sunt, intus vero insidias et tela ignita Diaboli experitur, et tamen regnat in corde verbum patris, quod retinet firmissime, mein Vater hat mich gelehrt, es lafs mich Gott wie lang er wöll, so soll ich harren, docuit me pater meus credere et exspectare patienter auxilium Dei, quantumvis differat aut cesset: Exspecta Dominum viriliter age, et confortetur cor tuum. Totum enim Psalterium tenuit memoriter, siquidem omnia illa quae docentur in Psalmis de fide, de patientia et exspectatione, re ipsa et in effectu praestat Ioseph: exspectat et sustentat se promissionibus divinis, quas audivit ex patre, non desperat, non murmurat adversus Deum.

Ac tantis quidem tentationibus solus ipse confli-

ctatur, neminem habet conscium, cum quo conferat, qui verba solantia dicat; ideo longe majus et gravius periculum est, quam Patriarchae Loth, cui, ut Petrus scribit, vivendum erat cum turpissimis nebulonibus, audiendae voces impiae, exempla foedissima aspicienda, sed in tantis molestiis non procul aberat familia, uxor et filiae, quae erant adminicula memoriae praeteritorum sermonum et exemplorum, et praeterea vox praesentis Abrahae eum poterat erigere et corroborare, wenn man ein solchen Mann an der Hand hat, das ist ein grofs refugium; proinde Loth beatus fuit collatione hujus sanctissimi juvenis, qui solus est in medio leonum, draconum, crocodilorum, diabolorum: quin etiam Danielem superat.

Haec vere miracula sunt. Ibi enim adest Spiritus sanctus in Joseph, et plantatum verbum in corde ita conservatur impressum et radicatum, ut fiat immota rupes contra Diabolum a dextris et sinistris. Id est miraculum miraculorum propositum universo mundo; historia ipsa simpliciter quidem narratur, sed maximas res continet.

Accessit vero ad alia mala ea aetate etiam sensus originalis mali, quo omnes homines proclives sunt ad libidinem, illas flammas sine dubio sensit a XVII anno ad XXVII ac tanto quidem tempore cum iis conflictatus est. Forte etiam, quod in historia non exprimitur, multis aliis illecebris et malis exemplis, non dominae tantum, sed et famularum sollicitatus fuit ad vagos concubitus; servum enim qui obit operas serviles sive domi, sive ruri, oportet conversari cum mulieribus et puellis domesticis aut vicinis, et scimus quantus furor sit Satanae insidiantis primae aetati, adeo ut si nec mulier nec ancilla irritet libidinem,

Diabolus aliis infandis modis pudicitiam eorum attentet et violet. Das überwindt der Knab alles mit einander, haec omnia vincit Ioseph singulari et divino miraculo.

Iamque serviit servitutem illam circiter decem annos usque ad vigesimum septimum aetatis, ac magna diligentia et fide praefuit toti familiae servorum et servarum, domi et ruri, ac retinuit verecundiam et pudicitiam in factis et dictis, ac omnibus gestibus, nam hi quidem plerumque animorum indices sunt.

Describit autem Moses servitutem Ioseph et ait: Dominus adfuit ipsi Ioseph, Dominus hats gethan. Ipse accepit verbum a patre Iacob, quod retinet firmiter in corde, quo edoctus est credere et confidere misericordia Dei. Hac fide vicit omnia. Non quin caro ejus horribiles illos impetus tentationum sentiret, siquidem mollis admodum est, nec potest ferre tentationes, aut se continere, quin fremat adversus Deum, sed Spiritus sanctus eum corroboravit, ideo inquit Moses: Dominus fuit cum eo, nam is delèctatur talium hominum consuetudine. Supra autem cum Ruben, cum Simeon et Levi aliisque fratribus non fuit, sed huic adest qui credit Deo, et statuit eum veracem, benignum et misericordem esse, unde secuti sunt fructus illi, qui hoc quidem loco non recitantur, invocatio et fides quam didicit a patre. Et si non fuit locus sacrificandi in servitute illa, tamen in agro et ubivis alibi potuit orare, gratias agere, laudare, repetere verbum in corde, et exercere pietatem et fidem et confessionem suam, das läfst der heilig Geist nicht, ad talia exercitia movet et excitat Spiritus sanctus pios, propterea dicitur hic fuisse Dominus cum Ioseph, ubi autem is est, ibi

adest etiam spiritus gratiae et precum, nec cessat invocatio et gratiarum actio.

Deinde in tota gubernatione domus, cum esset sacerdos natus et primogenitus, non omisit officia sacerdotalia; ideo non solum oravit pro se et domino suo, sed haud dubie docuit etiam conservos suos et conservas de invocatione et veris cultibus Dei, et peccata eorum reprehendit, aliquos etiam ex eorum numero convertit ad veram poenitentiam et agnitionem Dei. Vide ergo quomodo abundaverit bonis operibus, pietate et sanctitate in tantis aerumnis, et tamen custoditus est divinitus ab impatientia, ab insidiis Diaboli, cum ad dextram a libidine et lascivia dominae et ancillarum, tum ad sinistram, ab impatientia in calamitatibus.

Haec obscure tantum hoc loco significantur, sed sequi omnia bona et manifesta consequentia videmus. Ubi enim Dominus est, ibi sequuntur fructus verbi, confessio, doctrina, gratiarum actio et sacrificia omnis generis. Haec primum de theologia et sacerdotio Ioseph.

Additur porro: et fuit vir prosper. Hic prosperitatis primum in genere meminit Moses, postea in specie eam explicabit, quo ad temporalia sed non tantum ad prosperitatem rerum domini sui, sed etiam ad ipsum Ioseph referendam est: qui quidquid rerum gereret, non solum domino, sed et conservis et toti familiae, quin etiam dominae placuit, ita ut caperetur haec ejus amore. Omnibus igitur gratus et jucundus fuit, qui viderunt ejus probitatem, patientiam et alias virtutes, quibus ad honestam vitam et vitanda mala eum excitatum videbant, uno ore omnes omnia bona dixerunt, et laudarunt tam pium adolescentem, cui

prospere omnia caderent, non tantum in administratione domestica in commodum et emolumentum heri, verum etiam in tota vita, et omnibus actionibus, adeo ut diligeretur pariter a Deo et hominibus.

Sed cur addit Moses: Et fuit in domo domini sui Aegyptii? Respondeo. Quia non fuit sceleratus aut perfidus, qui meditaretur fugam, aut qui cuperet cuiquam nocere, sed ultro mansit in officio, et aequo animo hanc servitutem tulit, et sic animum induxit suum: Domine Deus tu abduxisti me a domo patris mei, a fratribus et tota familia, scio avum et patrem domi gemere, ejulare et desiderare absentem. Quid faciam? num expediam me ex ista servitute, et aufugiam? Non faciam. Ideo mansit in domo domini sui Aegyptii, hoc est, obtulit se Deo sacrificium, sic cogitans: Quia sum venumdatus sub alienam potestatem, manebo, et contentus ero mea sorte quantumvis miserabili et molesta, et dabo operam, ut placeam non tantum servis, sed et domino ac Deo meo, sicut Paulus docet: Non ad oculum servientes, sed tanquam Deo.

Talis et tam fidus servus fuit Ioseph, cui similes si quibus contingerent, facile ditescerent, sed hodie mira eorum paucitas est, plerique enim omnes fures sunt et latrones, stehlen, verderben, und veruntreuen alles, et tamen sunt liberi, non servi et mancipia, qualia illis temporibus fuerunt, nec ullum perniciosius genus hominum est in oeconomia, cum in his regionibus, tum in tota Germania, ac praeclare illud dictum est: Ein fauler Dieb ist besser denn ein fauler Knecht, fur ignavus praestat servo ignavo et negligenti: ille enim raro et pauca furatur, hic quotidie, imo singulis

horis negligit ea, quae poterant cedere in commodum domini.

Non igitur digni sunt appellatione servorum, sed furum potius et latronum, ac magna sane fuit felicitas Potipharis habere ejusmodi servum, et mancipi hominem instar vaccae aut bovis, qui sorte sua contentus esset, et fideliter faceret officium, neque de vindicta aut fuga ad parentes cogitaret: mansit enim in domo domini sui, et qui indignus erat nomine famuli, factus est servus servorum. Sequitur vero prosperitas ejus temporalis.

Viditque herus ejus quod Dominus esset cum eo, quodque omnia quae agebat Ioseph Dominus sub manu ejus fortunaret: nactus est itaque Ioseph gratiam in oculis heri sui, servivitque ei, et constituit eum super domum suam, et omnia quae habebat tradidit sub manum ejus.

Hic incipit Ioseph paulatim emergere et crescere, ac fuit haud dubie ingens felicitas et benedictio, qua ornavit Deus omnes ejus actiones. Vidit herus eum esse modestum, sobrium, verecundum, amantem honestatis, et recte ac feliciter omnia administrantem, ideo cogitat se nactum esse servum ex animi sententia, das ist ein Knecht für mich, hat er gedacht, ac propemodum sic sonant verba, quasi ipsum manu miserit, propterea quod servierat liberaliter, quamquam non assero. Sed Dominus exaudivit preces ejus, et benedicit primum hero, post etiam Ioseph, ita ut praeficiatur toti domui et omnibus quae habet Potiphar.

Hoc ingens et mirabile beneficium fuit, quod commisit Aegyptius iste universam substantiam et omnes

rationes suas ruri et domi, homini servo et peregrino, ist ein grofser Amtmann Ioseph, ideo optimam et perspectissimam ejus fidem fuisse oportet, ob quam invenit gratiam in oculis heri, qui nihil amplius periculi aut fraudis metuit a servo, nihil mali suspicatur, ne forte postquam ei custodiam et gubernationem rerum omnium commisisset, aliquid convasaret, ac protinus in pedes, more servulorum, se conjiceret. Aliorum perfidiam veritus est haud dubie, sed de Ioseph nihil tale ne quidem in mentem ei venit, securissime enim, ac plena fiducia omnia tradit in manus ejus, ac si ipsemet praeesset aut interesset gubernationi familiae; expertus enim fuit ejus integritatem, deinde vidit eum facere quae sunt hominis pii et timentis Deum. Non quod Aegyptius Potiphar agnosceret Dominum Deum, aut sic ad Ioseph diceret: Video Dominum tecum esse, sed Moses et Prophetae loquuntur suo more: impii enim et barbari non sic sentiunt, sed cum vident justum et sanctum hominem, dignum judicant quem diligant Dii. Idem judicium Potipharis fuit de Ioseph.

Haec igitur est amplissima simul et durissima conditio ac gubernatio Ioseph. Quis enim hoc ferat facile quod ipse tulit? Undecim annis servivit miserrimam servitutem sine ullo pretio, nisi postea fortassis, cum manumissus est, aliquid accesserit lucri. Sed dum servit, omnes ejus labores cedunt in commodum heri. Itaque praeter victum et amictum eumque tenuem admodum, nihil habuit: quod ipsum quoque laudabile est, summam paupertatem tolerare aequo animo; ea enim aetate debuisset contrahere matrimonium, gignere liberos, alere familiam propriam. His omnibus carendum est, necdum finem ullum servitutis prospicit, et tamen perfert nihilominus, et firma spe ac

fide pendet ab auxilio divino. Cogitat enim: Etiamsi diutius hoc onus sustinendum fuerit, tamen non frangar animo, nec desperabo, ego didici a patre meo sustinere, exspectare, et invocare Dominum, hanc doctrinam retinebo et exercebo ad finem usque vitae meae.

Diligenter autem haec cogitanti facile apparet, quantum onus fuerit tam miserabilis servitutis; durum enim est captum et in alienam potestatem redactum, inopiam insuper et labores gravissimos sustinere, quibus tu exhauriaris, et alter ille tyrannus locupletetur et augeatur. Wir klagen viel über den Türken, aber mit der impatientia werden wirs nicht besser machen; hodie de crudelitate Turcica querimur omnes, sed impatientia et murmuratione non superabimus calamitatem illam: quin exemplum hoc Ioseph nobis proponamus, nostrae enim aerumnae et servitus quantumvis tristis, non est conferenda ad miseriam Ioseph; pudeat igitur nos qui Diabolo servire, et Deum multipliciter offendere solemus impatientiae nostrae, quando recordamur afflictionum ejus. Vide enim quid acciderit sacerdoti huic, et gratissimo Deo et hominibus juveni.

Ab eo ergo tempore quo constituit eum super domum suam, et super omnia quae habuit, benedixit Dominus domui Aegyptii propter Ioseph, fuitque benedictio Domini super omnia quae habuit sive domi sive ruri. Reliquit igitur omnia quae habebat in manu Ioseph, nec quidquam cum eo noverat, nisi panem quo vescebatur.

Docet nos hic locus, quomodo Deus soleat bene-

dicere etiam indignos et impios, propter unum aliquem pium et bonum virum, sicut supra Iacob ad socerum suum dixit: Modicum habebas, cum venirem ad te, sed Dominus ad pedem meum te locupletavit, interea dum in domo tua cucurri et laboravi, multiplicata est substantia tua. Ut igitur Iacob fuit benedictio in domo Laban, sic Ioseph apud dominum suum Aegyptium. Das ist unsers Herrgotts Weis; ita diligit suos qui invocant eum, et exspectant ab eo auxilium et dona, ut propter unum aliquem hominem toti terrae benefaciat. Quamquam Ioseph ipse nihil accipit, sed manet servus, nisi forte manu missus sit, cum praeficeretur domui et rebus Potipharis.

Quidquid vero boni accidit toti mundo, agnoscendum est, et praedicandum gratis animis, et sciendum, Deum et pacem et alia beneficia praestare multis millibus causa electorum suorum, tametsi iis quidem non parcit, sicut Ioseph servire sinit tot annis, et tandem pro pretio servitutis in carcerem conjici summa ignominia. Sic nimirum remunerat Sanctissimos, qui plurimum prosunt, imo ipsa benedictio mundi sunt, die kriegen so schändlichen Lohn.

Diligenter igitur observandum est, Deum benedicere impiis propter Ecclesiam; si enim absque ea esset, et nisi doceretur et disceretur Evangelium, jam diu periisset mundus. Sic nobiscum hodie Deus est, habemus enim verbum et sacramenta, loquitur et operatur per nos, multos liberat a morte et aeterna damnatione, nos sumus salvatores mundi, et quidquid boni habet Germania, non suae potentiae, non virtuti, non sapientiae, sed abjectis, contemtis et maledictis illis hominibus, qui dicuntur Christiani acceptum ferat.

Haec est consolatio et spes piorum, quod salus et gloria nostra non in hac vita quaeritur, sed ad aliam et meliorem aspiramus; quidquid vero agimus in hoc mundo, id totum referimus ad gloriam Dei, ut multi convertantur, et salvi fiant. Propterea comedimus, bibimus, et oeconomica pariter et politica tractamus, item docendo Ecclesiam colligimus, ut quaeramus alteram vitam, sicut Ioseph, qui nullam spem habebat libertatis aut regni in Aegypto, tamen in coelo perpetuam gloriam et felicitatem exspectabat. Idem nos sperabimus, quanquam in hac vita quoque pios multis bonis cumulat Deus, sed non est principale praemium. Vita aeterna et perpetua laetitia ea demum vera merces est piorum in coelis, quam acceperunt Christus et omnes Sancti. Valeat igitur mundus cum suis harpyis, nos nostrum officium faciamus, sicut Dei beneficio adhuc docemus, ac sustinemus summa patientia ingentes aerumnas, quia omnibus modis cupimus consultum impiis et ingratis, et eo acquiescimus, quod scimus Deo placere studia et labores nostros. Was wir nicht können fortbringen, das mögen wir dahinten lassen. Si habemus annuentem et faventem Deum, qui dicit: En placet mihi servitus tua, ego ero merces tua, et abunde tibi satisfaciam pro eo, quod serviisti hominibus ingratis: haec promissio et consolatio longe uberior est omnibus thesauris totius mundi.

Hoc primum ex hoc loco discendum est, mundum non posse gloriari, se dignum esse vita sua corporali vel uno momento, sed propter Evangelium, Baptismum, remissionem peccatorum Deum omnia largiri et donare etiam sceleratissimis et pessimis hostibus Ecclesiae, Turcis et Papistis, wirfts in die Rapusen.

Atque haec de benedictione in domo impii, propter pium Ioseph. Potiphar enim Aegyptius crescit et locupletatur non suo, sed servi Ioseph studio et labore, ipso interim in otio stertente, perinde ut Laban universam molem oeconomiae reclinabat in humeros Iacob, ita ut ab eo etiam quod furto ablatum esset exigeret. Sic propter Naaman dedit Dominus salutem impio regi Syriae. Und hätt auch unser Gebet vom verbum gethan, Germania sollt wohl anderst stehen; ac si fuisset absque verbo quod docemus, et precibus nostris, res Germaniae quoque afflictissimae essent. Nostrum Evangelium et Naaman est et Ioseph. Adversarii quidem non agnoscunt, nec credunt, sed nos agnoscamus et simus grati.

Deinde hoc quoque notandum est, benedictionem Domini non contingere dormitantibus, sicut Polycrates dormiens rete traxisse dicitur, et in Psalmo 127, 2. scriptum est: Dat dilectis suis per somnum; non enim prohibet David laborem, sed requirit quietem et pacem conscientiae. Talis non debet esse labor qui impediat et turbet somnum spiritualem fidei et spei, sed sit conjuncta tranquillitas animi, conscientia bona et quieta, sicut inquit Christus: Nolite solliciti esse, seyd guter Ding, sufficit diei afflictio sua, macht euch nicht selbs Unglück, dormite, nolite dicere: quid manducabimus? quid bibemus? Neque tamen velim vos desidia et otio indulgere, sed laborare; non enim dat Deus benedictionem suam stertentibus secundum carnem, vult eam exerceri et mortificari, ut ait Paulus Gal. 5, 24. Qui sunt Christi, crucifixerunt carnem cum concupiscentiis.

Etsi igitur labor hoc non efficit quod praestat benedictio, tamen vult nos Deus facere officium, et

sedulo laborare, ut exerceatur caro, ne stertat, neve desidia torpescat, sicut ethnicus poëta inquit: Omnium hominum ingenium proclive esse a labore ad libidinem. Non igitur otio et ignaviae nos dedamus, sed subeamus labores omni studio et sedulitate, quos requirit uniuscujusque vocatio, atque ad hos simul accedat hilaris animus in omni molestia, labore et tribulatione: atque ita exspectetur a Domino benedictio. Sic enim Iacob, Ioseph, Rahel, Lea non oscitantes fuerunt. Lea dicit ad Iacob: Nonne pater consumpsit mercedem nostram? quasi diceret: Fuerunt nobis tolerandae molestiae oeconomicae pascendis pecudibus, mulgendis vaccis, capellis; etc. quidquid vero nostro studio et diligentia partum est, id omne absumpsit pater Laban. Eadem sedulitas fuit haud dubie in Rebecca et Sara, sed cum pace et quiete conscientiae.

Ad hunc modum Ioseph diligentissimus fuit in gubernatione familiae, primus cubitu surrexit, perlustravit totam domum, ordinavit ea, quae domi aut ruri essent peragenda, ac diligenter singula disposuit, non exspectavit donec familia sua sponte officium faceret. Nam id fere nunquam fieri solet, sicut in nostris hominibus apparet, quorum tanta ignavia et negligentia est, ut nusquam alibi pigriores viderim, quam in hac regione et urbe: si suppetit cibus in crastinum, nihil agunt prorsus, aut maligne operas debitas obeunt. Ideo sunt homines nihili et mendici, et quidquid habent ex oratione Ecclesiae habent, haud unquam rem facturi, ignaviae, veterno, et helluationibus dediti, ein faul schändlich fressig Volk. Qui vero seduli sunt et diligentes, facile ditescunt, quia talibus vult Deus dare benedictionem, sicut inquit Salomon: Diligentes parant divitias.

Atque idem fere videmus in aula fieri. Plerunque duo vel tres totum onus gubernationis sustinent, princeps ipse aut scribarum aliqui, reliqua turba stertit noctesque diesque, pergraecatur, heluatur, aut si quid agit, non officii causa, sed mera avaritia et ambitione agit, ideo tanti sumptus fiunt.

Ioseph vero fuit diligentissimus paterfamilias, qui singulas operas in familia studiose inspexit, et rationes earum exegit, quae inspectio magis prodest quam labor manuum, quamquam ea quoque magna cura et assiduitate opus habet. Itaque Ioseph non solum bonus et pudicus fuit, ac diligenter pro Domino suo, pro rege et tota terra Aegypti preces fudit ad Deum, sed fuit etiam vigilantissimus exactor et gubernator operarum domesticarum, qui omnia diligentissime exegit ad numerum, ad pondus et ad mensuram, quod est boni patrisfamilias officium, ut testantur communes sententiae: Oculus Domini et fimus cadens de pedibus ejus impinguat agrum, item: Frons occipitis prior est. Nisi enim adsit Ioseph aliquis, nihil recte geritur, opus igitur est vigilantia et assiduitate, sicut vetustas sceptrum effinxit: In summitate ejus, qua hodie coronula ponitur, oculos vigilans et apertus sculpebatur, ut significaret politiae aut regni administrationem opus habere vigilantia. Wenn ein Fürst nicht wacker ist, so wird nichts draus, Alexander magnus nunquam tantas res tam brevi tempore gessisset, nisi ipse rebus omnibus singulari vigilantia et sollicitudine praefuisset. Sic omnes Magistratus oportet gerere oculum in fastigio sceptri, et in oeconomia de praesentia matrisfamilias vulgo illud fertur: Der Frauen Augen kochen wohl, der Magd Augen nimmermehr.

Haec igitur altera doctrina hujus loci est, benedictionem divinam dari diligentibus eum, vigilantibus et laborantibus; quamquam diligentia per se nihil valet, requirit tamen eam Deus, ut caro conteratur et crucifigatur, quod faciunt homines pii propter Deum, ideo sunt salus et benedictio orbis terrarum: sicut hic describitur Ioseph exemplar perfecti hominis, et ornati omnis generis virtutibus, idque cum videret herus, reliquit omnia quae habebat in manu ejus, ut habet textus.

Sequens vero particula (Nec quidquam cum eo noverat, praeter panem quo vescebatur) odiosissimis Iudaeorum nugis varie conspurcata est: alii sic interpretantur, Ioseph nihil comedisse praeter panem, et tamen singulari benedictione Domini fuisse forma et valetudine optima; alii intelligi volunt de Potiphare, quod is omnia commiserit tam fideli servo, adeo ut nihil rerum omnium curaret, nisi quod domi cibum caperet, ac mox in regiam rediret; alii panem pro uxore accipiunt, quod dominus nihil cognovit domi suae praeter uxorem, et eodem modo exponunt illud Proverb, 5, 15. „Bibe aquam e cisterna tua." Sed digni sunt Iudaei, qui talia credant et doceant.

Porro vox Hebraea לֶחֶם non tantum panem significat, sed generaliter omnem escam, panem et aquam, Essen und Trinken, ut Danielis 4, 9. vidit rex arborem in qua erat omnium esca, id est, poma et fructus quibus vescebantur omnia animantia, et Jerem. 11, 19. „Eradicemus arborem cum esca, id est cum fructibus."

Existimo igitur haec verba ad Ioseph referenda esse, quod is omnis generis difficultates ac labores in tota familia toleraverit, ac per ipsum sane Dominus

benedixerit Potiphari Aegyptio, sicut supra Laban crevit generi et filiarum laboribus, neque tamen discedentibus pro tot annorum servitio vel teruncium persolvit; sic Ioseph quoque nihil praemii tulit ab ingrato domino. Mundus enim benedictioni et labori Sanctorum avidissime inhiat, ac fucorum instar apium mellificio delectatur ac fruitur, sicut hodie principibus et tyrannis multum accedit emolumenti ex propagatione Evangelii: aut enim largitionibus Episcoporum et Cardinalium, aut direptionibus bonorum Ecclesiae ditescunt, denique pace et tranquillitate, opibus ac salute quam impetrant a Deo preces Ecclesiae, summa voluptate perfruuntur, sed ministris Ecclesiae egenis et afflictis ne indusium quidem praebent. Wenn man einen armen Pfarrherr soll ein Hemd geben, so ist Niemand daheim. Talis crudelitas et avaritia fuit etiam in Laban et Potiphare isto, qui postea fidelissimi et optimi ministri labores vinculis et carcere pensabit.

Haec conditio est piorum omnium in hac vita, laborare ac impetrare ingrato mundo benedictionem, et esse contentum pane quotidiano. Interea tamen hac se consolatione sustentant, quod norunt opes suas esse in coelo, ubi et conversatio ipsorum est: neque enim de hoc mundo sunt, sed de coelis, unde exspectant salvatorem et remuneratorem, lassen sich dieweil genugen an der Parteken, acquiescunt interea victu et amictu, quem ordinat tamen et praebet Deus, sed non sine fame et inopia multorum.

Haec igitur sententia est horum verborum: Ioseph quamdiu fuit cum illo impio domino, non cognovit, non habuit quidquam proprium, non fuit rapax aut avarus, neque quidquam expetivit praeter panem quo-

tidianum, quo vescebatur, reliqua commendabat Deo. Vides igitur quam horribilis bestia sit mundus, cujus justitia haec est, alienos labores devorare, uti servo tanquam asino et bove, et aegre ei relinquere victum et amictum necessarium. Id enim significat panis quotidianus Leibs Nothdurft, ea quae ad hanc vitam sustentandam necessaria sunt, non ad opulentiam, regnum, superbiam, avaritiam, sed ad necessitatem. Ea vero aegre et maligne ei praebuit impius dominus; neque vestiri splendide, nec laute pasci potuit. Laboranti enim paleae et fragmenta dantur, alii vero ejus laboribus victitant, licet ipse unde vivat, vix habeat.

Ipsi igitur Ioseph magnum onus incubuit, quando, ut ait Moses, reliquit dominus omnia in manu ejus, Potiphari autem suavis admodum vita fuit, cum pasceretur alieno labore, cura et sollicitudine, perinde ut fuci apum mellificio pascuntur, sic enim cogitavit: En emi servulum istum exiguo pretio, sed video eum tanta industria esse praeditum, ut ego non opus habeam inspicere operas familiae, sponte enim et magna sedulitate expedit hic omnia, idem Pharao quoque postea faciet. Talibus fucis plenus est mundus in omni vitae genere. Qui ad laborem idoneus et paratus est, passim apud omnes est in magno pretio, ac propterea expetitur, ut alii onera et difficultates suae functionis sive aulicae sive domesticae excutere, et in humeros ipsius reclinare possint, nihilominus ad fruendum laboribus illius avidissimi, cum tamen expressum mandatum Dei sit: Qui non laborat non manducet. Quin etiam multi inscitiam omnium rerum aut simulant aut affectant, tantum eam ob causam, ne adhibeantur ad ...tatos labores hujus vitae. Sicut memini monachum

quendam Erphordiae, cum reprehenderetur ab aliis, quod defugeret operas domesticas monasterii, homo robusto et firmo corpore, respondere, se ad eas minus idoneum esse, ac scire, si semel manus cuicunque operi admoveret, id saepius sibi repetendum fore, denn wenn man merkt, dafs einer ein Ding thun kann, so läfst man ihn dasselbig gern thun.

Ioseph igitur adolescens est omnibus virtutibus praestans, in quo omnia praeclara ac laudabilia sunt, contentus est sua sorte, ac magno animo tolerat inopiam, retinet patientiam et fidem in Deum, et est largus ac benignus erga tyrannum Potipharem, cum domum summa diligentia et fide administrat pauper ipse et egenus. Fuit igitur thesaurus pretiosissimus illius regni, quamquam a nemine agnosceretur, nec habuit tum similem in toto orbe terrarum, praeter patrem Iacob, et avum Isaac, tamen tantus thesaurus mundo ignotus et absconditus erat, neque sane praeclarum illud lumen pulcherrimarum virtutum eluxisset, nisi dominum habuisset avarum, cujus crudelitate egregia illa indoles in adolescente excitaretur ad praestandam patientiam ac aequabilitatem animi in durissima provincia quam sustinebat.

Hae virtutes vere admirandae sunt, et longe superant miracula et res gestas apud Pharaonem, quae infra recitabuntur. Illa quidem magis incurrunt in oculos, sed haec sunt tecta et abscondita, sunt aquae Silohae, quae fluunt cum silentio, non Assyriorum aut superbiae, ideo nemo videt, nec intelligit ea, cum tamen sint illustrissima et maxima miracula, quae quotidie facit Ioseph. Potiphar ea cernit, sed animo avaro et ingrato, sicut Laban. Ibi gemma pretiosissima latet in tenebris, quasi fimo illo servitutis obruta.

Sequentia magis erunt conspicua, quando interpretabitur somnia, movebit de futura fame, ac toti regno prospiciet frumento, quod asservatur septem annis fertilibus, sed revera haec majora sunt. Ideo praeclare ab Augustino dicitur, majora esse miracula quae quotidie fiunt in mundo, quam quae a Christo degente adhuc in terris, edita sunt.

Magnum illud et mirabile opus fuit, quod pavit septem panibus quatuor millia hominum, at vero quotidie pascit totum orbem terrarum, quod multo magis miraremur, nisi assiduitate viluisset; proinde ocularia miracula longe minora sunt quam auricularia. Majora sunt quae facit Ioseph serviens quam imperans, quamquam illa magis feriant animos et sensus hominum; nam hic quidem nulla in eo species, nullus splendor cernitur, incedit mole gubernationis domesticae obrutus, pauper et abjectus, donec postea insignis illa gloria et decor miraculorum erumpit, quae tamen omnia ad haec neutiquam conferenda sunt, quod Ioseph est filius Dei et sacerdos plenus spiritu Domini, pietate et summis virtutibus, propter quem tota domus Potipharis liberalissime benedicitur et augetur.

Ideo inquit Augustinus Deum quaedam miracula minora et rariora sibi reservasse, ut propter raritatem mundum admoneret de majoribus. Quilibet homo est magnum miraculum per se, ac si universus orbis atque Angeli etiam omnes suas vires conferrent, ne unum quidem pilum in homine possent condere. Sic videmus coelum moveri, solem lucere, sed his nihil admodum afficimur; quando autem docetur verbo Dei, ex nihilo haec pulcherrima corpora esse creata, ibi magnitudinem mirabilis opificii aliquo modo aestimare possumus, quae oculis quidem non percipitur, sed solo

auditu, monstrante verbo Dei, cognosci et deprehendi potest.

Tale etiam miraculum fuit Ioseph apud Potipharem in Aegypto, propterea insignis ejus descriptio est, ac singulari consilio Spiritus sancti in exemplum totius Ecclesiae, imo universi mundi propositum est. Non enim exstat aliud simile in sacris literis; reliquorum patrum vita ante et post diluvium non tam accurate describitur, ut simul studia et actiones adolescentiae et juventutis commemorentur, nisi quod tempus generationis eorum plerumque annotatur, sed studia quibus in adolescentia fuerunt dediti, aut quae pericula et aerumnas sustinuerint, nusquam alibi narratur, quam in hac sola historia Ioseph. Fratres ejus antea celebrati sunt, homines nequissimi et infandis sceleribus polluti, hic solus tanquam rosa inter spinas emicat ornatus omnis generis virtutibus, patientia, constantia in retinenda doctrina pietatis a patribus accepta, castitate, continentia; nam eo tempore avulsus est a consuetudine et conspectu parentis, quo maxime monitore et doctore opus habebat. Sicut hodie Turca nostros pueros rapit ea aetate, qua facillime primae institutionis oblivisci, et ad disciplinam Turcicam flecti et assuefieri possunt.

Nam prima aetas tametsi non caret praeceptoribus, custodibus et monitoribus, tamen cerea est in vitium, ut ille inquit, temeraria ac rebellis, et incipit tum furere peccatum originis, quo Diabolus ei insidiatur, et conatur laqueis illecebrarum et voluptatum eam irretire. Magna igitur miseria et ingens periculum fuit, quod adolescens nondum plene confirmatus bonis opinionibus et exemplis disciplinae, ex medio cursu optimae et sanctissimae institutionis abripitur,

ac traditur a fratribus in manus impiorum, qui in terram ignotam ac plenam idolomania eum abducunt, ubi cogitur videre, et audire pugnantem cum patria institutione doctrinam Daemoniorum, mores item gentilium turpissimos aspicere, et tamen mira constantia retinet doctrinam et cultus divinos, quos a patribus acceperat.

Ideo Psalmus octuagesimus primus mirifice praedicat Ioseph, cum ait: Linguam quam non noverat audivit, manus ejus in cophino servierunt. Coactus est audire linguam ignotam Aegyptiorum, nec tantum eam quae ipsis vernacula erat, sed et doctrinam et cultus alienos ab institutione paterna: inter quos summa fide et pietate conservavit doctrinam patris, nec corruptus est sermonibus, vel sacris, vel profanis Aegyptiorum. Ibi sane oportuit adesse Spiritum sanctum, qui fidem et veras sententias pietatis in eo confirmaret, ne impiorum doctorum cultibus aut dignitatibus labasceret animus tener et imbecillis. Saepe cum aut ritus sacrorum, aut mores eorum corruptissimos vidit, recordatus est sanctissimae disciplinae et doctrinae patris, atque ea se munivit adversus omnis generis scandala. Das mufs ein fein Kind gewest sein, der hat fleifsig und wohl studirt, da mufs auch Spiritus sanctus gewest sein.

Hac nostra aetate in tanta licentia ac petulantia juventutis, etiam cum adhibentur optimi praeceptores, tamen aegre disciplinae leges tueri possumus; at hic adolescens XVII annos natus, tanta cura et religione disciplinam patris observat, ut nullis exemplis nec dogmatibus a vera pietate deduci queat, quamquam non sine magno dolore animi tot offensiones et difficultates extra ecclesiam suam sustinuit.

Neque peccatis suis hanc crucem meritus fuit, sed

passus est more Christianorum, qui propter veritatem et justitiam, non propter scelera affliguntur, quod jubet eos cavere Petrus, cum ait: Nemo autem vestrum patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος, quod proprie seditiosum significat, qui alienam vocationem invadit, die regieren wöllen, da man ihnen nichts befohlen hat.

Causae igitur afflictionum, quibus in hac vita exercentur pii, non sunt scelera et malefacta eorum, sed voluntas Dei, justitia et optimi ac castissimi mores. Sic hodie nos persequitur Turca, Papa et haeretici, non quia furti, aut vagarum libidinum, aut aliorum criminum nos reos agere possunt, sed propter doctrinam, et verum usum Sacramentorum quem tradimus. Nihilominus tamen opprobria et convicia illa ferenda sunt, quibus nos tanquam seditiosos, rebelles, pertinaces invidos proscindunt, so müssen wir heifsen. Nam et Sacramentarii nullum aliud crimen objiciunt, quam quod violemus caritatis leges, turbemus concordiam etc. quae omnia in ipsos cum competant verissime, nobis tamen ea impingunt, sie thuns, wir aber müssens tragen, also soll es sein. Ioseph affligitur non propter inobedientiam, sed quia est patri obediens, castus et sanctus juvenis, sicut propter pudicitiam et castitatem mox in vincula conjicietur.

Atque hactenus quidem a sinistris eum adortus est Diabolus, qui tentavit eum inopia et miseria in difficili illa et molesta servitute, estque adhuc in carcere inferni superiore, mox autem in inferiorem praecipitabitur, es mufs noch ärger werden.

Erat autem Ioseph pulchra facie et decorus aspectu.

Hanc particulam inseruit Moses, ut commodius attexeret ea quae sequuntur, ait Ioseph fuisse eleganti forma, ac pulchro aspectu. Etsi enim nec pasceretur lautius, neque ulla ratione excoleretur, tamen facies honesta et liberalis per se magnum ornamentum fuit, praesertim in adolescente et flore ipso aetatis, et in quorum cordibus habitat Spiritus sanctus, illi solent esse hilari et laeta fronte, Deus enim excitat in eis veram laetitiam, quae exhilarat faciem, sicut eandem tristitia deformat. Huc accedit quod natus fuit optimis parentibus, matre pulcherrima Rahele, et conjuncta fuit forma cum pietate et honestate morum. Hinc flammae illae amoris exarserunt in animo dominae, quae in eo mirata est tot praeclaras virtutes propter formam etiam illustriores, vere enim a Virgilio dictum est:

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.

Quando accedit cumulus virtutum, tum fit forma excellentior, sicut mulierem formosam non tam ornat venustas corporis, quam mores pudici, modesti, humiles, non acerbi. Hae virtutes longe superant omnem pulchritudinem, et deformes etiam commendant et ornant.

Ioseph igitur omnibus dotibus corporis et animi excelluit, fuit acceptus Deo et gratus hominibus, major enim ornatus hominis est virtus quam forma, quando autem conjunguntur, sunt invincibile vinculum amoris, es mufs einen fangen. Tales vero hoc seculum paucos fert, qui tot ornamentis praestent, et apud omnes sint gratiosi: multi enim ardentes libidinibus, iracundia, impatientia, crapula et belluationibus etiam pulchra corpora foedissime deformant, et perdunt, intus vero conscientiam circumferunt pollutam variis

sceleribus. At Ioseph in ipso flore aetatis insigne exemplum est omnium virtutum et amabile spectaculum etiam mulierum ac dominae suae. Iam igitur venit Diabolus, et tentat eum a dextris, postquam a sinistris, laboribus, servitute, exilio eum vincere et evertere non potuit, ac diligenter haec nobis observanda sunt, ut similes fiamus patribus cum benefaciendo, tum patiendo.

Factumque est post haec verba, ut uxor heri sui injectis in Ioseph oculis, diceret: Dormi mecum; qui renuens, ait ad uxorem domini sui: En herus meus non cognovit mecum quidquam in domo, quin cuncta quae habet tradidit in manum meam, neque quidquam tam magnum est, quod a me excepit, praeter te, eo quod tu uxor illius es: quomodo igitur possum hoc malum facere, et peccare in Deum? Hujuscemodi verbis per singulos dies loquebatur ad Ioseph, ipse tamen non parebat ei, ut dormiret cum ea, aut cum ea esset.

Vidit hactenus Diabolus sanctissimum juvenem incredibili patientia ac robore animi superare omnia incommoda et difficultates exilii, in quo a parentibus, fratribus et cognatis avulsus summaque dignitate et spe primogeniturae privatus, inter barbaros et idolatras versari cogebatur, quibus omnibus tamen nec defatigari, nec frangi animus ejus toto ferme decennio poterat. Etsi enim a XVII anno ad XXVII quem tunc agebat, infinitis telis ac arietibus a Satana impeteretur, solus tamen perdurat, et stat invictus sine monitore, sine socio aerumnarum, denique sine ullis exem-

plis, nisi contrariis prorsus, quibus facillime a doctrina pietatis abduci potuisset. Magnam itaque virtutem spiritus ac donorum Dei fuisse in eo necesse est; tolerabilius enim fuisset, si vel unicum habuisset sodalem, sed solus ipse sine admonitione, sine sacrificiis et concionibus sacris, magna constantia veram pietatem et studium regendorum morum retinet, atque adeo non mutatur, ut subinde magis magisque crevisse, ac confirmatus fuisse videatur.

Iam igitur invadit eum Satan a dextris, hoc est, illecebris libidinis ac voluptatis, quae tentatio longe gravior et periculosior est, praesertim in juvene, quam omnes illi impetus a sinistris; nam circa decimum octavum annum incipit furere originale malum, et exsistunt horribiles commotiones ac cogitationes vagarum libidinum in animis adolescentum, ac vivebat tum Ioseph inter exempla pessima gentilium, quibus natura per se proclivis in Venerem magis accendi et inflammari potuit, praesertim in optima corporis constitutione. Sic enim ait alicubi Augustinus: Quo magis nos sani sumus, hoc magis morbus ille insanit, non adeo fervet in corpore infirmo aut curis et aegritudine animi oppresso, ac in forti et valido.

Toto igitur decennio vixit adolescens in tentatione concupiscentiae, ac fortiter pugnavit, non semel, nec ab una tantum, sed saepius et multarum libidine ad turpem amorem provocatus, nam et puellae hoc malum sentiunt, ac si degunt cum adolescentibus, varie eorum animos versant, ut in amorem sui illiciant, praesertim forma et robore corporis praestantes, ita ut majore saepe negotio illorum irritamentis, quam propriis cupiditatibus resistant: sic enim pinguntur haec in poëmatis: Malo me Galatea petit lasciva puella, in-

quit ille apud Virgilium, et fugit ad saliçes, et se cupit ante videri, hnc accedunt technae diabolicae, quibus eas instruit, et incendit ad deçipiendos incautos, der Teufel kann wohl ein Metzen auf einen abrichten.

Ioseph vero super communes illecebras puellarum sive domesticarum sive vicinarum, a quibus varie pudicitia ejus tentata fuit haud dubie, a domina ipsa oppugnatur, quae nititur eum suis blanditiis in stuprum illicere, das ist gar aus der Weis, haec tentatio una omnium violentissima est, propter occasionem et copiam peccandi luculentam admodum et tutam: domina enim domus et uxor ipsa cupit ejus amore frui. A tali sane qui abstinet, hunc scias posse habere vitae suae modum, nam quod alii obviis, ut aiunt, ulnis amplecterentur, aut summo studio et ardore sectarentur, sicut solet prima aetas praeceps in libidinem ferri, id ipse, nulla ratione habita occasionis impudentissime oblatae, et dominae quotidie importune urgentis et instantis respuit.

Atqui adolescens erat Ioseph aetate, forma et viribus integris, in ipso flore aetatis, quo facillime flecti et superari a muliere nobilissima potuisset tanta pertinacia et improbitate eum lacessente. Atque ipsi non solum absque omni periculo dominae morem gerere licuisset, sed etiam magno suo emolumento. Neque enim quidquam aliud tam ad ornandum et evehendum ipsum ad altiorem dignitatis gradum videbatur facere, quam si dominam haberet propitiam et faventem, tanti viri conjugem, qui apud regem prae caeteris auctoritate et gratia plurimum valebat, et omnium coquorum et mactatorum princeps erat, quam dignitatem Hebraei valde amplificant, et dicunt eum fuisse

instar summi pontificis in Aegypto; potuisset igitur variis occasionibus commendari et provehi a domina.

Ioseph vero occasionem tam commodam et plenam securitatis, potentiae, favoris et voluptatis aspernatur et rejicit. Id sane illustre argumentum est summae probitatis et continentiae, quae virtutes inde manarunt, quod in animo ejus fixum fuit verbum et reverentia ac timor Dei, quod regnavit ibi fides per Spiritum sanctum. Audivi ego aliorum etiam adolescentum exempla, qui caste et pudice cum mulieribus ac virginibus vixerunt, sed hic turpis amor est, sollicitans, impellens et levissimo quoque momento evertens animum juvenilem, et carnem per se ardentem libidine. Fuit igitur pessima tentatio.

Da lerne nun wer lernen kann, diligenter meminerimus exemplum hoc, ut discamus quantum et quam gratum sit Domino, retinere fidem, timere et revereri mandata ejus, nec recedere ab eo, sed perseverare in vera animi pietate, id quod monet Christus, cum ait: In patientia possidete animas vestras, item: Qui perseveraverit in finem, salvus erit. Diabolus enim non defatigatur, non cessat, sed instat et urget occasiones, nec sufficit unius diei aut anni unius labor et lucta, sed patientia et pertinacia in dimicando opus est, donec aut vincat ipse aut vincatur et conteratur caput ejus. Sed difficile est adolescenti toto decennio cum tantis hostibus carne et Diabolo conflictari, qui tot arietibus, tamque commodis, et idoneis occasionibus eum oppugnent. Nihil enim hic omissum fuit eorum omnium quae ad evertendum Ioseph pertinerent, et tamen animo invicto sibi ipsi constat et perdurat, usque adeo ut propter summum illum gradum castitatis, sibi gravissimum periculum carceris et vinculorum

accersat. Haec vere passio Sanctorum est, et aeque acerba atque corporis cruciatus, ac ab iis sane qui valent eloquentia amplificanda et exaggeranda erat.

Porro valde impudenter compellat adolescentem, cum ait: Dormi mecum, quamquam non puto hoc principium verborum fuisse, quibus eum sollicitavit, sed initio arte quadam et blanditiis ei se insinuare studuit, ac prae se tulit singularem quandam et matronalem benevolentiam, studium et amorem honestum propter virtutes ipsius et summam industriam, interdum etiam arrisit blandius, aut familiariter collocuta est, quaesivit de rei familiaris gubernatione, de officio et sedulitate aliorum servorum, interdum et munuscula donavit, ut ostenderet fidem et diligentiam ejus sibi et hero inprimis caram esse. Non statim in haec verba prorupit: Dormi mecum, sed multis delinimentis, colloquiis, et insidiis variis animum ejus tentavit, atque ita aditum sibi ad hanc petitionem fecit.

Ioseph vero cum esset ingenio placido et modesto, benigne et humaniter respondit; non enim decebat servum superbe et insolenter se gerere erga heram; ideo cum videret ipsa arridentem nonnunquam suaviter et humiliter conversantem, subinde majorem spem animo suo concepit, donec statueret eum jam victum bonitate et suavitate sermonum et officiorum haud dubie in sua potestate fore. Nun ist es Zeit, hat sie dacht, und fähret heraus: Dormi mecum. Cogitat enim tot blanditiis, gestibus ac nutibus, quibus norunt uti mulierculae, delinitum jam et superatum esse: quod videtur etiam Moses significare, cum ait, injecisse eam oculos in Ioseph, hoc est, habuit defixos et intentos oculos in adolescentem, admirata est formam et virtutem ejus, saepe morum honestatem et

innocentiam, saepe et industriam ejus eximiam collaudavit, atque ita paulatim ad turpitudinem viam affectavit. Tandem vero cum non veretur amplius diu dissimulatum amorem occultare, sed apertis verbis ad stuprum ipsum provocat, ibi subito mutatur Ioseph, alios mores induit, et sermone alio utitur; non est amplius Ioseph ille, qui eam ut dominam timere et revereri solebat, quam observantiam ipsa tanquam omen futurae consuetudinis et amoris illiciti interpretabatur, jamque voti compotem se factam statuebat. Ideo mutat facilitatem et comitatem in constantiam sanctam et virilem, quod haud dubie aegerrime tulit hera, neque tamen destitit urgere iniquam et nefariam postulationem, quantumvis Ioseph dehortari eam, et deducere a turpi amore conaretur, sicut graviter et sancte concionatur, ut a furore libidinis eam avertat.

Non enim blandientis verba sunt, ut Grammatici nugantur, sed est oratio gravissima et sapientissima, qua nititur restinguere turpes et illicitas flammas libidinis: verum non sanatur malum hoc dicendo, aut ullo alio remedio, sicut apud Poëtam dicitur: Aegrescitque medendo; quo plus medicaminum adhibetur, hoc magis irritatur, quod ex descriptione Didonis apparet apud Virgilium. Quidquid enim opponitur ad mitigandum aut tollendum morbum, id potius auget et accendit, non secus ac si oleum camino addatur; est malus furor, qui non facile coerceri potest, quia est caecus et surdus, ac simpliciter impetus et vesania inspirata a Diabolo; non est castus et sanctus amor, qui ambiat mulierem aut adolescentem in conjugium, sed potius morbus quidam, imo rabies et furor, sicut ab Ethnicis etiam descriptus est.

Concionatur ergo sanctissimus juvenis mulieri fa-

renti, et opponit tria argumenta, primum est: Absit ut peccem in Deum. O mulier! cogita quantum delictum sit, abjicere reverentiam et timorem Dei, eumque offendere propter levem istam et exiguam voluptatem; aber da hilft kein Gott. Verum nihil cogitat de Deo promittente aut comminante, neque recordatur ullorum praemiorum aut poenarum; secundum argumentum: Tu es uxor heri mei, illum respice ac te ipsam, si non metuis iram Dei, nec rationem tibi habendam putas salutis tuae, at conscientiam tuam explora, ac cogita quid requirat nomen et dignitas uxoris, memineris illi soli te esse junctam, ac tantum quidem virum cujus dignitas magno tibi ornamento hactenus fuit, omni reverentia et honore prosequendum esse. Honesta sane ac sapiens oratio est. Tertium argumentum omnium gravissimum est, ab ingratitudine et perfidia: Herus meus ornavit me summa dignitate in familia vestra, constituit me dominum et gubernatorem totius domus: quantum igitur scelus esset horum beneficiorum oblivisci, ac fallere exspectationem ipsius.

Haec satis firma argumenta sunt, nec video quid possit validius ad domandam libidinem afferri: opponit timorem Dei, officium uxoris ac conscientiam propriam, denique ingratitudinem et perfidiam, cui nequaquam velit obnoxius fieri; verum ipsa quanto gravius et sanctius admonetur, et quo magis videt animum Ioseph obfirmatum ad tuendam pudicitiam et castitatem, tanto vehementius inflammatur. Vehemens igitur colluctatio fuit constantiae in retinenda pudicitia et libidinis pertinacissime repugnantis, concurrerunt ibi duo spiritus contrarii summis conatibus, Diabolus impetum facit in Ioseph admodum leniter et blande, sed

est horribilis saevitia. Quando enim videt non posse superari pios ullo genere tormentorum, tandem libidine et voluptatibus eos adoritur et expugnat, ut ait alicubi Hieronymus. Et Cyprianus scribit Ethnicos solitos esse lentis cruciatibus torquere martyres, nec permisisse emori, cum quidem vehementer exstingui cuperent, postea cum tormentis non possent eos superare, adhibuisse formosissima scorta, quae osculis et blanditiis pruritum carnis stimularent; norant enim Christianos commendare castitatem, et adserere Deum odisse vagos concubitus, itaque et illibatam eorum conscientiam hac ratione pollui, et doctrinam deformari volebant. Ad eundem modum tentatus est Ioseph, et oppugnatus violentissime a muliere impudica, quae nihil eorum omisit, quibus martyres oppugnati sunt.

Narrat Hieronymus ex martyribus quendam cum vinctis manibus et pedibus sentiret se rapi per vim ad libidinem, linguam mordicus arreptam exspuisse in faciem meretricis. Durum sane ac violentum remedium fuit restinguere libidinis flammas praecisione linguae sed inde apparet saevissimum ac immedicabile malum esse concupiscentiae, et gravius sane est multo vincere blanditias et illecebras voluptatum, quam crucem, sicut inquit Augustinus: Difficilius est pugnare cum libidine, quam cum cruce. Magna calamitas est vinctum esse et teneri in carcere, sed plus mali et periculi est in certamine adversus libidinem, quia ibi continua et quotidiana pugna est et rara victoria.

Impii parum solliciti sunt de retinenda castitate, ideo illis non facit negotium Diabolus, jam ante enim suis laqueis irretitos tenet, du bist bereit mein, denkt er; non tentat eos tam luculentis occasionibus, quibus

tamen cupidissime inhiant, imo impellit ut magno periculo, summis difficultatibus corporis et animi, etiam valetudinis detrimento consequantur quod cupiunt: tales enim jam sibi obnoxios habet, ideo tractat eos inclementius, ut dignum pretium impietatis et turpitudinis ferant, neque sine morbis, sine infamia et aliis impedimentis occasiones explendae libidinis inveniant, quas sponte et sine ulla difficultate iis objicit qui pii sunt et habent Spiritum sanctum.

Particula (En herus meus non cognovit mecum quidquam) aliquanto est obscurior, et Rabbini varie eam interpretantur; ego hanc opinor simplicissimam sententiam esse: Dominus meus non novit quod ego novi, non est conscius eorum quae domi geruntur, nihil cum eo communico de rebus domesticis, guberno domum liberrime, non exigit a me rationes singulorum, non novit igitur quod ego novi, quantum sit ejus peculium, quot pecudes, quomodo fiat sementis aut messis, ego solus cognosco. Hoc dixi argumentum esse ab ingratitudine et perfidia: tanto honore me afficit herus meus, ut non solum constituerit me dominum super omnia, tametsi loco et conditione servili sim, sed etiam hanc mihi libertatem concessit totius administrationis, ut a me haud unquam rationem reposcat, videt enim res suas ac totam familiam mirabiliter augeri et multiplicari, nec cogitat unde aut qua ratione id fiat. Cur igitur hoc scelere et perfidia tam clementem et benignum dominum offenderem?

Sequitur vero amplificatio hujus argumenti. Nihil tam magnum est in hac domo quod a me excepit, quod Hieronymus liberius aliquanto quam debuit transtulit. In Hebraeo est: Non tenebravit a me quidquam, nisi te, secundum quod tu uxor illius es. Nos

accusativum Eum, reddimus per dativum, Ei, et est sententia: In domo ista nihil habet herus tam magnum, carum, pretiosum, quod ei carius esset a me, id est, quod non credat meae fidei, et mihi gubernandum permittat; in aliis locis aut fundis aut civitatibus potest alia quaedam habere cariora, quam ut mihi committat, sed in hac domo nihil omnium rerum est, quod non sit in manu mea, praeter te.

Verbum Hebraeum חָשַׂךְ saepe usurpatur, ut Genesis 1, 4. divisit lucem a tenebris, frequentissime autem per metaphoram significat abscondere, quia quod est in tenebris obscuratur. Genesis 22, 16. eo quod fecisti hoc, et non tenebrasti filium tuum a me, ibi latinus interpres vertit: Non pepercisti, non celasti, non abscondisti, non exemisti, sed dedisti in sacrificium, sicut ego praecepi. Ita hoc in loco herus non posuit a me aliquid in tenebris, sed palam tradidit mihi omnia in potestatem et tutelam meam; nos reddidimus: Nihil excepit a me. Er hat nichts so lieb in ista domo, das er vor mir verberg, omnia sunt mihi tradita praeter te, tu sola es in tenebris, abscondita, occulta a me, non debeo te videre, nec nosse, in quantum uxor ejus es. Non negat quin debeat ei obedientiam et omnis generis officia, quibus ipsa cum liberis opus habeat, sed ea parte exempta, prohibita mihi es, qua tu es uxor ejus, usus conjugalis et jus corporis tui mihi prohibitum est.

Ad hunc modum concionatur Ioseph furenti dominae, ac allegat studium, obedientiam et fidem suam erga herum, ipsam quoque admonet de fide conjugali: Tuum erat officium me ad diligentiam et fidem in officio hortari et excitare, non ad perfidiam et ingratitudinem adulterii impellere, quae innumerabilia vitia

in se continet, sicut exstat communis sententia: Omnia convitia dixeris, si ingratum dixeris, et Bernhardus ait: Nullum vitium perniciosius est ingratitudine, eo quod exsiccat fontem bonitatis. Videmus igitur Ioseph fuisse sanctissimum et sapientissimum virum, omnibus virtutibus praestantem, ein solchen Mann, den unser Herrgott gemacht hat.

Concludit vero gravissime: Quomodo ego possum hoc malum facere et peccare in Deum meum? q. d. Magnum flagitium est stuprare uxorem heri, qui omnem curam rei familiaris mihi delegavit, at longe majus delictum esset in Deum. Hoc praecipuum et firmissimum argumentum est, in mundo autem levissimum, qui iram Dei nihil moratur, sed pios valde movet judicium et vindicta Dei. Mundus ad mentionem comminationum et poenarum divinarum effuse ridet, ac plane idem sentit quod latro ille, qui viatorem tunica spoliabat, et cum is clamaret reddendam ei fore rationem hujus injuriae in extremo judicio, respondit latro: Ohe si tanto intervallo abest tempus ultionis, cedo mihi et indusium. Also gehet's, wenn Meister Hans nicht da ist mit dem Strang und Schwerdt. Sed in animis piorum plurimum momenti habet ad fugiendum peccatum cogitatio de vindicta Dei, qui serio irascitur peccatoribus. Sic enim Ioseph cum haberet amplissimam et tutissimam occasionem peccandi, eum gratia et favore dominae ac omnium bonorum, tamen cor et oculos defixos habet in Deum, et sic animum inducit suum, se non obsequuturum cupiditatibus ejus, si vel totius regni opes donaret. Apud Tyrannos vero et homines profanos hoc argumentum nihil valeret, sicut nec ipsa eo movetur, nec finem facit urgendi juvenem, ut morem sibi gerat.

Ait ergo Moses eam locutam esse ad Ioseph die die, hoc est, quotidie; phrasis Hebraea est, quae distributive et universaliter accipi debet, ut in Exodo: Fecerunt tumulum tumulum, hoc est, passim fecerunt tumulos, da ein Haufen, dort ein Haufen, innumerabiles tumulos, et in Ezechiele: Homo homo, der Mensch, jener Mensch, id est, omnis homo universaliter, item virgam virgam etc.

Ad eundem modum fatigavit mulier ista juvenem hac violentissima tentatione singulis diebus; ipse vero non audivit, neque dormire cum ipsa, aut habitare una voluit, sed sejunxit suum cubile, ne noctu ipsi pateret aditus. Id sane summum miraculum est summis laudibus celebrandum, tantam fuisse castitatem in juvene, qui nondum fuerat expertus quid esset muliebris amor, ibi igitur pugnat spiritus libidinis cum spiritu castitatis acerrime, ac in tali occasione et copia peccandi non fuit minus miraculum vincere flammas libidinis, quam quod tres viri ex camino ignis salvi et incolumes evaserunt.

Bernhardus in Canticis invehitur in quosdam religiosos, qui cohabitabant mulierculis, et tamen castitatem prae se ferebant, sicut ante haec tempora sacerdotes sibi adjungebant cognatione aut affinitate junctas, cum quibus caste se posse vivere putabant, et me puero memini sacerdotes non fuisse suspectos de adulterio et fornicatione, tametsi cohabitarent mulierculis, donec postea incestus, adulteria, fornicationes, denique raptus alienarum conjugum impudentissime committerent: adeo crevit nostra memoria petulantia sacrificulorum. Ait igitur Bernhardus: Non potest credi vos caste vivere; habitare enim cum muliere, et eam non cognoscere, plus est quam mortuos excitare.

Loquitur autem de primis illis furoribus eorum, qui flammas libidinis nondum senserunt, illis impossibile est non incendi amore, conjugi vel marito facilius est, qui aliquamdiu junctus fuit mulieri. Quin etiam rarissimus est amor perpetuus et constans in conjugio, sicut Ecclesiasticus inter ea quae Deo pariter et hominibus probata sunt, enumerat virum et uxorem bene inter se consentientes, et Germani quoque tanquam summum bonum praedicant felix conjugium, ei das ist ein gute Ehe; solet enim Satan plerumque spargere semina odiorum et rixarum, quibus distrahuntur animi, ut adulteriis et vagis libidinibus sese polluant. Initio antequam contrahant matrimonium, mutuo fervore inflammati ardent, postquam vero foedus conjugii inierunt, mox adest Diabolus, qui fervorem illum variis modis conatur restinguere; potest enim ex eodem ore et calidum et frigidum efflare, ac quando juventus furit amore et libidine, non est simplex et naturalis amor, sed est halitus Diaboli, sicut inquit Hiob: Halitus ejus pennas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. Inflat igitur in sanguinem meretricis et scortatoris, et vehementissimum ardorem excitat, econtra in conjugum animos inflat frigidum halitum, unde refrigescit fervor ille amoris conjugalis. Hinc illae voces adulterorum et similes natae sunt: Uxor est honestatis nomen, mulier vero voluptatis; in talibus cessat furor mulieris ad virum, et econtra, quia Diabolus spirat a septentrione horribile frigus et gelu. Itaque qui volet ducere uxorem, petat a Deo gratiam habitandi cum muliere, et diligendi se mutuo, ne distrahantur animi, ac quando manet concordia inter conjuges, dafs der Teufel mit seinen Eiszapfen nit

darein kommt, tum est manifesta benedictio et donum divinum.

Bernhardus autem loquitur de non copulatis conjugio, quos magis exercet Satan vagis amoribus et libidinibus, qui nondum quid fellis aut mellis amori insit gustarunt, et plus sperant quam inveniunt postea, quando fiunt voti compotes.

Disputat et Cyprianus adversus ministros ecclesiarum sui temporis, qui etiam cum nudis solebant dormire, et Augustinus narrat fuisse genus quoddam haereticorum, qui ab Abele Abelonitas se nuncupabant; volebant enim exemplo Abelis, qui non fuerat conjunx, caelibem vitam vivere, et tamen cum mulieribus habitabant more conjugali, nisi quod a generatione abstinebant; ubique autem in vicis et pagis conquirebant liberos alienos, quos instituebant haeredes, id viciuis pauperibus pergratum fuisse, et propterea crevisse sectam eorum affirmat Augustinus.

Sed redeo ad textum. Necesse est Ioseph fuisse juvenem excellentis spiritus, non tantum ad ferendum adversa, sed etiam ad vincendas illecebras, et repellendos Satanae impetus, cum a sinistris tum a dextris; non enim semel tantum eum impetivit, sed quotidie violentissimis blanditiis et illecebris fatigavit, itaque rarissimum et incomparabile hoc exemplum est continentiae Ioseph. Sicut Ecclesiastici 42, 14. scriptum est: Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens et mulier confundens in opprobrium, quasi dicat: Tutius est conversari cum viris morosis et malis, quam cum muliere simulante benignitatem et comitatem, praesertim si accedat forma, vehementer enim trahit et accendit animos. Ioseph autem ut vinceret tentationem hanc, magna constantia in conspectu habebat

mandatum Dei, et cum ad furorem herae reprimendum nihil remedii afferri posse videret, summo tamen studio se ab ipsa segregabat, vitabat occasiones conversationis, colloquii et omnem aditum ad se praecludebat.

Contigit ergo quodam die, ut domum veniret Ioseph, ut faceret opus suum, nec esset quispiam ex familiaribus in domo, ibi illa apprehendit eum veste ejus dicens: Dormi mecum. Sed relicta veste sua in manu illius fugit, et egressus est foras.

Vide temeritatem et insaniam mulieris, quae denuo et de improviso impetum in juvenem facit, ut incautum vi et insidiis opprimat, et cogat ad coitum, ideo violenta admodum tentatio est. In Hebraeo autem est: Secundum diem hanc, id quo sit referendum non satis intelligo. Hebraei forte ex traditionibus patrum sumpserunt, quod tradunt, fuisse diem aliquem festum, et dominam morbum simulasse, ne in publicum exeundum esset cum aliis, ipsi vero Ioseph liberum fuisse, abesse a sacrificiis idolorum, ideoque aliis omnibus ad sacra egressis, solum domi mansisse. Et est narratio valde verisimilis: videtur enim studio occasionem et diem idoneum jamdiu inquisivisse, quo remotis arbitris juvenem sive minis sive blanditiis ad stuprum faciendum impelleret. Ioseph vero nihil mali suspicatus, cogitavit se extra periculum esse, decumbente hera, alias non mansisset solus cum ea, sicut antea summo studio consuetudinem ipsius fugerat.

Hera autem nacta opportunum tempus et locum, cogitavit: nunquam hodie effugiet, quin morem mihi gerat, ideo invadit eum securum, neque quidquam

tale metuentem, sed obeuntem operas usitatas, et ruit in complexum ejus, ac certo sibi victoriam pollicetur; sed Spiritus sanctus est fortior: jam enim victus est Diabolus cum flatu suo meridionali, ideo aliunde novam tentationem spirat; fugit enim Ioseph, et relinquit vestem in manu mulieris, unde apparet ipsam totis viribus prehensum eum tenuisse, nec solum osculis, amplexu, suaviis conatam eum flectere, sed etiam vi retinere voluisse, ac minatam esse, nisi obsequeretur sibi, clamore se vicinos omnes concitaturam, ut insidiantem pudicitiae suae indignis modis tractarent.

Haec sane acerrima pugna fuit adversus pessimum ac turpissimum scortum; videt enim violentissima quaeque argumenta, insidias, occasiones et vota et cogitationes ac consilia omnia irrita esse, ideo desperat de expugnatione animi ferrei et adamantini, ac vertitur amor in furorem, ut solet fieri; quando nihil efficiunt blanditiis et delinimentis, aguntur in rabiem, ut eos etiam quorum amore frui non licet, sublatos velint. Sic Agnes cum fortiter restitisset libidini filii praetoris, nec posset ulla ratione ad turpem concubitum adigi, ad idolorum sacrificia eam cogere voluit, quae cum magno animo respuisset, tandem ad supplicium eam rapi curavit: id enim agit Diabolus, ut timorem et reverentiam Dei quibuscunque artibus exstinguat in animis hominum, eosque ad omnis generis scelera impellat. Quod si a dextris pariter et sinistris repellitur, tamen assiduitate nititur defatigare eos quos semel oppugnare coepit, aut ubi vi nihil agit, fraudes et dolos machinatur, quibus diu defatigatum militem tandem prosternat, proinde rursus ad sinistram convertitur, postquam a dextris frustra annixus est. Iam enim periclitatur Ioseph de vita, propterea quod

de adulterio accusabitur; hic nimirum vere sanctus est, qui propter timorem Dei et fidem hero servatam aliasque excellentes virtutes hoc praemium aufert, ut in vincula conjiciatur, paulo post ad supplicium rapiendus. Talis est vita Christianorum et credentium in Deum, ut patiantur propter virtutem, veritatem, pietatem et non propter flagitia.

Cumque vidisset mulier, quod reliquisset vestem suam in manu ejus, fugissetque foras, vocavit domesticos suos et dixit ad eos: En introduxit ad nos virum Hebraeum, ut nobis illuderet, ingressus est ad me, ut coiret mecum, ego vero sublata voce clamavi, cumque is audiret me attollere vocem et clamare, veste sua apud me relicta fugit et egressus est.

Videt meretrix invictam pertinaciam juvenis et vestimentum relictum in manu sua, ideo convertitur ingenium muliebre ad alias artes. Sic enim ratiocinatur: Forte clamabit me ipsum vi voluisse ad concubitum cogere, seque relicto pallio effugisse, id argumentum ego vertam in contrariam formam, ac dicam tentasse eum pudicitiam meam, sed clamore perterritum fugisse, relicto vestimento in manu mea. Haec est pulcherrima rhetorica et potentissima inversio, atque adeo ipsissima Satanae machinatio.

Iam vero conscientia quoque et existimatio ejus coram mundo gravissime periclitatur, nec ea solum fides qua credidit in Dominum Deum, sed etiam qua hero suo fidelissime servivit, moritur, quin et praestantissimae virtutes ejus omnes exolescunt, ac pro istis adulterii hypocrisis et omnis generis scelerum ac-

cusatur, quasi singulari astutia hanc simplicitatem et fidem in officio simularit, ut per occasionem dominae stuprum inferre posset. Ita fert ipse turpitudinem meretricis, qua optima ejus opera foedissime deformantur et conspurgantur veneno illo Diaboli, was er sein Lebtag Guts hat than, das hat er um der Schalkheit willen müssen thun haben, quidquid in hac domo et tota vita sua praeclare gessit, tantum eo fine fecisse dixerunt, ut aditum ad hoc scelus perpetrandum sibi pararet.

Idem Christo usu venit. Cur enim suscitat mortuos, sanat aegrotos et alia miracula facit? Non alio fine, respondent Hannas et Caiphas, quam ut fiat rex, et perdat locum et nos omnes. Tolle, tolle, crucifige, voluit nobis imponere et nos perdere sua hypocrisi, qua stolidum vulgus dementavit hactenus, quin etiam populus ipse postea clamavit: Putabamus eum velle nobis benefacere, sed illis ipsis beneficiis paene nos perdidisset: talis enim hypocrita est Diabolus, qui facit aliquando bona, ut tanto magis noceat, eam vero notam impingit postea operibus piorum, quasi ea etiam quae pie et utiliter gerunt, studio nocendi et evertendi totum orbem terrarum, faciant.

Sicut hodie adversarii nostra bona opera interpretantur: Sunt quidem boni et docti viri, inquiunt, verum non recte consulunt rebus communibus et Ecclesiae Dei, sed magis turbant et impediunt. Proinde clamant nos esse haereticos, et pestilentissimos homines, ut justo titulo persequi, et sanguinem nostrum fundere, atque adeo infernale illud odium adversus nos conceptum explere queant.

Idem in hoc exemplo fieri videmus: vocat mulier domesticos suos et dicit: En introduxit ad nos virum

Hebraeum, et reliquit vestem suam apud me etc. Haec est Diaboli dialectica et rhetorica, et argumentum non probabile tantum et suasorium, sed et dialecticum et necessarium. Concludit enim a necessario: Si reliquit vestimentum, ergo voluit vim facere dominae. Sic ipsa est pudica, casta et sanctissima Lucretia, quia clamat, gemit, ejulat, Ioseph vero impudentissimus moechus, quia fugit abjecta veste, das heisst der Teufel. Sed haec quis queat cavere, nisi Spiritus sanctus, qui non prohibet talia nisi suo tempore, et interdum permittit fieri, ut exerceat suos.

At quomodo tam subito convocavit viros domus, cum soli fuerint Lucretia et Ioseph? Arbitror eos interea dum haec gesta sunt, aut paulo post domum rediisse, aut non clamasse ea hora cum fugeret et egrederetur Ioseph, sed postea cum redirent domestici, ibi finxit eum illo ipso momento aufugisse, cum ante horam aut citius foras se proripuisset, ac dixit: O opportunum et exoptatum vestrum adventum, nisi enim adfuissetis in tempore, actum fuisset de pudicitia et salute mea, modo aufugit me cum veste sua relicta nequissimus ille moechus. - Talis nimirum est astutia muliercularum, et insidiae prorsus diabolicae, sie hats nun dahin gesetzt, sie wöll ihn zu Schanden machen, und ums Leben bringen, ideo congerit in eum omnis generis scelera et flagitia, sicut hactenus, et tum quoque in Ioseph lucebant plurima virtutum pulcherrimarum exempla.

Proponuntur autem haec in Ecclesia a Spiritu sancto in nostram doctrinam, ut discamus credere et timere Deum, postea vero dimicare et stare contra Diabolum impugnantem fidem et pudicitiam nostram, sicut hic oppugnat fidem Ioseph per libidinem; post-

quam enim pudicitia adulterio aut vagis libidinibus violata est, protinus et fides violatur. Stemus itaque pro verbo, proque fide et conscientia bona, cum a dextris tum a sinistris, per bonam et malam famam. Hactenus quidem Ioseph optime audivit propter honestissimos mores, quibus adeo animus dominae mirabiliter accensus est ad libidinem, atque ea quidem parte beatus fuit et felix, omnibusque domesticis gratissimus, nunc vero amissa bona fama cum infamia pessima conflictandum est, da geht er auch hindurch. Neque haec propter ipsum Ioseph scripta sunt, qui nescivit ea unquam a Mose literis mandanda esse, sed nobis proponuntur, ut imitemur exempla pietatis et pudicitiae, atque hoc fine in Ecclesia retinenda, agitanda et discenda sunt.

Postquam vero querelam et accusationem herae audiverunt alii domestici, ibi si qui frugi fuerunt ex servis, haud dubie miserati sunt tam indignum lapsum, aut dominae querimoniam suspectam habuerunt, cum vitam et mores ejus castissimos et vitam innocentissimam probe cognitam haberent, ach dafs ihm die Frau nur mit Unrecht thät, haben sie gedacht, verisimile enim est, eum multos recte de Deo et cultibus divinis docuisse, adeoque abduxisse ab idolatria et aliis peccatis, horum alii deplorarunt miserabilem casum, alii vero scandalisati sunt, hat der Schalk das im Sinn gehabt? Talia offendicula haud dubie accesserunt: Quis enim possit ea prohibere? sicut virulentissimas calumnias et mendacia Cochlaei et Fabri cavere non possumus, quin aut Romam, aut ad Caesarem ipsum missis literis nos et doctrinam nostram proscindant, quasi seditiosa et turbulenta sit. Christus ipse crucifigitur, ut latro. Sic optimus et prae-

stantissimus doctor, qui in hac domo multos ad pietatem et pudicitiam magna laude erudiit, suo exemplo totam familiam gravissime offendit, adeo ut et doctrina et exhortatio cum omnibus fructibus pereat, sicut et virtutes ejus omnes per falsos rumores sparsos a domina subito exoleverunt.

Est potentissimum scandalum, ac tanto quidem atrocius, quanto ille qui lapsus est major et praestantior fuit. Das martyrium thut trefflich wehe supra primum martyrium quod satis atrox fuit, cum abduceretur a parentibus, venderetur hominibus ignotis et idolatris in perpetuam servitutem, sed erexit tamen sese sua virtute ac pudicitia, er hat sich wieder aufgeraift, et paravit sibi egregium nomen et laudem in tota familia; verum ea quoque jam intercidit, atque occiditur ipse in spiritu, et moriuntur cum eo pulcherrima exempla virtutum; en magistrum nostrum improbum, dixerunt, quomodo pietatem et honestam morum gubernationem nos doceret, cum ipse sit pessimus nebulo? O das sind rechte passiones, die thun sehr wehe.

De his queritur Christus ipse Psal. 109, 2. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi etc. Sic enim solent hostes veritatis obscurare, traducere et corrumpere fructus et incrementa Evangelii ac salutis apud auditores simplices et pios. Harum calumniarum optimi artifices sunt Eccius, Cochlaeus, Piggius et alii multi, qui se ornant falsis et fucatis laudibus, nos vero diffamant, ut alienis a nostra doctrina magis invisos nos reddant. Itaque quod pulcherrimum et optimum erat ad conciliandos animos simplicium, hoc ipsi surripiunt, nimirum favorem et benevolentiam hominum,

quo possemus multos lucrari et erudire per verbum, wir müssen stinken auf dafs sie schon sind, sed disperdet tandem Deus universa labia dolosa et linguam magniloquam; sicut Eccius nuper dignum factis et dictis exitum invenit, cum sine agnitione et invocatione Dei, mente mota miserabiliter periit, idem exitus manet reliquos quoque.

Sic igitur ad accusationem adulterae et homicidae accesserunt etiam varia et iniqua judicia domesticorum, quamquam Ioseph ne suspicari quidem de hera sua potuit tanta rabie et furore eam concitatam iri, speravit se clam recepturum vestem, et ipsam posse placari, nescit eam ardere odio sui, ac sitire innocentissimum sanguinem.

Si quis tamen sensus fuisset in domesticis, paulo diligentius querelam et accusationem mulieris examinassent, neque verisimilem aut consentaneam esse, sed in ipsam potius retorqueri argumenta posse deprehendissent; non enim credibile erat, totam familiam domo abfuisse, nisi consulto a domina alio ablegata esset, ut soli cum juvene solo esse liceret, aut si casu, aut temeritate potius Ioseph accidisset, ut solus ipse domi se contineret, et animo stuprandi venisset in cubiculum, etiam per vim inferre stuprum repugnanti et frustra luctanti potuisset; sicut Lucretiam violatam esse historia Romana testatur, et in Deutero. 22, 25. scriptum est de puella per vim oppressa in agro: nihil patietur, nec rea est mortis, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est; sola erat in agro, clamavit, et nullus adfuit qui liberaret eam, libido enim furore permixta perrumpit et vincit facillime.

Si habuisset igitur patronum Ioseph, arguisset heram mendacii inversis argumentis et signis quae adfert ipsa: si enim ei vim intulisset aut unquàm in animum suum id induxisset, nequaquam pallium reliquisset, ne adulterium prodi, aut de vi illata convinci ullo signo posset, itaque ex ipsa narratione liquet mulierem nocentem, Ioseph vero innocentem esse; deinde in hera non fuisset tantum virium, ut eriperet et servaret vestem.

Significat autem Moses singulare consilium Ioseph, quod maluit fuga sibi consulere, quam luctari cum adultera, ipsa enim haud dubie, quibus potuit blanditiis, osculis et aliis delinimentis conata est eum retinere et flectere. Iam vero difficile certamen est adolescenti cum muliere formosa; magna igitur constantia et sapientissimum consilium fuit, quod cogitavit satius esse aufugere, quam luctari cum lasciva et blanda domina. Adolescentia enim per se in Venerem et libidinem praeceps est, et accedit Diabolus, qui facit ardere prunas suo halitu et blanditiis muliebribus, ideo optimum remedium est fuga, sicut inquit Paulus: Fugite fornicationem. Praestat vitare consuetudinem earum, quam pugnare, atque haec quoque, si cui tum in mentem venissent, magnopere fecissent ad Ioseph excusandum et dominam accusandam.

Porro et mendacia miscet querelae, cum ait se clamasse, quod ab ea confictum esse omnibus liquet. Sic nullum peccatum solum est, sed semper aliud secum trahit, idque in omnibus lapsibus solet accidere: qui non statim resurgit et resipiscit, mox in aliam tentationem prolabitur; post libidinis et adulterii scelus illico mendacium sequitur, postea homicidium et effusio innocentis sanguinis, et tandem etiam desperatio, so

gehts mit den Ketzern auch, Niemand wird ein Ketzer propter unum articulum, ergreift der Teufel einen in uno, so müssen ihr mehr kummen, sic non exsistunt haeretici propter unum tantum articulum, sed cum in uno aberrarunt a vera sententia dementati a Diabolo, etiam in aliis pluribus hallucinantur. Ita in adulteris multa peccata concurrunt, mendacia, furta, caedes et similia. Narratio igitur adulterae hujus non solum frigida, et sibi ipsi contraria est, sed etiam ficta et falsa.

Et deposuit vestem ejus apud sese, donec veniret herus ejus domum.

Moses significanti verbo hoc loco usus est, quod et Exodi 20, 11. usurpatur נוח requievit Dominus die septimo, vult dicere eam diligenter custodivisse vestem, ne quisquam tangeret aut removeret; ac significatur affectus, quod delectata fuerit homicidio futuro, nec potuerit animo acquiescere, donec post stupri spem praecisam occideret Ioseph.

Tunc locuta est ad eum hisce verbis: Venit ad me servus Hebraeus, quem adduxisti nobis ut illuderet mihi. Cum vero sustulissem vocem meam et clamarem, relicta veste sua apud me, fugit foras.

Valde odiose et contumeliose loquitur scortum, ut sese ornet et adolescenti odium conciliet, ideo mirabili ac diabolica prorsus dialectica et eloquentia utitur ad exaggerandum et aggravandum peccatum, cujus falso eum insimulat. Ille servus tuus, inquit, quem tu tanti fecisti, Hebraeus, quem adduxisti nobis. q. d. Nos praeterea Aegyptios servos habemus, a quibus nullam un-

quam tantum scelus designatum est, peregrinus iste, qui non est dignus ut nobiscum vivat, ejectus et venditus a suis popularibus, tam indignum facinus ausus est. Ita sumitur amplificatio a nomine et patria, Israelitae enim apud gentes in maximo odio fuerunt, perinde ut Christiani.

Deinde a sua persona argumentatur: Si Aegyptius aliquis aut Hebraeus iste vicinam aut ancillam violasset, facilius ignoscerem, et minus esset contumeliae, sed pudicitiam uxoris et dominae tentare, ingens et inexpiabile scelus est, ideo emphasis est in vocabulo mihi. An non indignum est tantam dominam hac ignominia affici, quae in hoc toto regno castissima Lucretia et exemplum pudicitiae fui aliis matronis? Atque in te adeo haec culpa redundat, quod tam temere peregrino huic fidem habuisti, eique universam rem domesticam et pudicitiam uxoris credidisti; auspicari sane libet te pluris fecisse Hebraeum illum, cujus flagitia forte tibi non fuerunt ignota, quam me: adeone contempta et despecta tibi sum, ut non veritus sis commendare me servo tam futili et impudico, nulla ratione salutis et pudicitiae meae habita? Ausculta vero quantopere sudaverim: non erat in me tantum roboris, ut vi eum superare et ejicere possem, sed clamore sublato perterritus est, et relicta veste in manu mea aufugit.

Haec est accusatio, qua audita non potuit non excandescere maritus, nihil enim intolerabilius est, quam audire vim illatam esse uxori, da wallet Fleisch und Blut, ideo non deliberare nec statuere ratio potest, ut altera pars quoque audiatur et examinetur, quod certe debuisset fieri. Non enim caret suspicione, quod vestem alienam exhibet, ac potuisset quaeri quis

ea exuisset juvenem, et quamquam fucum facere voluisset ipsum abjecisse eam, ut ad fugam esset expeditior, tamen si singula diligentius excussisset et adolescentem ad se accersitum jussisset respondere, egregiam defensionem potuisset opponere; postremo nequaquam aufugisset si vim inferre cogitasset, clamorem vero facile compescuisset, sicut Tarquinius ad Lucretiam inquit: Ferrum in manu est, moriere si emiseris vocem; sed vincitur Potiphar maritali affectu et rei indignitate, ne inquirat diligentius in singulas circumstantias.

Audiens vero dominus ejus verba uxoris suae, quae ad illum erat loquuta: Nempe sic fecit mihi servus tuus, excanduit ira ejus.

Non audit adolescentis, sed uxoris verba, ideo vincit ipsa et incendit animum mariti justa, ut videbatur, ira et indignatione. At ubi nunc Deus, ubi promissiones illae amplissimae, quod diligat, conservet, custodiat Sanctos tanquam pupillam oculi sui, quod faciat misericordiam in millia his, qui diligunt eum? Iam enim deseritur Ioseph, et orbatur omni praesidio et consolatione: primum avulsus fuit a parentibus, et abductus in servitutem hominum peregrinorum et idolatrarum. Quae est ista dilectio? Postea sensit aliquam levationem, quando herus tradidit omnia in manu ejus, sed post illam recreationem longe gravius et miserabilius concidit, quam antea unquam, rapitur enim ad supplicium tanquam adulter, et moritur turpissima morte, propterea quod optima fama, qua apud herum et familiam gratiosus fuerat, et laudem justitiae, san-

ctitatis, castitatis, prudentiae invenerat, cum ipso exstinguitur.

Haec profecto maxima et gravissima crux est, ac indigna sane merces, quae pro officiis tredecim annorum quibus servivit fidelissime, ei redditur: non solum labores, sed et virtutes ejus supplicio ac morte turpissima compensantur. Nun diene der Welt wer dienen will, aber es gehört kein Diener in die Welt, denn der Teufel und sein Mutter. Ioseph facultates et domum heri sui officiosissime et fidelissime administravit, sed pessimam ei gratiam refert meretrix ista: non igitur aliud ullum praemium a mundo exspectent Sancti, nec cogitent propter ipsum sibi fidem et assiduitatem in officio praestandam esse; neque enim dignus est, ut vel uno digitulo ei serviant, sed potius ut Diabolus cum omnibus angelis suis ipsi dominetur, quod certe facit horribiliter, verum ut Paulus ait: Creatura subjecta est vanitati, propter eum autem qui subjecit, servimus, docemus, admonemus, patimur, consolamur et facimus ea quae a Deo mandata sunt magna ex parte indignis, ubi nihil lucramur nostris officiis, quam odium, invidiam, exilium, ac tota vita nostra nihil aliud est, quam perditio beneficiorum.

Nunquam igitur sperabis fore, ut mundus tuam fidem et diligentiam agnoscat et remuneret, quia contrarium facit, sicut hoc exemplum testatur. Ideo propone servitutis et vitae tuae alium finem, quam gratiam mundi, quae subito in furiam vertitur et cogita: Si fuero pastor aut rector studiorum juventutis, aut alio quocunque loco, faciam diligenter officium, non quod praemium aliquod exspectem ab his quibus inservio, simpliciter enim omnem spem gratitudinis abjicio, sed imitabor benignitatem patris mei coelestis, qui di-

spergit bona sua, dat aurum, argentum, fruges, pacem, bonam valetudinem etiam ingratis et pessimis hominibus, ac memor ero admonitionis Christi, qui ait: Estote ergo perfecti, sicut pater vester coelestis perfectus est, hoc est, servite etiam malis, indignis, ingratis, non tantum dignis, gratis et bonis, erunt tamen pauci aliqui, qui agnoscent, et gratias agent, reliqui etiam vitae tuae insidiabuntur, sicut docet exemplum Ioseph quid exspectandum sit pro summis beneficiis, nimirum vincula et carcer.

Sic hodie multi qui initio immenso studio et amore Evangelii flagrabant, nunc infensissime et doctrinam et professores ejus oderunt. Ad hunc igitur modum instituenda erit vita, ut ad hunc eventum et fructus laborum nostrorum nos praeparemus, ac si quid praeter spem evenerit, omne id in lucro deputemus. Tu non mutabis mundum, sed sic dices: Ich mufs hindurch, quia non propter ingratum mundum, sed propter Deum hanc provinciam suscepi. Sicut vitis praebet vinum magna copia et suavitate etiam pessimis hominibus, ita et nos cum filii Dei simus, imitemur patris nostri clementiam ac benignitatem, et aliarum quoque creaturarum exempla, nec feramus impatienter ingratitudinem hanc, siquidem divinitus in hanc vitam et stationem nati et positi sumus, ut serviamus mundo, et colligamus electos ad salutem aeternam. Si qui boni sunt, qui nostra officia agnoscunt, est quod gratulemur nobis, sin major pars maledicit, damnat, occidit nos, sciamus hanc esse mercedem nostram, et in hoc conformes fieri debere filio Dei, et omnibus Sanctis, qui pro summis beneficiis extremam ingratitudinem hominum experti sunt.

Tollensque herus Ioseph conjecit eum in carcerem, in eum locum ubi vincti regis conclusi tenebantur, et Ioseph fuit illic in carcere.

Da hat er sein Lohn. Conjicitur Ioseph in carcerem, non ut bene ibi habeat, sed ut exspectet diem judicii et poenae constitutae in adulteros, cogitavit enim herus eum vinculis et supplicio excruciatum enecare; itaque jam moritur miserabili fato, et in causa turpissima, quasi adulterio et libidine foedissima totam domum polluerit, cujus antea columen et salus fuerat habitus.

Ubi igitur nunc est Deus Ioseph, qui liberet eum et eripiat? cur ipsum deserit? Respondeo: Non deserit, sed exercet eum in exemplum et consolationem omnium Sanctorum, ut discamus perseverare, sperare et credere in Dominum (es gerath wie es wöll) in multa patientia, in afflictionibus, in necessitatibus, per gloriam et ignominiam, per convicia et laudes, sicut monet Paulus 2 Cor. 6, 8. Certum enim est Ecclesiam et Angelos Dei nos honorare, hoc sufficiat nobis, nec frangamur animis, si Diabolus et mundus proscindit nos mendaciis et calumniis, aut prorsus occidit et perdit, tamen Deus apertis oculis intuetur afflictionem nostram, arridet et delectatur virtute et victoria in nostris tribulationibus.

Itaque certo scire et statuere debemus Deum non irasci nobis, quando affligimur, sic enim Ioseph quoque cogitavit: Hic carcer quidem et confusio et opprobrium carni meae permolesta sunt, sed respiciam ego in promissiones quas audivi, et exempla quae vidi, atque illis fretus exspectabo auxilium a Domino.

Nam in extremum discrimen adductus est, es kann nun nicht ärger mit ihm werden. Praeter superiora mala nunc etiam violenta morte perit, ideo verus martyr est; quia hera nihil aliud spirat quam caedem, et ipse in carcerem conjicitur, ac certo persuasum habet, sibi in eo pereundum esse, erat enim custodia maleficorum, qui supplicio afficiendi erant, sicut ex eo postea princeps pistorum educetur, et agetur in crucem. Igitur veri martyris instar fudit sanguinem propter meretricem, sicut Baptista propter Herodiadem. Iam sublatus est de terra viventium suo et aliorum judicio ac sensu, atque ibi sane pretiosissimum sacrificium in conspectu Dei et Angelorum obtulit, wie sollen sich die Engel gefreuet haben? Pater vero interea domi luctu et lacrimis consumitur, dum filius hic in horas supplicium exspectat.

Agnoscenda autem est benignitas et potentia Dei, qui suscitat mortuos, et vivificat damnatos, idque hoc exemplo docere voluit, qualis esset ipse, et quomodo coli velit, nimirum sustinendo et exspectando, sicut passim monet scriptura: Exspecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum etc. item: Veniens veniet, et non tardabit. Deinde commiserationem aliquorum saltem ex familia, et qualiacunque officia, quibus gravissimam crucem Ioseph mitigare studuerunt accessisse puto, et paulo post audiemus custodem carceris ipsum dilexisse, unde apparet non omnes fidem habuisse querelae et accusationi dominae.

Etsi igitur nondum omnino liberatus est, tamen non caruit respiratione, et sequitur pulcherrimus textus, qui testatur Deum etiam in carcerem et vincula, ac mortem foedissimam defixos oculos habere, tanquam in solem clarissimum. Infernus, mors, et per-

ditio patent coram Domino, et nihil est obscurum aut mortuum in conspectu ipsius. Coram mundo quidem Ioseph est damnatus, sed longe aliud judicium Dei est, quam hominum, quamquam nec Ioseph, nec alii Sancti sentiant beneficium divinae inspectionis in tentatione. Si enim certo statueremus Christum esse episcopum animarum nostrarum, ac singuli sic affecti essemus; Scio Dominum mundi, creatorem omnium rerum, et victorem Diaboli esse inspectorem animae meae, et respicere in meam mortem ac totum infernum, profecto quidvis perpeti, ac victores evadere omnium afflictionum possemus.

Utitur autem Moses repetitione: Et fuit Ioseph illic in carcere, ut significet adempta ei fuisse omnia praesidia, omnem spem et consolationem, neque quemquam fuisse, qui ejus curam ageret, itaque nihil aliud in Ioseph cernere licet, quam mortem et perditionem vitae, famae et virtutum omnium, quas in eo paulo ante tota familia suspiciebat et mirabatur. Da kommt nun Christus, und leucht in die Höll hinein mit gnädigen Augen.

Fuit autem Dominus cum Ioseph, et inclinavit ad eum misericordiam, et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris, qui tradidit in manu ejus universos vinctos, qui in custodia tenebantur, et quaecunque erant facienda ipse faciebat. Nec quidquam noverat praefectus carceris in manu sua, Dominus enim erat cum illo, et quidquid faciebat ipse, fortunabat.

Christus episcopus animarum, et inspector inferni et mortis solus cernit, solus curat Ioseph, ac gaudet

sibi offerri tam pulchrum sacrificium. Quando igitur omnia desperata videntur, neque quidquam subsidii aut solatii reliquum est, ibi incipit Domini auxilium, qui dicit: Eu adsum Ioseph, sufficiat tibi mea inspectio. Itaque plenus est hic textus consolationis et laetitiae: (fuit Dominus cum Ioseph) etsi enim nondum liberatur, tamen jam cogitat Deus de resuscitando eo ex morte et inferno, postquam sanguis ipsius satis clamavit in coelum, et effecit ut Dominus fieret episcopus animae ejus, et inclinaret ad eum misericordiam.

חֶסֶד, hoc est, beneficium, donum, gratia, misericordia, non est חֵבֶן, sed חָסִיד, unde חָסִיד. Paulus exponit beneficium 1. Timoth. 6, 2. qui beneficii participes sunt. Non solum favorem aut gratiam significat, sed etiam donum Spiritus sancti, gratia enim sola non sentitur, sed oportet accedere donum. Dedit ei Christus Spiritum sanctum in carcere, spiritum veritatis, qui eum sustentavit in morte, turpitudine et confusione, et inspiravit ipsi hunc sensum: Noli timere, confortetur cor tuum, sustine Dominum.

Haec est totalis et maxima consolatio, quod Deus respicit et inclinat ad ipsum donum suum, hoc est, inspirat spiritum fortitudinis, consilii, macht ein festen starken, lebendigen Heiligen aus ihm, vivificat enim in media morte, mortificat in ipsa damnatione, ut cor ejus possit statuere: Utut saeviat in me herus, tamen non moriar, virtus et fama mea non peribit. Haec loquitur חֶסֶד sive Spiritus in cor ejus, ut non habeat cogitationes inferni aut mortis, sed vitae et tranquillitatis.

Ita vivificatur et resuscitatur spiritu; jam enim scortum illud pessimum mendaciis suis vitam ipsi eripuerat, ac conscientiam ejus horribiliter perturbaverat,

cum videret se tantae turpitudinis reum agi et damnari, ubi et in suis et aliorum oculis ac sensu mortuus est, atque omnium bonorum judicia et opinionem de se honestam amisit. Nunc rursus conscientia dilatatur et exhilaratur, loquitur enim ei Deus ad cor, hoc est, blande et suaviter: Sufficit tibi gratia mea, do tibi spiritum meum ne pereas, will dir ein fröhlich Herz geben, dafs du könnest bestehen, atque haec prima consolatio fuit, cum intus exhilarata est conscientia, et reddita tranquilla et sanata, ac vita et salus ipsa restituta est.

Altera est externa: Dominus dedit gratiam vel favorem, et est passivus favor, hoc est, fecit eum gratiosum in oculis praefecti carceris, qui singularem indolem in hoc adolescente animadvertit, quia donum Spiritus sancti quando datur hominibus etiam foris lucet, ut conspiciatur gratia illa in vultu, verbis, ore, gestibus; itaque aliis qui in eadem custodia tenebantur gementibus, ejulantibus, frementibus, solus ipse praesenti animo fuit, docuit, consolatus est reliquos, tametsi in eodem periculo esset, tamen non aliter se gessit, ac si esset liberrimus, ac de liberatione certissimus.

Illam constantiam et magnitudinem animi miratus est praefectus, hat dacht, es mufs etwas sonderlichs mit ihm sein, et ex eo quaesivit ob quam noxam in vincula esset conjectus, ibi rem ordine exposuit, et suam innocentiam facile probavit; itaque invenit gratiam apud eum, ut tormenta mitigaret: non est amplius subjectus scorto, sed nactus est dominum, qui habet quidem potestatem supplicio eum afficiendi, sed ex verbis et vultu colligit esse ipsum falso delatum apud herum, et Spiritus sanctus facit, ut sit gratio-

sua loquendo, exhortando, consolando, ideo committit ipsi praefectus totam suam provinciam, sicut antea Potiphar omnem administrationem rei familiaris ei demandaverat.

Fuit vero praefectus ille supremus judex, et potestatem habuit puniendi sontes, quem veteres Germani vocarunt ein Grimwalt, hoc est potestatem irae, et cum videret juvenem eruditum in sermone, hilari facie ac singulari indole praeditum, cogitavit de differendo judicio, ac eo prorsus liberando, ideoque eum reliquis vinctis in carcere praefecit; also mufs Joseph ein Herr werden, wenn er schon in die Höll käm, ita necesse fuit Ioseph dominari, etiamsi in infernum descendisset, oportuit enim respondere eventum somnii, quod promittebat ipsi adorationem parentum et fratrum; itaque imperat aliis non tantum in servitute apud Potipharem, sed etiam vinctus in carcere, siquidem commissa ei fuit administratio gladii ac judiciorum in sontes, adeo ut omnia quae judici facienda essent, ipse faceret, vinctis curaret cibum, dijudicaret controversias litigantium, absolveret insontes et nocentes puniret, kurzum er mufs dominus sein.

Magna vero laude hoc munus obiit, ita ut princeps carceris non exigeret ab eo rationem gubernationis, dedit ei plenam et liberrimam potestatem omnium rerum; ideo inquit Moses: Nec quidquam noverat praefectus carceris in manu sua, hoc est, quidquid in manu aut potestate judicis erat, hoc totum committebat Ioseph, ac constituebat eum summum judicem; nihil noverat, inquit, in manu sua, ut supra de Potiphare dictum est, hoc est, nihil curabat eorum quae ad suum officium pertinebant, quia habebat vicarium valde sedulum et fidelem. Ad hunc igitur mo-

dum revocatus est sanctissimus martyr Ioseph ex morte in vitam, ac post resuscitationem ascendet etiam in coelum, et constituetur dominus Aegypti.

Atque haec est ratio gubernationis Sanctorum usitata Deo, diligenter itaque observandum est exemplum hujus juvenis plenum omni genere virtutum et pietatis in quo apparet, quomodo Deus dilectissimam et pretiosissimam gemmam hanc sculpserit et formaverit, atque adeo suavissimum sacrificium in eo mactando peregerit. Nam hoc fine proponuntur ista ecclesiae Dei et conscientiis piorum, ut intelligere discant quomodo se habeant consilia et opera Dei: sic nimirum, ut ad Mosen dixit: „Faciem meam non poteris videre, posteriora autem videbis." et Hagar supra 16, 13.: „Vidi posteriora videntis me." Da wird nicht anders aus.

Initium operationis divinae hoc est, quod avertit faciem suam, nec videtur esse Deus, sed Diabolus, sic in praesenti historia facies ejus conversa est ad meretricem et tyrannum, hos solos fovet neglecto Ioseph, sicut Jeremias quoque queritur: Prope es tu ori eorum, ideo jactitant Deum sibi adesse propitium et faventem, hie wohnet Gott, schreien sie; sed Ioseph, Iacob, Abraham non habent in se conversam hanc faciem, da heifsts, hie wohnt der Teufel, faciem meam non videbis etc., quia sic consuevit Deus ducere et gubernare suos, sicut in cantico Habacuc describitur: Semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscuntur, item Jesaiae 36: Et erunt oculi tui videntes praeceptorem tuum, et aures tuae audient verbum post tergum monentis, et Christus ad Petrum inquit: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea; du willt mir in faciem sehen, vis me facere quod tibi commodum et bonum videtur, verum sic agam

ut videatur tibi fatuus aliquis haec fecisse, non Deus, du sollt mir in Rücken sehen, nicht in das Angesicht; non debes videre opera et consilia mea quibus te fingo et refingo in beneplacitum meum, es soll dich närrisch dünken, non aliter ea accipies et intelliges, ac si essent mors et Diabolus ipse.

Discamus igitur hanc regulam et ordinem gubernationis Sanctorum usitatum Deo, nam et ego saepe certas rationes conatus sum Deo praescribere, quibus uteretur in administratione sive Ecclesiae sive aliarum rerum: ah Domine, dixi, hoc velim ita fieri hoc ordine, hoc eventu, etc., sed Deus prorsus contrarium faciebat ab eo quod petiveram; ibi tum cogitabam: Atqui meum consilium non est alienum a gloria Dei, sed plurimum faciet ad sanctificandum nomen, colligendum et augendum regnum tuum, ad notitiam verbi propagandam, breviter pulcherrimum est et optime cogitatum; sed risit haud dubie Dominus hanc sapientiam, ac dixit: Age vero novi te esse prudentem et eruditum, sed mihi nunquam hic mos fuit, ut aut Petrus, aut D. Martinus, aut quivis alius me doceret, formaret, gubernaret, duceret, non sum Deus passivus, sed activus, qui consuevit ducere, regere, formare.

At vero molestum admodum est, quod sapientia mea tantum est passiva, et quod eam mortificare et occidere jubeor, ac propterea sane multi horribiliter lapsi sunt, cum hanc mortificationem non possent ferre. Sic enim Sacramentarii bellissime docent Deum: Quomodo possit corpus Christi in pane et vino esse, cum ascenderit Christus in coelum? dum sic cogitant: Quia non possum ego comprehendere praesentiam cor-

poris et sanguinis in coena Dominica, ideo praescribam Deo rationem quandam qua possit adesse.

Sic scilicet in ordinem et disciplinam suam eum redigunt, volunt ei tribuere locum in coelo, et nesciunt tamen quid aut ubi sit coelum. Quin potius oculos claudis et aures, ac audis verbum, et audito eo acquiescis? Sicut dicitur psalmo 37, 7. Subditus esto Deo, et formare ei, non formes eum, so gehets recht hinaus, tum Deus multo plura largitur, quam nos nostris consiliis et sapientia possimus praestare. Si fanatici clauderent oculos et aures, et sic statuerent: En sumam panem et vinum, et credam me manducare corpus, et bibere sanguinem Christi realiter, facillime errore suo liberarentur, sed quia metiuntur verba Christi ratione mathematica, et disputant de coelo et terra, ideo veram et propriam vim verborum Christi nunquam assequuntur, caeco rationis judicio dementati.

Claude igitur oculos, et evanescent omnes disputationes de coelo et terra, imo ut ante sex millia annorum nihil fuerunt, ita nunc clausis oculis quasi in nihilum redacta, non amplius obstabunt fidei et verbis Christi; id enim verbum quod condidit omnia conferendum est ad creaturam, quae illius comparatione prorsus nihil est.

Ipse dixit et facta sunt, inquit Psalmus 148, 5. Hic mos Dei est perpetuus et admirandus, ut ex nihilo faciat omnia, et rursus omnia redigat in nihilum, ad hunc morem assuescendum, verboque adhaerendum est, ut ea quae turbant et impediunt fidem quantumvis magna et speciosa ex oculis removeantur.

Si Ioseph dixisset: Domine Deus sinas me cum patre meo vivere in Hebron, aut fremuisset adversus

Deum, propter injustam accusationem et captivitatem, ac Deus votis ejus satisfecisset, ne dederetur in servitutem, neve in vincula conjiceretur, juxta sapientiam rationis ipsius, quae aegre hanc obedientiam Deo praestat, nunquam ad tantum dignitatis gradum evectus esset, sed cum plenus esset Spiritu sancto, patienter tulit voluntatem Domini, donec tandem exaltaretur, non tantum in suam consolationem et gloriam, sed et salutem temporalem ac spiritualem Aegypti, cujus salutare organum fit per has aerumnas et carcerem, quia spectavit posteriora, et exspectavit, donec se revelaret et ostenderet Deus salutare suum longe uberius et magnificentius, quam ipse unquam ausus fuisset petere aut sperare. Itaque sapientia nostra vere stulta est, et nos non solum stulti, sed ipsa etiam stultitia sumus.

Proponuntur vero haec exempla ad erudiendos et confirmandos nos, ut discamus fidem et spem in Dominum: fides autem non est apparentium, sed invisibilium, sicut Ioseph credit in Dominum quem non videt, et sperat se gratiam ejus habere, quam etiam non cernit, sed contraria omnia sibi objici sentit, et tamen quod credidit et speravit accipit.

Hactenus ergo ut caecus ambulavit in densissimis tenebris, neque Deum neque patrem, neque aliud quidquam, nisi et mortem et perditionem vidit, mansit autem in verbo illo quod a patre audierat: Ego sum Dominus Deus tuus, et patrum tuorum; hoc verbum fuit ipsius vita, et ex ea postea ad immensam gloriam et dignitatem evehetur.

Hoc nimirum exemplum est operum Dei, quod ostendit quomodo Deus mirificat Sanctos suos, ut discant in tentationibus patientiam in fide et spe, quam-

quam spes revera est ipsa patientia, quia vita nostra debet esse abscondita. Es soll heifsen, thu die Augen zu, claude oculos et sustenta te verbo, non tantum in periculis et certaminibus, sed etiam in summis articulis doctrinae Christianae.

QUADRAGESIMUM CAPUT GENESIS.

His itaque gestis accidit ut regis Aegyptii pincerna et pistor peccarent adversus dominum suum regem Aegypti, iratusque est Pharao adversus duos praefectos, nempe adversus praefectum pincernarum, et adversus praefectum pistorum, et conjecit eos in carcerem, in domum principis laniorum, in illum locum, in quo Ioseph vinctus tenebatur; et praefecit princeps laniorum illis Ioseph, qui et ministrabat eis, fueruntque aliquot dies in carcere.

Hoc caput nihil admodum habet cui oporteat nos immorari. Continet enim tantum occasionem exaltandi Ioseph, et revelandi faciem Dei. Supra de principe laniorum diximus, quamquam non satis constat quae fuerit ratio politiae et oeconomiae Aegyptiae; meo quidem judicio hic princeps praefuit omnibus, qui soliti sunt mactare pecudes, sive in toto regno, sive in civitate hac sola; fuit ei demandata inspectio mactationum, vel ad sacros vel ad quotidianos et domesti-

cos usus, dedit mandata laniis de vendendis carnibus, de saginandis pecudibus ad sacrificia; nos vocamus ein Marschall oder Hofmeister. Fuit is dominus Ioseph, ut ex superioribus patet, qui emit eum, et in vincula conjecit.

Hic vero aliorum quoque officiorum mentio fit, nec puto vulgares pincernas aut pistores, sed pistorum et pincernarum omnium principes fuisse et praefectos, ac talibus sane haec quoque urbs admodum opus habebat, ne pistores, oenopolae et lanii nos tam crudeliter excarnificent et mactent magis sane quam pecudes: non enim certis legibus et ordinationibus utuntur, sed pro libitu laniant, coquunt, pinsunt, itaque optime constitutum fuisse regnum Aegypti necesse est. In Iure etiam episcopi panum, hoc est inspectoris pistorum mentio fit, et in Repub. Noribergensi talium officiorum administrationes laudatissimae habentur.

Arbitror autem praefectum pincernarum fuisse antea regium pocillatorem in aula, alterum vero panes et placentas in regis et aulae usum pinsuisse, ist der oberst Schenk, und oberst Bäcker gewesen, sicut dominus Ioseph fuit princeps laniorum et episcopus carnium.

Illi vero ambo deliquerunt adversus regem, sed peccatum eorum non indicatur a Mose. Lyra ex Iudaeorum commentis recitat pincernam eo peccasse, quod musca in regium poculum ceciderit, pistor autem attulerit placentas, in quibus rex invenerit arenulas. Haec sunt somnia Iudaeis digna, qui gentes rident et prae se contemnunt, suam sapientiam et sanctitatem tantum jactantes.

Colligi autem ex textu potest fuisse gravissima peccata, siquidem alter ob suum scelus supplicio affi-

citur, forsitan venenum miscuerunt regi; neque enim stolidus aut crudelis fuit, qui ob tam levem noxam in ministros suos adeo atrociter saeviret, sed existimo fuisse sapientem et bonum, praesertim cum hac gloria eum ornet Deus, ut tantum Patriarcham Ioseph ad ipsum mittat, qui facit miracula; videtur igitur bonus et clemens princeps fuisse, ac tales facile contemnuntur, et pro fatuis habentur ab aulicis, ut sibi omnia licere putent, ideo opinor eos insidias vitae regis struxisse, quibus deprehensis in carcerem conjiciuntur, quo detinebantur sontes capitali poena afficiendi.

Porro hinc apparet dominum Ioseph principem illum laniorum etiam carceri praefectum fuisse, tanquam supremum judicem, qui haberet vinctos in sua potestate, jamque nonnihil mitior factus est. In praecedenti capite meminit Moses alterius praefecti vinctorum, hic vero videmus dominum, qui emit Ioseph, etiam a rege constitutum fuisse principem carceris, et hunc ignovisse et donasse ipsi vitam inde liquet, quod praefecit eum reliquis captivis. Videtur a priore principe reconciliatus esse hero suo, qui dixit: Est optimus adolescens, parce ei, nec eripias ipsi vitam, poterit enim hominis tam diligentis et fidelis magnus usus esse.

Haec admiranda Dei opera agnoscenda sunt et praedicanda, convertit enim etiam eos qui sunt inimici ad pacem, quando placent ipsi viae viri, qui credit in eum, aut si non omnes, tamen aliqui convertuntur. Haec benevolentia et gratia heri inde orta est, quia ut supra dictum est, Dominus erat cum Ioseph, sicut scriptum est in libro sapientiae 10, 13. „Sapientia venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non

dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant etc." Ac valde mihi placet hic locus, quod tribuit sapientiae gubernationem et custodiam Ioseph. Dominus ille qui est sapientia, hoc est, filius Dei incarnandus, fuit cum eo, quia Salomo etiam in proverbiis haud dubie filium in divinis vocat sapientiam, et nos quoque docemus ex Paulo, Christum duxisse populum Israeliticum ex Aegypto.

Adest igitur sapientia filius Dei futurus homo ipsi Ioseph in carcere, et impetrat ei veniam donec extollatur. Haec sunt opera divina, quae nos debebant erudire ad retinendam patientiam et fidem in omni genere tentationum, ne sinamus nobis eripi verbum neque speculative neque practice.

Somniaverunt vero uterque pincerna et pistor regis Aegyptii somnium, eadem nocte, quisque suum somnium, et utriusque somnium habebat suam interpretationem; ad quos cum introiisset Ioseph mane, et vidisset eos tristes, scrutatus est praefectos Pharaonis, qui secum erant in carcere domini sui dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui respondebant ei: Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis.

Hoc principium est futurae dignitatis et gloriae Ioseph, somniat eadem nocte uterque somnium, et ad utrumque pertinebat somnium cum sua interpretatione; cum autem videret eos tristiores solito, quaerit ex eunuchis sive praefectis illis, quae sit causa moestitiae. Supra dictum est non fuisse castratos, sed

ministros regios et proceres aulicos, quales hodie in aula Turcica multi sunt.

Locus vero in quo vincti detinebantur fuit in domo principis laniorum, hoc est domini Ioseph, quam ejus fidei commendarat rex, nam ex historia regum et Jeremiae liquet reges habuisse carceres, quos accommodarunt suis nobilibus, aut praefectis; Ioseph autem praeest carceri, itaque condonatum est peccatum, de quo accusatus fuit ab hera, et fortassis ipsa luit ubi rescivit dominus eam hujus sceleris ream esse.

Dixitque ad eos Ioseph: An non Dei sunt interpretationes? narrate quaeso mihi.

Hinc apparet eum non fuisse otiosum, Spiritu sancto non quiescente, sed movente cor ipsius, et impellente, ut alios quoque sicut hos duos eunuchos corriperet et doceret, non potuit tacere cum videret eos idolatriae deditos, sicut nec dominam provocantem ad adulterium tulit, sed dehortatus est eam concione gravissima, et his quoque concionatum esse nihil dubium est, quamquam brevibus verbis describitur colloquium cum praefectis. Ipsi questi sunt deesse sibi interpretes, et si vinculis eximi possent accessuros se ad sacerdotes Aegyptios, ad ariolos et astrologos, qui somnia interpretarentur, et monerent de futuris eventibus; ibi respondit Ioseph: Nihil agitis cum vestris divinationibus et superstitionibus, non est quod cupiatis sciscitari ab interpretibus futura, nihil possunt monere, sunt mancipia Satanae; a Deo פִּתְרוֹנִים, interpretationes omnes petendae sunt.

In hanc sententiam pulcherrimam concionem instituit, quia Spiritus sanctus fuit in eo officiosus et efficax, ac statim ad Deum omnia refert, sicut supra

ad heram ait: Num peccabo in Deum? Deus enim erat in corde, ore, opere ipsius, ideo feliciter cadebant omnia consilia et actiones ejus, juxta primi Psalmi doctrinam. Nec potest celare aut reticere confessionem nominis Domini, quia est sacerdos et propheta, propterea patitur tot adversa, sicut scriptum est Psalmo 116, 10. „Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis." Et tamen ex his aerumnis omnibus liberatur: Dei sunt פִּתְרֹנִים inquit, hunc invocetis, huic commendetis vestram vitam, et petatis ut det somniorum interpretem.

Agite vero, etsi scio vos superstitioni et idolatriae esse addictos, narrate tamen somnia, si forte ego ea exponere queam. Iam enim sensit praesentiam Dei, sicut supra dictum est: Dominus inclinavit ad ipsum misericordiam, dedit ei Spiritum sanctum, ideo coepit intelligere et sperare optima quaeque, ac praeclare sane utrumque somnium enarrat. Fortassis alia quoque interdum ei oblata fuerunt, et simul suorum recordatus est de manipulis et de sole, luna et stellis, unde colligi potest eum in hoc genere enarrationum exercitatum fuisse, et tamen dicit: Dei est interpretari somnia, quod singulariter notandum est; non enim definit humanae sapientiae esse, exponere somnia, quia nostrae interpretationes incertae sunt et fallaces, deinde Diabolus etiam prophetandi per visiones et somnia facultatem sibi vendicat, novit enim ordinem causarum, videt praesentes et instantes causas, inde colligit futuros eventus; cernit odia et simultates principum, machinationes Caesaris, et inde raciocinatur secuturos motus in Germania, nec fallitur sane, nisi Angelus bonus impediat. Sic argumentatur et concludit ex causis visibilibus, sed divina somnia pro-

cedunt ex invisibilibus, ideo a Deo eorum explicationes petendae sunt. Narrate igitur mihi, inquit Ioseph, ego sum minister Dei, fortassis mihi revelabit quid sibi velint.

Recensuit itaque princeps pincernarum somnium suum ipsi Ioseph, dixitque ei: Cum ego somniarem, en vitis erat coram me, et in ipsa vite erant tres propagines; vitis vero erat similis germinanti, et ascendebat flos ejus, et botri ejus ad maturitatem perduxerunt uvas; sed et calix Pharaonis erat in manu mea, et accipiens uvas, expressi eas in calicem Pharaonis, dedique calicem in manum Pharaonis.

Descriptio est vitis germinantis, gemmantis et maturescentis. Vitis profert palmites, hi germinant, et acquirunt folia seu pampinos, tertio gemmat, quando parvula folia cum uvis simul erumpunt. אֶשְׁכֹּל botrum significat: botri ejus concoquebant, maturificabant uvas, שָׁחַט significat exprimere, ut ex hoc loco colligimus; nusquam enim alibi exstat in Bibliis, cujusmodi vocabula multa supra habuimus, quorum significatio apud Iudaeos incerta est.

Dixit vero ad eum Ioseph: Haec est interpretatio ejus: Tres propagines tres dies sunt, post quos extollet Pharao caput tuum, et restituet te in gradum pristinum, ut praebeas craterem in manum ejus, juxta pristinum morem, cum esses pocillator ipsius. Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, et facias mecum misericordiam, ut

mei mentionem facias apud Pharaonem, ut educat me ex hac domo, quia furtim sublatus sum de terra Hebraeorum, neque hic quidquam designavi, ob quod me in hanc foveam conjicerent.

Haec verba haud dubie praecessit invocatio, neque enim tam subito haec gesta sunt, sicut a Mose breviter describuntur. Postquam audivit Ioseph narrationem somnii, secessit in solum aliquem locum, et flexis genibus oravit; nihil enim faciunt Sancti sine benedictione et oratione, non subito irrumpunt ad negotia, sed cum timore accedunt, et quia sperant in Dominum, ideo invocant, et si externi gestus non semper adhibentur, tamen corde, gemitu et suspiriis precantur, sicut ipse testatus est antea: פִּתְרֹנִים sunt dona Dei, non est sapientiae aut industriae nostrae, interpretari somnia, sed accedat oportet Spiritus sanctus, sine quo non est donum, aut interpretatio ulla, ideo dixit: Ego orabo Deum, ut hanc facultatem mihi concedat explicandi eam significationem, quae proprie huic somnio congruit.

Vocabulum מִשְׁפָּט frequenter pro more aut consuetudine usurpatur, ut hoc loco, secundum judicium suum, id est, morem priorem, et Exodi 21, de patrefamilias qui desponderat filio suo famulum, juxta judicium, hoc est, morem filiarum faciet ei, et Psalmo 118: „Secundum judicium diligentium te," hoc est, sicut soles tractare eos qui te diligunt, non secundum poenam et judicium impiorum. Porro quod petit Ioseph ut pincerna sui recordetur, et mentionem faciat apud Pharaonem, id Iudaei exagitant, ac dicunt eum peccasse, et ob hoc delictum duobus annis amplius captivitatem hanc fuisse tolerandam, verum injuste

reprehenditur. Non collocavit fiduciam suam in pincernarum principem, cum supra toties audiverimus ipsum aequo animo hanc crucem tolerasse, ac paratum fuisse mortem et extrema omnia experiri, sed est exemplum ejus doctrinae quam tradit Paulus 1. Cor. 7, 21. „Si servus vocatus es, non sit tibi curae, sed si potes fieri liber, magis utere;" non enim nobis ipsi accersere mala et pericula debemus. Sed quando vel casu, vel divina voluntate affligimur, ibi constanter et magno animo quidvis incommodi ferendum est, ita tamen ne negligamus consilia et auxilia, quibus possumus liberari; est enim tentatio Dei, contemnere oblata remedia malorum divinitus monstrata.

Sic corpus nobis datum est a Deo, non ut occidamus id inedia aut vigiliis, sed ut curemus cibo, potu, vestitu, somno, medicina, ut Coloss. 2, 23. Paulus reprehendit hypocritas, qui non parcunt corpori suo, qualis ego olim in monasterio homicida fui et persecutor pessimus mei corporis: jejunabam enim, orabam, vigilabam, fatigabam me supra vires; hoc est sibi ipsi accersere et inferre mortem.

Ad utrumque vero debemus esse parati, tum ad vitam tuendam et conservandam, tum ad mortem juxta beneplacitum Dei aequo animo oppetendam, sicut vult Deus nos esse dominos mortis et vitae, juxta illud Rom. 14, 8. „Sive vivimus sive morimur, domini sumus," non tantum in genitivo casu, sed etiam in nominativo plurali; si enim domini sumus moriendo et vivendo, sicut Christus ipse, profecto etiam vitae et morti dominamur, neutrum nobis nostra sponte accersere possumus et debemus, sed utrumque cum humilitate et patientia acceptandum est. Sic supra Abraham suae vitae rationem accuratam habet, quando ju-

bet Saram simulare se esse sororem ipsius, ut evaderet periculum et vim regis; sic Iacob fugit iratum fratrem Esau, postea ad placandum eum mittit munera, et omnia experitur, ut possit esse in tuto; idem Isaac fecit fugiendo, donando, largiendo, ut vicinorum et regis Abimelech gratiam et favorem sibi conciliaret.

Proinde Ioseph non peccavit flagitans a pincerna regio, ut suae liberationis rationem habeat; nam initio statim gemuit, et rogavit fratres, ne venderetur, sed quia non poterat tum effugere, quin a fratribus in tristem et miserabilem servitutem hominum peregrinorum dederetur, patienter sane toleravit crucem a Domino impositam; jam vero cum videt sibi offerri aliam occasionem liberationis per principem pincernarum in aula regis, apud quem sciebat hunc fore in gratia, cogitat se facturum periculum, an Dominus hanc occasionem adjuvare vellet, et ipsum carcere tam molesto eripere. Idem alter quoque praefectus pistorum haud dubie petivit, quamquam frustra. Nisi vero hanc rationem inivisset, tentasset Deum, qui vult nos uti oblatis mediis et occasionibus, et vicissim etiam iis carere quae denegat, ac patientiam nostram in cruce exercere, sive ad dextram sive ad sinistram.

Iudaicum igitur commentum ineptum et falsum est, ac laudandum est consilium Ioseph, quod admonet pincernam beneficiorum, quae in ipsum contulerat in carcere corporaliter et spiritualiter, ac petit ut eorum meminisse velit. Fuit enim propheta plenus Spiritu sancto, qui non tantum fovit et curavit vinctos quibus potuit rationibus; sed etiam consolatus est eos, et ut confiderent ac bene sperarent, auxiliumque divinum exspectarent, docuit. Diligenter autem observandum

est exemplum hoc, quo Ioseph singulari studio hanc opportunitatem captavit ut posset evadere, ne tentaret Deum, alioqui enim conscientia ejus ipsum postea arguisset negligentiae.

Ad hunc modum dixi etiam curandum esse corpus, tuendam bonam famam, conjugem, liberos, ac universam rem familiarem omniaque facienda esse, quae ad horum conservationem pertinent, quoad fieri potest. Si enim singuli curam suarum rerum et officii sive publice sive privatim negligerent, ego quoque, posthabita muneris mihi demandati cura, dicere possem: Quid est quod praedicamus, docemus, baptisamus? Atqui Deus non condidit nos, et in hunc mundum collocavit, ut otio et voluptatibus diffluamus, atque ita omnem curam in Deum rejiciamus, quasi nihil prorsus agendum nobis sit, sed ubi quilibet suo loco officium fecerit, tum demum Deo successus et eventus omnium actionum permittendus est: sic agricola non ea ratione Deo commendat curam agri, ut ipse nihil eorum faciat, quae pertinent ad agriculturam, non proscindat, non colat terram, sed his omnibus peractis, tum demum petit a Deo incrementum, et tempestatem idoneam; quod si exaudimur a Deo, simus grati, sin minus, feramus patienter, et praestemus debitam obedientiam, ut discamus quae sit perfecta et beneplacens voluntas Dei in nobis, Rom. 12, 2.

Deinde purgat se de scelere, ob quod in vincula conjectus fuerat, allegat suam conscientiam, non justificat delatores, ne videatur sibi male conscius; neque enim ita negligenda est nobis fama, ut agnoscamus crimina falso nobis objecta, et criminatores silentio nostro confirmemus, sed dicendum est: Non peccavi. Non habeo Daemonium, inquit Christus ad Iudaeos;

item: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Et exstant Augustini dicta admodum gravia et memorabilia: Qui negligit famam crudelis est. Item bona conscientia nobis opus est coram Deo, bona fama propter proximum; innocentia sufficit coram Deo, non apud proximum, ibi bona fama necessaria est. Episcopus si falso accusetur negligentiae, furti, adulterii, peculatus, nequaquam injuriam illam silentio approbare debet; quod si innocentiam suam testatus est, et adversarius eo non acquiescit, ferat in nomine Domini, et patiatur injustam criminationem, non persequatur aut ulciscatur auctorem contumeliarum, sufficit enim testificatio, qua probavit se injuste proscindi, sicut docent exempla Christi et Apostolorum.

Ait ergo Ioseph: Non mea aliqua culpa in hunc locum veni, furtim enim sublatus sum de terra Hebraeorum, et illi hujus calamitatis mihi auctores sunt, qui tueri et defendere me debuissent, neque quicquam peccavi in domo heri mei, sed a scorto pessimo falso de adulterio sum accusatus; oro igitur ut pro me intercedas apud regem. Atque haec aliquanto copiosius et rhetorice amplificavit, ut haberet causam recordandi suae innocentiae et beneficii. Sed hoc medio nondum liberabitur. Manet ergo diutius in fide, spe et patientia, gibt sich zufrieden, non murmurat, non indignatur, nec maledicit Deo aut hominibus; fuit enim apud sanctissimos Patriarchas certissima fides et cognitio doctrinae coelestis, quam nos Dei beneficio habemus, hoc est, crediderunt in Christum, et propter hunc exspectarunt vitam aeternam. Articulus resurrectionis animis eorum infixus fuit, quia perdurant non solum in morte, sed etiam ultra et post mortem: toties enim intentatur ei mors, toties occiditur, ut

verissime dici queat durasse Ioseph ultra mortem. Sic autem animum induxit suum: Quare me excruciem, aut fremam adversus Deum? Scio Dominum esse Deum meum, non tantum in hac, sed et in futura vita. Ita luxit fides resurrectionis mortuorum etiam in veteri testamento, quamquam minus copiose et aperte quam in novo.

Christus inquit, Deus non est mortuorum sed vivorum Deus, ergo omnes patres, qui speraverunt in Deum, etiam resurrectionem mortuorum sine ullo dubio crediderunt. Hoc enim clare demonstrari potest argumentatione Christi: Abraham, Isaac et alii Patriarchae durant usque ad mortem fide firmissima, igitur crediderunt resurrectionem mortuorum; si enim non restat alia et melior vita post hanc, quid opus est fide, aut Deo ipso, aut spe in Deum ultra mortem? Si non est exspectanda resurrectio, etiam fides nulla et Deus nullus est et e contra: Si est fides et spes aliqua in Deum, necesse est esse Deum, qui omnium confidentium et sperantium in ipsum Deus sit, propter quem retinent spem immortalitatis. Cum enim omnibus mors oppetenda sit, et tamen pii Deo confidant, necessario fatentur post hanc vitam aliam et aeternam restare.

Epicureo non opus est fide in Deum, quia vivit vitam belluinam, ideo parum interesse putat sive moriatur, sive vivat; Iulius Caesar dixit subitaneam mortem esse optimam, quia fuit ethnicus et infidelis, defuit ei verbum, ideo non opus habuit fide, spe, caritate, patientia, wenn das Leben aus ist, so ist es alles aus mit den Epicureis.

Haec propterea cogitanda sunt, ut videamus quomodo luceat hic articulus de futura immortalitate in sanctis hominibus veteris testamenti, qui indubitanter

crediderunt resurrectionem mortuorum, ac praesertim fiduciam suam in Christum auctorem resurrectionis positam habuerunt.

Deinde exemplum petitionis Ioseph etiam observandum diximus, quo monemur utendum esse praesentibus bonis et occasionibus ad fovendum, sustentandum aut liberandum corpus nostrum, rempublicam, Ecclesiam, conjugem, liberos. Quilibet suo loco faciat quod debet et potest; quod si destituitur successu, sit paratus vel ad vitam vel ad mortem, ad tristitiam pariter et gaudium, ad bona et mala perferenda, ita ut Dominus Deus nostra spes et fiducia sit, non solum in hac, sed et in futura vita, sicut scriptum est 1. Timot. 4, 8. „Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae.“ Hoc est, sperandum et confidendum est cum pro hac tum pro futura vita, ut sit Dominus Deus noster in aeternum.

Videns vero pistorum princeps quod fausta esset interpretatio, ait ad Ioseph: Et ego somnium habui: Erant tria canistra alba supra caput meum; porro in superiori canistro erant varii cibi Pharaonis, qui fiunt arte pistoria, et aves comedebant eos ex canistro, quod erat supra caput. Respondit Ioseph et dixit: Haec est interpretatio ejus: Tria canistra sunt tres dies, post quos tollet Pharao caput tuum a te, ac suspendet te in cruce et aves comedent carnem tuam a te.

Simile somnium est priori, sed dissimilis est interpretatio: cogitat enim se quoque post triduum liberatum iri, sicut alteri promissa est liberatio, verum ces-

sat hic analogia non fidei, sed rerum, ideo non recte colligit, cum princeps pincernarum non plecteretur, se eodem modo evasurum incolumem.

Vox חֹרִי, proprie album significat, item foraminosum, itaque Hieronymus improprie vertit canistrum farinae; differt tamen a לָבָן, quod etiam candidum colorem designat: illud enim excellenter candens significat, sicut Danielis 7, 9. dicitur de antiquo dierum, fuisse indumentum ejus candidum ut nivem, hell weifs, schneeweifs, non obscuram et leprosam albedinem, sed insigniter albam; et in historia Ester cap. 8. egressus Mardochaeus in veste regia hiacinthina et candida. Ubique igitur in Scriptura sancta חֹרִים dicuntur nobiles, proceres, principes, magistratus et gubernatores populi, id est, candidi, ut ex Nehemia patet; mos enim fuit praesertim orientalium populorum, vestiri candidis vestibus, sicut de divite epulone dicitur, et hodie Turci candido vestitu, perinde ut Romani olim purpura, utuntur, et Arabes etiamnum vocantur Loban a לָבָן.

Porro et canistrum hoc nomine appellatur propter multitudinem foraminum, quia multis et raris viminibus contextum est ad similitudinem retis, ein schneeweisser Korb.

Sic vero habet somnium: In superiore canistro fuerunt omnia genera ciborum, Kuchen, Leichtbrot etc. Haec omnia adhuc satis fausta sunt, et congruunt cum somnio pincernae, supra enim tres propagines, hic tria canistra exhibentur; illic vero erat calix Pharaonis in manu pincernae, hic canistrum in manu pistoris est, sed non ut porrigantur inde cibi Pharaoni, sed ut vescantur iis volucres, ideo portendit ipsi crucem in qua carnes ejus lacerentur a volucribus.

Supra autem in genere de somniis et eorum interpretationibus dictum est, quam materiam Lyra satis confuse tractat: quaeritur an et quomodo somniis credendum sit. In Deuteronomio negat Moses fidem eis habendam esse, et Sirach 34. diligenter de iisdem disputat; contra in Ioele commendantur somnia, et scimus multa ab initio in Ecclesia fuisse monstrata cum piis tum impiis. Cyprianus habuit somnium de Christo sedente, et inimico tendente retia, et insidiante ipsi et Sanctis ejus, et narrat Augustinus somnium matris suae Monicae, cui ploranti apparuit juvenis hilari vultu et veste nitida, et quaesivit cur fleret: respondit ipsa se deplorare exitium filii sui, propter sectam Manichaeorum, cui addictus erat Augustinus. Ibi juvenis jussit eam bono animo esse et dixit: Noli flere, quia ubi tu, ibi ille. Hanc vocem accepit Monica tanquam coeleste oraculum, et laeta ad filium perrexit, ut recitaret somnium, quo spes sibi ostensa esset convertendi ejus ad veram pietatem, Augustinus vero initio cavillo quodam elusit: Non recte accepisti inquiens, forte enim dixit adolescens: ubi ille, ibi tu, sed firmiter perstitit in sua sententia Monica, et adfirmat Augustinus se vehementer illo verbo matris perculsum esse; fuit enim somnium divinitus oblatum, creditum et explicatum, ideo respondit tandem eventus, sicut solet fieri in divinis somniis.

Alia vero quae non a Deo oriuntur, ambigua sunt et fallacia, singulari igitur prudentia opus est, ad ea discernenda.

Saepe autem dixi me ab initio causae meae semper rogasse Dominum, ne mihi vel somnia, vel visiones, vel Angelos mitteret; multi enim fanatici spiritus me adorti sunt, quorum alius somnia, alius visiones,

alius revelationes jactabat, quibus nitebantur me erudire, sed respondi me non expetere ejusmodi revelationes, et si quae offerrentur, me iis non habiturum fidem, idque ardentibus votis precatus sum, ut daret mihi Deus certum sensum et intellectum Scripturae sanctae. Si enim verbum habeo, scio me recta via ingredi, nec facile falli aut errare posse, ac malo sane Davidicum intellectum, quam propheticas visiones, quas nec Davidem magnopere desiderasse arbitror; sed vide quam certum sensum habeat Scripturae.

Fanatici cum suis somniis alii alio me impellere conabantur, ac si quoslibet audivissem, profecto tricies aut quadragies genus doctrinae mutandum fuisset; cum vero repudiarem omnes, clamabant me esse pertinacem et capitosum, ac missum me faciebant, ideo nihil moror visiones et somnia, et quamquam videntur significantia, tamen contemno, et sum contentus certo sensu et fide Scripturae sanctae; quod si verbum habeo, certus sum, Deum et Angelos mihi adesse, si non visibiliter, tamen instillare suos radios, meque in via veritatis dirigere. Haec mea sententia est, quam non muto.

Neque tamen omnia somnia contemnenda sunt prorsus, quamquam iis ego non delector, sed observandae sunt notae verorum somniorum; nam ea quae divinitus immittuntur sequitur mox impressio, ita ut is qui somniat non possit somnii oblivisci, aut si excidit, tamen mox succurrit iterum, sicut apparet in historia Nebucadnezaris, quia semen a Deo jactum, necessario fert fructum suum. Ita in praesenti exemplo tam fortis est impressio in duobus praefectis, et postea in rege ipso, ut commoveantur, nec possint acquiescere, donec explicationem somniorum audiant.

Discamus igitur ex hoc capite quod dixit Ioseph: פִּתְרוֹנִים interpretationes sunt Dei; ille dat somnia, et simul addit interpretationes, quas nemo alius posset invenire. Habebat Pharao multos sapientes et eruditos in regno, sacerdotes et gubernatores sacrorum Aegyptiorum, ut infra patebit, inter quos fuerunt astronomiae et astrologiae periti, quae artes Chaldaeis propemodum peculiares fuerunt, sed sunt ambiguae et incertae illae interpretationes, quamquam interdum congruunt cum eventibus, sicut saepe jaciendo jacitur Venus.

Iulius Caesar somniaverat se stuprasse matrem, illud somnium monstratum ei fuit a Satana, qui est simia Dei, interpretes igitur retulerunt ad bellum civile quo afflixit patriam; item somniavit se volare, et multa alia de Nerone Claudio a Suetonio commemorantur; hae non sunt propheticae interpretationes, sed perinde valent ac auspicia, auguria, omnia, de quibus exstant libri Ciceronis Tusculanarum quaestionum et de divinatione.

Diabolus est potens et mirabilis spiritus, qui potest tam vigilantes quam dormientes fallere, et interdum quidem somnia et explicationes ipsius sortiuntur suos eventus, interdum vero non, quia oriuntur ex causis praejacentibus: videt viginti aut triginta annis consilia et deliberationes in aulis, deinde quomodo disposita sint organa corporum et animarum, item videt educationem et institutionem principum, ingenia et mores eorum: ex his multa colligit, sicut dux Georgius praevidebat duobus filiis suis fore oppetendam mortem se adhuc superstite. Itaque facillime potest Satan somnia immittere, et postea interpretationem colligere, perinde ut movet phantasias et imagines

aut furores et libidines inspirat; postea habet suos sacerdotes et somniatores, quales multi apud omnes fere gentes, ac in populo Israelitico etiam fuerunt, quos prophetae vehementissime insectantur, et populi impietatem reprehendunt. Saepe tamen in explicando hallucinatur, ac si haec somnia duorum praefectorum audivisset, non facile dissimilitudinem illam perspexisset, nisi forte sensum animorum Pharaonis et praefectorum scivisset. Saepe etiam Deus impedit ejusmodi successus et eventus praedictos, cum mutantur causae illae, ex quibus eos raciocinatus est Satan: talibus igitur non est habenda fides.

Primus vero et praecipuus gradus somniorum est divinum quoddam genus prophetiae, de quibus inquit Ioel: Seniores vestri somnia somniabunt, nimirum divina, quae sunt certae impressiones a Deo immissae, et habent adjunctam non solum interpretationem, sed et fidem et credulitatem eorum, quibus exhibentur, ac tandem etiam effectum; alterum est Diabolicum, tertium physicum, de quo medici disputant, et inde colligunt qualis sit constitutio sanguinis aut totius corporis, ideo non quaeritur quid significent vel moraliter, vel theologice: et de his duobus generibus tenenda est regula in Ecclesiastico tradita, et a Catone: Somnia ne cures.

Redeamus ad Ioseph. Audivimus hactenus Deum inclinasse ad eum misericordiam suam, et dedisse gratiam coram principibus laniorum et carceris, item duobus captivis, qui viderunt in eo singularem felicitatem et dexteritatem ingenii et omnium actionum; deinde habuit internam consolationem, qua sensit se donatum hoc maximo dono prophetiae per spiritum. Sapientia vero descendit cum ipso in foveam, ergo

bene sperat, et promittit sibi liberationem ex tam praeclaro dono, et ex gratia et misericordia qua norat Dominum se respexisse. Credit etiam humana cogitatione futurum sibi hunc pincernam praesidio et solatio, quae est quidem humana fiducia, et tamen neutiquam reprehendenda; sic enim statuit: Deus illuminavit me spiritu prophetico, igitur non deseret me, et insuper hanc occasionem offert, ut interpreter somnium principi pincernarum, qui apud Pharaonem pro me poterit intercedere. Haec consilia et cogitationes laudandae sunt, non enim contemnere debemus oblata media, saltem possibilia et naturalia, ne Deus tentetur; quod si ejusmodi occasione aut spe aliqua fallimur, id quoque aequo animo ferendum est.

Haec vero fiducia Ioseph non prorsus humana est, nititur enim dono sibi divinitus dato, dum cogitat: En Deus respexit me, et subornat nunc principem hunc auxiliatorem, tentabo igitur, an possim aliquid apud regem obtinere, quod si succedit, bene est, sin minus, fiat voluntas Domini; estque exemplum in nostram consolationem propositum, ut sciamus, nos posse sine peccato quaerere remedia, et uti mediis oblatis divinitus sive naturaliter ad fovendum, liberandum, conservandum corpus, sive civiliter et oeconomice, ad retinendam pacem et incolumitatem rerum nostrarum publice et privatim, nec moremur impias hominum profanorum voces, ut Turcarum et aliorum, qui dicunt ea quae semel a Deo definita et statuta sunt, non posse impediri. Fatum est, inquiunt, ideo necessario haec vel illa evenient, soll es gehen, so geht es; sed tibi illa non sunt manifestata, alias enim nullus locus erit fidei, spei, patientiae, caritati, sed aut contemtus, aut odium Dei inde exsistet in animis

hominum, non credemus, nec sperabimus ab eo auxilium. Deus igitur ordinat contingentia illa propter exercitia fidei et spei, ac injuste reprehendi Ioseph a Iudaeis diximus, quasi fiduciam posuerit in hominem: si enim petendum est aliquid a principe, non est desperandum de ejus benignitate et clementia, alioqui nihil audebo flagitare, sed confidere debeo eum clementer meas preces exauditurum; quod si fallor, sine peccato fallor, sin impetro quod peto, gratias ago Deo.

Factum est igitur die tertio, qui erat dies natalitius Pharaonis, ut instrueret convivium omnibus servis suis, et levavit caput principis pincernarum, et caput principis pistorum inter servos suos; et principem pincernarum quidem restituit pro pincerna suo, ut porrigeret calicem in manum Pharaonis, principem vero pistorum suspendit, sicut interpretatus eis fuit Ioseph. Nec recordatus est princeps pincernarum Ioseph, sed oblivioni tradidit eum.

Hic iterum tentatur optimus et pientissimus Ioseph, sentit enim frustratam esse spem suam et fiduciam conceptam, quod jam instaret hora liberationis; petiverat a pincerna, ut sui recordaretur, cum bene ipsi esset. Verum quid fit? Traditur Ioseph oblivioni et Deus sinit eum in ista spe et consolatione rursus tentari et vexari toto biennio, lieber Herr Gott, wills denn nit schier werden, es währet auch gar zu lang.

Vulgo dici solet: Patientia saepius laesa fit furor, quod de humana, sive ethnica patientia recte dicitur, ea enim vertitur in furiam, si plures offensiones tole-

randae sunt; es soll aber nicht seyn, sed Christiana patientia debet perseverare, et manere sui similis, ac dictum illud Hieronymi ethnicum est, non Christianum.

Simul autem doctrina proponitur de ingratitudine mundi, quam mercedem soleat pro summis beneficiis rependere, est horribilis sane pictura ejus in summo gradu ingratitudinis. Servierat Ioseph dominae suae, conjugi Potipharis, non solum ad beneplacitum, verum etiam ad concupiscentiam, amorem et insaniam, quid reddit ei? mortem et omnis generis calamitates; wer will denn der Welt dienen? quis igitur rempublicam aut Ecclesiam curabit? quis docebit aut educabit filios et discipulos, cum nihil aliud pretii reportes, quam summam ingratitudinem pro summis beneficiis? Mundus non faciet, qui non vult perdere beneficia, sed requirit gratiarum actionem, honorem et laudem, quae si non contingunt, desinit bene de aliis mereri, ideo Bernhardus inquit: Ingratitudo est vitium exsiccans fontem bonitatis, humanae scilicet, non Dei et filiorum Dei, qui sunt inexhaustae benignitatis. Non degenerat haec vitis in tribulos aut spinam, sed fert perpetuo bonos fructus arbor bona.

Fuit igitur haec quoque malitia et perfidia toleranda Ioseph, ut traditus oblivioni a pincerna, diutius maceretur in durissima servitute ac summa inopia et egestate, nihil enim habet praeter victum tenuem, et sordidum amictum in carcere, und will nit aufhören. Mundus econtra vorax est et rapax omnis generis officiorum, quae tamen nunquam agnoscit, ac eodem modo gerit se erga Deum, qui solem suum sinit oriri super bonos et malos, quin totum orbem terrarum profundit et dispergit in homines superbissimos et ingratissimos, contemtores Dei et blasphemos; verum nemo

est, qui cantet illud Psalmi: „Benedicam te Domine Deus, laudate eum sol et luna etc. imo maledictio, vituperatio, blasphemia, mors Sanctorum redditur pro infinitis ejus meritis corporalibus et spiritualibus, denique filius Dei missus in mundum occiditur. Ipse tamen est infinitae et immensae bonitatis, ideo monet Christus: Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est, benefacite malis, orate pro eis.

Illam artem egregie tenuit Ioseph, ac recte didicit Evangelium ab optimis praeceptoribus: venditus enim est XVII anno aetatis suae postquam decennio audivit docentem patrem, matrem Rahelem et Deboram nutricem, qui singulari studio eum erudierunt et unice dilexerunt, viderunt enim placido ingenio praeditum, et optima indole adolescentem esse; nutrix Debora fuit ipsi loco aviae, et adhuc recens memoria erat Patriarcharum Noah, Sem, Eber; erat etiam superstes Isaac, qui diligenter exempla calamitatum Iacob ei inculcavit cum aliorum patrum rebus gestis, verbis, exemplis et aerumnis, et fuit Ioseph ipse magna ex parte spectator vitae patris in Syria et postea afflictionum in stuprata Dina, caede Sichimitarum, incestu Ruben, vidit lacrimas et gemitus patris, audivit querelas ipsius et totius domus, et apud hunc solum efficaces fuerunt conciones patriae, quia fuit optima pars agri. Alii et fratrem et parentem occiderunt, solus Ioseph fuit gemma pretiosissima conservans verba et exempla Isaac, Iacob et aliorum patrum, fuit quasi adamas quidam in fide dei, spe et patientia, nec potuit cor ejus ullis procellis aut tempestatibus expugnari.

Ideo recte in libro sapientiae dicitur sapientiam, hoc est filium Dei, non reliquisse venditum justum,

sed descendisse cum eo in foveam et carcerem; illum habuit praeceptorem, qui dedit incrementum, ut auditum verbum firmiter infixum cordi retineret; habuit ob oculos poenam diluvii, incendium Sodomorum et alias calamitates, deinde et varias liberationes piorum a patre recitatas, unde crevit et confirmatus est in eo timor Dei, fides, spes et aliae virtutes, ut nullis procellis labefactari animus ejus posset.

Sic igitur detinetur in vinculis et inferno, et quamquam conceperat spem, se propediem liberandum esse, tamen videt eam esse irritam. Habet autem spiritum propheticum, qui ipsum consolatur, ut sustentet se doctrina patrum, jetzt wird Gott helfen, sed nimis diu cessat; sperare autem et semper falli et frustrari valde molestum est, et accumulat dolorem afflictis, itaque opus fuit exhortatione Psalmi: Exspecta Dominum, viriliter age etc. Interea vero dum moratur orandum et suspirandum est pro liberatione, deinde quaerenda sunt media, ac annitendum est et laborandum, ut eripiaris ex praesentibus aerumnis; si enim esset absque spe et conatu illo quo cupio exaudiri et liberari, nihil opus esset invocatione; sit autem oratio assidua et importuna, non cesset, non defatigetur, et repugnet diffidentiae et dubitationi.

Nam et Ioseph cum in spiritu quidem esset patiens, tamen homo fuit, perinde ut alii Sancti omnes qui in carne manent, licet non vivant secundum carnem, ut ait Paulus: Caro concupiscit adversus spiritum, quae pugna in omnibus Sanctis per totam vitam eorum durat, in aliis magis, in aliis minus. Etsi igitur Ioseph credidit, speravit, gratias egit in tribulationibus, tamen nihil dubium est, eum etiam legem in membris suis repugnantem legi mentis sensisse; illam

rebellionem secundum carnem, et motus quosdam impatientiae habuit; sed tamen superavit: non quod assiduo eos senserit, sed uno, aut dimidio die, saepe etiam biduo vel triduo, secundum beneplacitum Dei, qui sinit tentari suos, sed cum tentatione dat proventum, ut possint sustinere; es mufs ja einer ein Tag zwen betrübet seyn, care mufs seine murmura haben, sed tamen dominari debet spiritus, sicut dicitur Gen. 4. Sub te sit appetitus tuus, ne definitive concludas diffidentiam et desperationem.

Caro quam adhuc circumferimus, facit ut gaudium spiritus non possit esse perfectum, nec queat hoc praestare quod debet: non enim est in hac vita absque murmure, et tamen frenanda et compescenda est, ne dominetur murmuratio et impatientia, etiamsi urgeat, sollicitet, impellat ad indignationem.

Accesserunt igitur et spirituales tentationes ad mala quae carnem fatigarunt, et duriter exercuerunt: miserum enim est, humiliari in carcere, pati exsilium, contemni, negligi, relinqui solum sine consilio et auxilio, pro summis beneficiis summam ingratitudinem experiri, ideo maxima haec patientia fuit, quae non cadit in hominem. Postquam vero vidit Diabolus conflictari Ioseph cum tentatione murmurationis et impatientiae, tum demum ignita tela sua in ipsum torsit, quale illud fuit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant; vides miserabilem illam et diuturnam calamitatem, vides preces tuas esse irritas, clamas, invocas, credis in Deum, sed frustra; modo sperabas te per interpretationem somnii pincernae liberari et exaltari te posse; age liberet te Deus, si vult te. Haec tela animum aegrum et saucium longe gravius excruciarunt.

Cum laetantur pii in spiritu et cantant: Fortitudo et laus mea Dominus, tum procul abest Diabolus, et cessat murmur et impatientia, aber wenn der Zaun niedergetreten ist, so kommt der Schalk; quamdiu sonant voces illae laudum et gratiarum actionis: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, exsultabo in Deo salutari meo etc. tantisper evanescunt omnes tentationes moestitiae et diffidentiae, ac late panditur coelum et paradisus, die Hölle ist verloschen; cum vero iterum deseruntur, tunc redit cogitatio de calamitate, desertione, exsilio, sicut Ioseph secum reputavit se venditum esse a fratribus, qui nunc domi in summo otio et deliciis viverent, ipso miserrime vincto et concluso in carcere, qui nihil tale unquam meritus esset, nihil mali fecisset; das ist der Teufel, wenn das Wasser trüb wird, so fischt er gern, und kömmt mit den Mordstossen, cum tentationibus diffidentiae et desperationis.

Ioseph autem solus in hisce angustiis haerebat, neminem habebat cum quo posset conferre, da ist kein Beichtvater, nemo erat, qui solaretur et erigeret paene oppressum tanta malorum mole. Wohlan da liegt das liebe Kind noch zwei Jahr, adhuc biennium detinetur in carcere; duorum mensium aut septenarum spatium facilius, imo summa voluntate tolerasset, sed prorsus ejus obliviscitur princeps pincernarum, neque unquam per omnem vitam recordatus esset petitionis ipsius, nisi Pharaoni somnium oblatum fuisset divinitus, quod erit ipsi occasio et causa salutis.

Interea vero post liberationem pincernae sollicitis articulis omnes horas, dies, menses supputavit, et cum gemitu dixit: Ah wenn wills werden? Iam annus elapsus est et agitur secundus, tandem cum duo anni

transivissent, nec sequeretur liberatio, cogitavit actum esse de salute sua, nu wird nichts draus, hat er gedacht. Ista omnia sunt argumenta inducentia ad desperationem, ac fuit haud dubie summa et gravissima tentatio, atque adeo postrema est. Sedet ergo in tenebris lucerna illa, et discit vocem hanc intelligere: Afflixit te Dominus penuria et tentavit, ut disceres quod non in solo pane vivit homo, sed in quolibet verbo quod egreditur de ore Domini. Nisi habuisset secum hoc pabulum Ioseph, nisi Spiritus sanctus et filius Dei cum ipso in foveam descendisset, et sustentasset eum verbo quod didicerat ex patre, non potuisset ferre ac vincere impetus Satanae; superant enim robur humanum spirituales tentationes, sicut multi subito occiduntur istis ictibus et fulminibus Diaboli; quando spiculum mortiferum et telum ignitum torquet in cor hominis, si non habet verbum, momento extinguitur, ac tales non occidit gladius aut homo, sed Diabolus immediate confodit cor et animam spiculis suis ignitis.

Discit ergo Ioseph vivere in verbo Dei, non in solo pane, quo in tantis aerumnis non potuisset tolerare vitam; nisi enim consolationem habuisset a Spiritu sancto, dolore animi exstinctus esset, praesertim in solitudine, ubi omnium hominum consuetudine et auxilio destitutus fuit, nec ullum solatium habuit, nisi a furibus, latronibus et maleficis, quibus servivit in carcere. Non igitur humanae opis et consolationis est quod vincit et perdurat contra Satanam, mundum et carnem, nec alia vita vivit, quam quae est in verbo Dei: haeret enim simpliciter in promissione, paratus etiam ad majora perferenda; quamquam cupit liberari secundum carnem et secundum spiritum etiam, tamen quia videt

Deum sic velle, acquiescit ejus beneplacito, et mortificat carnem clamantem, murmurantem, dicens: Fiat voluntas Domini, (aber es ist ein trefflich schwer fiat) patri meo promissa est a Deo posteritas et benedictio, et pater docuit me istas promissiones exspectare, donec impleantur; differor quidem et infirmor secundum carnem, sed in verbo animor.

Atque ita sanctissimus et optimus Ioseph crucifixus, mortuus, sepultus est, et descendit ad inferos hoc biennio. Nunc veniet Dominus et liberabit, glorificabit et magnificabit eum, sicut ipsum vocavit, justificavit et dedit Spiritum sanctum et filium, qui descendit cum eo in carcerem; nun ist die Marterwochen aus, mox enim vivificabitur et resurget. Est profecto pulcherrimum exemplum proponendum Ecclesiae Dei et omnibus afflictis ac tribulatis quocunque modo, wir würden schwerlich so viel leiden, et ad hunc modum agnoscendus est Deus, quod sit mirabilis in Sanctis suis, juxta illud Psalm. 4, 4. „Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum, Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.“ Das exaudiet folget wohl, aber das clamavero währet zumal lang; jam tredecim annos egit in exsilio et biennium in carcere propter fidem, castitatem et diligentiam in servitute, sed Deus ejusmodi exauditor est, qui mirabiliter agit cum Sanctis suis, sicut hic videre est in Ioseph. Ipse quidem nescit causam, quare Dominus tam diu differat liberationem, sed eam permittit Deo et clamat.

Hoc igitur exemplum confirmet nos in nostris tentationibus, qui nondum tantis aerumnis et difficultatibus conflictati sumus; ac superant etiam horum Patriarcharum passiones non monachorum tantum, sed et Sanctorum in novo testamento martyria, demptis

Apostolis, ut Paulo et aliis, qui habuerunt Patriarchales tentationes et glorias: videmus enim vel unius Ioseph vitam plenam esse martyriis, quibus corporaliter et spiritualiter gravissime exercitatus est XIII annis, et nihilominus fecit miracula, quae etiam praeferenda sunt operibus Sanctorum in Ecclesia gentium.

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA

LATINA

CURAVIT

HENR. SCHMID

PHIL. DOCT.

TOMUS X.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. XLI — XLV.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXLII.

IN GENESIN

ENARRATIONUM

REVERENDI PATRIS,

D. D. MARTINI LUTHERI,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTARUM, PER HIERONYMUM BESOLDUM NORIBERGENSEM,

TOMI IV. PARS II.

QUADRAGESIMUM PRIMUM CAPUT GENESIS.

Post duos annos habuit Pharao somnium: putabat se stare juxta fluvium, et ascendebant de fluvio septem vaccae aspectu pulchrae et carne pingues, et pascebantur in locis palustribus. Post illas ascendebant aliae septem vaccae de fluvio deformes et tenui corpore, stabantque juxta illas vaccas in ripa fluvii. Et vaccae illae quae deformes erant atque macilentae devorabant septem vaccas, quae erant eleganti forma et pingues; et evigilavit Pharao. Rursum vero obdormiens somniavit secundo, et ecce septem spicae pullulabant in culmo uno plenae quidem et bonae, et rursus septem spicae tenues et percussae uredine oriebantur, devorabantque septem spicae tenuiores septem spicas crassas et plenas.

Audivimus insigne illud et incredibile exemplum fidei, spei, caritatis, patientiae et omnium virtutum,

in adolescente Ioseph. Arbitror autem Isaac avum ipsius, quem supra sepelivimus, licet adhuc superstitem post venditionem Ioseph, circa hoc tempus mortuum esse, nepote suo non recepto, ac fuit haud dubie aegritudine et moerore animi confectus, atque ita tandem obdormivit in fide et spe promissionis.

Hae sunt sacrae et spirituales historiae, quas ubi homines carnales, ut Papistae legunt, non intuentur in penetralia cordis et miracula fidei, spei et tolerantiae, quod Ioseph tanta mala et tamdiu potuit ferre animo infracto ac fide et spe immota.

Maximum vero et incomparabile exemplum est propter infinita martyria quae concurrunt in uno homine tam diuturna ac desperata. Alioqui enim martyres, perinde ut infantes ab Herode trucidati, uno aut altero die suis tormentis et passionibus defungi soliti sunt, hie währets ja zu lang, ac paucos sane invenias, qui adeo miseri et deserti saltem a murmure et fremitu abstineant; quin etiam ipsius Ioseph caro interdum murmuravit, flevit et impulit eum, ut labasceret et fieret pusillanimis: Sancti enim non sunt trunci aut saxa, sed homines ex hominibus nati. Ideo praeceptum Paulinum servandum fuit: „Peccatum vobis non dominabitur, quia estis sub gratia." (Rom. 6, 14.) Atque ea sane dominante et regnante devorarunt et vicerunt istas lacrimas et dolores animi.

Ex talibus vero exemplis manarunt insignes illae exhortationes in Psalmis et Prophetis: „Exspecta Dominum, viriliter age" etc. Item: „Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet et non tardabit." Item: „Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum." Caro et infirmitas dicit: es währet ja zumal lang, differtur auxilium quinque, aut

decem, aut viginti annos, nec finis ullus apparet tentationis, sed memineris te habere promissionem, et habere amicum et patrem Deum, qui promisit ex immensa misericordia et gratia se curaturum te paterne. Du sollst sein Sohnichen sein, ipse pater, tu filius. Atqui nihil fit, inquit caro. Respondeo: Exspecta cum omnibus Sanctis, et fiet tandem quod promittit Christus: „Qui perseveraverit in finem, salvus erit."

Sic hodie varie excruciamur et affligimur a Satana et mundo, persequuntur nos Pontifices et Cardinales, vexant haeretici, Sacramentarii, Anabaptistae, et alii, verum quid aliud agas, quam ut exspectes Dominum? Habes enim promissionem, Deum esse tuum patrem, ibi adde spem ad fidem, non ambige de promissione, et exspecta, quando non statim exhibetur hoc quod promittitur. Etsi enim spes quae differtur affligit animam, tamen hoc tenendum est quod monet auctor epistolae ad Hebraeos: „Tanquam filiis offert se vobis Deus." Deinde talibus exemplis nos erigamus et exuscitemus ad quasvis difficultates, pericula et dolores sustinendos. Quod si occidimur, certum est nos ea ratione vere liberari et eripi ex omnibus malis, sicut martyribus olim nihil mali accidit, sed finem omnium aerumnarum sortiti sunt; sin servamur, perseveremus et exspectemus in spe et fide; Deus enim non odit aut aversatur nos hostiliter, utcunque aliter se gerat erga nos. Verum sic statuamus: Scio me esse baptizatum, comedisse corpus et bibisse sanguinem filii Dei, esse absolutum auctoritate divina, adeoque mihi remissa peccata omnia, et promissam victoriam Diaboli, mortis et inferorum, quid requiram amplius?

Sic Ioseph, etsi dilata fuit liberatio, tamen conservavit doctrinam et verba patris Iacob, nec dubita-

vit de promissione patri facta implenda, ac si longius eam protraxisset Deus, tamen exspectasset et sperasset, sicut Hiob de se dicit: „Etiamsi occiderit me, sperabo in eum." Hae enim sunt voces fidei, spei et caritatis erga Deum et proximum: Quantumvis saeviat mundus et princeps ejus in Pontifice et Turca, tamen non excutiet mihi semel conceptam fiduciam in Deum, so sauer soll ers nicht machen der Satan, viel weniger der Türk; possunt quidem hanc vitam aut facultates, conjugem et liberos, bonam item valetudinem eripere, tamen sperabo in Deum perpetuo.

Ad hunc modum exuscitat et confirmat Scriptura sancta fidem in Deum, ut dicamus: Domine Deus tu me absolvisti per fratrem, baptizasti, et cibasti me corpore et sanguine tuo, age ut libet cum servo tuo, non indignabor nec blasphemabo, sed quidvis patienter feram; nolo enim irritum fieri pactum tuum meeum initum in Baptismo et Coena Domini. Tales sane Christus beatos pronunciat, qui ad hunc modum in finem usque perseverant, de aliis vero inquit Sirach: „Vae illis qui perdiderunt sustinentiam, quia aliquamdiu quidem sperant et exspectant, mox autem labascunt et franguntur diffidentia et desperatione;" sicut exemplo est uxor Tobiae et Hiob, quae initio fortassis non statim murmurarunt, postea vero fractae mora et magnitudine malorum, eruperunt in voces blasphemas: Benedic Domino et morere. q. d. Tu retines patientiam et spem et falleris, nihil adhibes consilii aut remedii, perseveras laudando et benedicendo, ei lobe immerhin, und stirb ins Teufels Namen. Sed respondit Hiob: Sicut stulta locuta es; si enim bona suscepimus, mala cur non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Ista exempla diligenter observanda sunt et inculcanda mentibus piorum, carnales enim contemnunt, nec perspiciunt penetralia virtutum, quae scribuntur et proponuntur Ecclesiae in consolationem, ut discamus afflictiones nostras certissimum argumentum et pignus esse, quod simus filii Dei. Exstat vox Tauleri, quamquam non loquitur in terminis Scripturae sanctae; sed alieno et peregrino sermone utitur: Magnum damnum sciat homo se fecisse, qui non exspectat opus Domini, videlicet, quando vult eum crucifigere, mortificare et redigere veterem hominem in nihilum, quod non fit nisi passione et cruce, ibi enim sustines opus Domini, qui format te, hobelt dich, und haut die groben Aest ab, et quidquid est impedimenti ad aedificationem aeternam, praecidit securi, serra, dolabra, sicut inquit David Psalmo 37, 7: „Subditus esto Deo, et formare ei."

Ad hunc modum Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph subjecerunt se Deo, exspectantes auxilium ab eo. Sicut in praesenti exemplo jam adest Deus, et invenit tempus ac horam liberandi Ioseph, qui nullam viam aut rationem redimendi sui cernere poterat, sed simpliciter Deo permittebat, ac manebat in tenebris, nihil sollicitus de modo auxilii.

Haec fuit insignis fides, ideo venit Deus et liberat eum mirabili modo, quem et David celebrat Psalmo 105, 18—20: „Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransivit animam ejus, donec veniret verbum ejus, eloquium Domini inflammavit eum, misit rex et solvit eum, princeps populorum dimisit eum." O magnificam et mirandam liberationem! Si enim fuisset optio data Ioseph in carcere, an parentem pro se vellet intercedere, an vero pincernam meminisse

beneficii, quod paulo ante in ipsum contulerat, utramvis conditionem cupidissime amplexus esset. Quin etiam herus aut hera ducta poenitentia innocentiam ejus testari potuisset. Sed nulla harum rationum omnium utitur Deus, ipsum potius regem et principem populorum oportuit eum solvere, ut esset illustris et gloriosa redemtio, sicut tandem etiam ad regiam dignitatem hujus liberationis occasione evehetur.

Discamus igitur confidere et exspectare Dominum, sicut credidit Ioseph, quamquam non sciret quo modo liberandus esset, et moram etiam ac dilationem aequo animo tulit, atque ita statuamus: Etsi incipiet caro mea murmurare, tamen reprimam me, et compescam fremitum carnis. Talia exempla merito admiramur et amamus, quia longe superant jejunia monachorum, et vestes Carthusianorum; haec enim mutant et incendunt corda piorum per fidem, spem et caritatem.

Sequitur ergo pulcherrima parasceue liberationis: venit enim Dominus post duos annos dierum, sicut est in Hebraeo, id est, post duorum annorum dies, et offert somnium regi, cujus interpretationem petet a Ioseph, eique adeo administrationem eorum quae per somnium praedicuntur permittet.

Quae ad Grammaticam pertinent relinquo Hebraeis, quamquam satis perspicua descriptio est, et notandae sunt allusiones in vocabulis רִיאֹת דַּקּוֹת etc. Ibi vero apparet quod fuerit consilium Dei de Ioseph, et quomodo agat cum hominibus: fuit enim Ioseph perditus et damnatus, crucifixus, mortuus et sepultus, quia vero exspectavit et credidit in Deum, necesse fuit ipsum fieri salvatorem orbis terrarum, quod nunquam ei sperare aut optare in mentem venerat; libentissime enim hoc beneficio acquievisset, is

ex fovea carceris eductus, et patri restitutus esset, ac donatus aliquo munere, quo reditus ad suos esset honestior et splendidior, sed Deus ait: Longe erras Ioseph, nescis te habere Dominum qui potens est facere supra quam vos petitis aut intelligitis. Tales enim sunt exauditiones Dei, quae hoc elogio ornantur, quod superent petitionem et intellectum nostrum, nec potest animus humanus concipere et comprehendere ea quae cogitat Deus de precibus piorum.

Considerate nostrum exemplum, quam tenues et parvarum virium fuerimus initio adversus Papam: erant tum suspiria nostra tenerrima, instar virgulae fumi, cujus mentio fit in Canticis; tantam vero lucem et gloriam non audebamus sperare, quantam hodie cernimus, quod Evangelium humiliat Papae potestatem, et frangit tyrannidem Diaboli, tot hominibus ereptis ex potestate tenebrarum.

Sic Ioseph suspirat, gemit et cupit liberari et esse in domo patris, libenter condonaturus fratribus, tantum ut in Ecclesia possit rursus audire doctrinam pietatis, sed Deus respondet: Ego Dominus Deus tuus, quem tu invocas, qui suffumigas et offers virgulam fumi, odoror et maxime delector thure illo accenso, suffitus enim orationis, fidei et spei tuae non tantum nares meas, sed et totum coelum implevit; ego redimam te, dafs es soll heifsen, supra quam intelligis.

Deploranda autem est miseria et imbecillitas carnis nostrae, quae non sinit nos credere hoc quod docemus: habemus enim verbum, et scimus id verum et immotum esse, sed in usu et praxi labascit fides et trepidat miserabiliter. Itaque ingens beneficium Dei est, quod hanc consolationem nobis manifestavit: Li-

num fumigans non exstinguam etc. In novissimo autem die nos ipsos accusabimus, et reprehendemus nostram impatientiam et dicemus: Si adhuc liceret priorem vitam vivere, non detrectarem mille mortes et cruces perpeti; at nunc id tempus est, animum ad tolerantiam et obedientiam excitandi.

Dominus autem miseratus infirmitatem nostram, praeter meritum et opinionem nostram cumulat nos infinitis beneficiis, sicut mater Augustini testatur sibi cumulatius redditum esse a Deo, quam ausa fuerit petere: orabat enim et gemebat pro filio suo, tantum ut baptizaretur, eoque baptizato libentissime moriebatur, quia hoc dono et conversione filii acquiescebat, et putabat suae petitioni satisfactum esse, sed post obitum ipsius factus est Augustinus insignis et praecipuus doctor Ecclesiae, qui infinitas animas liberavit erroribus multiplicibus et post Apostolos devicit tot monstra haereticorum. Id nimirum lacrimae et gemitus matris perfecerunt; ei unser Herr Gott ist ein feiner Gott, wenn wirs nur glauben könnten.

Idem in hac praesenti historia videre licet: ipsum regem Aegypti oportet somniare somnium, divina ordinatione, tantum ob hanc causam, ut Ioseph ex carcere educatur magna gratia, dignitate et gloria, et Pharao quidem gentilis erat ignorans Deum Hebraeorum, tamen dignatur Deus etiam ad ethnicum regem loqui per somnium, non propter Pharaonem, sed propter dilectum filium suum Ioseph in carcere. Ibi Pharao cogitur servire huic vincto, et totam Aegyptum oportet confluere ad filium hunc eximendum e vinculis, non tam propter ipsum Ioseph, quam regni Aegyptii et viciuarum regionum salutem.

Sic nimirum granum frumenti fructificat centuplum,

cum fuerit jactum in terram et mortificatum; quis enim queat enumerare omnes fructus illius? parum est et corporale tantum, quod liberat a fame omnes Aegyptios, et salvat etiam Pharaonem a morte cum aliis populis vicinarum regionum, quamquam ingens hoc beneficium est, tot millia hominum servare, ne pereant, aut aliquibus quidem mortuis in difficultate illa annonae tam diuturna, maximam tamen partem salvare: verum ea demum immensa dona sunt quae praedicat David Psalmo 104. Constituit eum Dominum domus suae et principem omnis possessionis suae, ut erudiret principes ejus, sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. Hoc magnum et mirandum est, quod Ioseph qui amisit regnum et sacerdotium in domo patris per invidiam fratrum, totius Aegypti dominium adipiscitur, quam liberat a morte et fame tam corporali, quam spirituali, quia fit gubernator et doctor promissionum Dei.

Ita David altius introspexit historiam hanc, et vidit quam salutaris fuerit regno Aegypti. Wie viel feiner Leut wird er gemacht haben! Docuit ipsos principes et regem, atque adeo totam aulam convertit ad fidem, et veros cultus Dei monstravit, item sacerdotes instituit, qui postea aliis praeirent, eosque erudirent. Breviter, est Christus in Aegypto et plus, sicut inquit Christus Ioannis. 14, 12: „Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet," Christus convertit unum parvum populum in angulo unius terrae Iuda, cibavit aliquot millia hominum modico pane, ille totam Aegyptum et vicinas gentes et regna pavit corporaliter et spiritualiter. Das heifst: posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat, etiam

inter gentes incircumcisas, nec legibus subditas, sicut Ioseph in Aegypto fructificavit.

Discite ergo confidere, credere, exspectare, sustinere et pendere ex verbo et dicere cum divo Paulo: „Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.“ (Rom. 8, 18.) Es ist zu gering, leve est et momentaneum tribulationis nostrae, quod supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis etc.

Ac Ioseph haud dubie sibi irascens dixit cum evasisset incolumis: Quare murmuravi in carcere? Video clementissimum Deum mihi adstitisse, quando ego tristatus sum et murmuravi: fuisset mihi potius exsultandum, ridendum, laetandum in tribulatione. Ah Domine Deus ignosce infirmitati meae; nam haec beneficia quae praestas per me tot animabus, nullis lacrimis aut singultibus, nulla cruce potui promereri, tu Deus es, qui ultra das, quam potui sperare et comprehendere. Sic soleo inquit Deus: „talia sunt mea opera superantia omnem sensum et rationem humanam,“ sicut et Danielis exemplum in Babylone testatur. Ingens vero beneficium est, quod insuper etiam parcit et condonat calamo quassato et lino fumiganti, et contentus est vel exigua scintilla, etiamsi murmuremus, modo non recedamus a fide, nec deficiamus a spe, sed cum Hiob dicamus: „Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.“

Ad hunc igitur modum suscitat Deus adolescenti Ioseph redemtorem egregium et illustrem, regem Aegypti, quem Dominus tam placide et blande dignatur visitare per somnium; ejusmodi autem somnia vere sunt prophetiae, quamquam Pharao ea nondum intelli-

git, sed habet se mere passive ad hoc quod loquitur Deus.

Iam vero cum tantopere et tam diligenter nos curet atque observet Deus, ac proxime nobis adsit, quid est quod possit nos magnopere perturbare aut dejicere? Docet enim hoc exemplum, quod non solum vigilantes et operantes custodit et curat, sed etiam in somnis cum nihil agimus, quando nescimus nos vivere, tum observat nostra somnia, numerat omnes curas et gemitus etiam dormientium. Equidem odi carnem meam, quod haec scio vera esse, et iis tamen non serio afficior; quem enim tanta cura et sollicitudo Dei pro nobis non moveat, quod non tantum capitis capillos, verum etiam lacrimas numerat, et colligit in utrem, ut testatur Psalmus 56, 9. „Numera fugas meas, repone lacrimas meas in utrem tuum, certe tu numeras.“ Kein Thränichen mufs umsonst geschehen, es wird angesetzet mit grofsen mächtigen Buchstaben in coelo.

Non igitur frustra gemimus, lacrimamur, patimur, omnia sunt scripta et annotata in commentariis Dei; das heifst ja gnau darein gesehen, Deus non a longe, sed prope nos intuetur, et numerat meas phantasias et cogitationes, tristitiam et dolores etiam noctu, et vult remunerari longe opulentius, quam ego petii aut intellexi. Hinc Paulinum illud natum est, quod perpetuo animis nostris obversari debebat: Nimis exiguum et leve est, quod patimur, cum sciamus majorem fore gloriam et redemtionem, quam ullis cogitationibus aut verbis consequi possimus, et tamen leve illud et minutum observat Deus.

Cujus igitur culpa fit, ut tam misere excruciemur et angamur? nimirum imbecillitatis fidei, spei ac

malitiae carnis. O schlag todt lieber Herr Gott, soll ich ein solchen Gott haben, qui adeo curiosus est, ut etiam noctu dormientem et somniantem custodiat? An non satis est, quod vigilantes tuetur, et dirigit gressus nostros, insuper etiam quietem et somnia curat? Illud certe est Deum propitium et custodientem habere, qui non permittit, ut capillus de capite cadat, vel ut stillet pupilla oculi, aut certe singulas guttas labentes ex oculis in numerato habet. Weinest du, so hat er ein gülden Becken oder Schüssel, und fecht die Thränen auf. At cujus lacrimas colligit? Peccatorum. Quis? Deus creator omnium. Haec igitur saepe cogitanda erant ad exuscitandam fidem, spem et caritatem in nobis, cum habeamus verbum, exempla et propriam experientiam immensae bonitatis Dei.

Porro hoc primum est, quod loquitur Pharaoni in somnis: est verbum Dei et ideo loquitur, ut tandem reveletur et intelligatur; non enim in hunc finem datur, ut maneat tectum et obscurum, sicut inquit Dominus apud Jesajam: Non redibit ad me vacuum, sed ut operetur, tametsi aliis temporibus obscurius, aliis clarius.

Sicut sub Papatu habuimus verbum et haud dubie multi in fide ejus salvati sunt, et hodie quoque Dei beneficio sonat in nostris ecclesiis, sed clarius quam superioribus seculis; quotidie autem proficimus a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu, subinde enim clarius intelligimus de die in diem, et tamen nihil aliud discimus, sed in eandem imaginem transformamur (2 Cor. 3, 18.). Wir lernen je länger je mehr daran, und doch nichts anders, ut cum in campo ambulans e longinquo prospicio hominem incedentem, is primum videtur esse equus aut arbor, cum

accedo propius, incipio eum paulatim magis ac magis agnoscere esse hominem, donec tandem hunc vel illum virum, et individuum video. Sic procedit cognitio nostra, primum confusa, post clarior et magis propria, quia initio quando verbum Dei offertur, non statim plene intelligitur, et tamen apprehenditur, quamquam infirmiter, non ideo ut obscuretur, sed ut exerceatur et augeatur indies cognitio Christi, donec perficiatur.

Idem fit in mutatione voluntatis nostrae, quae etiam proficit quotidie, cum paulatim magis magisque discimus sperare, confidère et patientes esse. Incipiens ergo proficiens, et perficiens fides una eademque est; semper enim in eandem imaginem transformamur; verbum autem est datum, ut exerceatur et te exerceat singulis diebus et horis, donec crescas in virum perfectum. Ita Pharao quidem nondum intelligit, nec novit loquentem Deum per somnium.

Evigilavitque Pharao, et ecce somnium erat.

Somnia divinitus oblata ita imprimuntur somniantibus, ut sentiant motus acriores, quam in vulgaribus somniis aliorum hominum et animalium etiam; item sensus in Pharaone fuit, et Deus movit cor ejus, ut observaret somnium, praesertim iteratum. Sicut Nebucadnezar cum somnii non meminisset amplius, tamen impressionis non poterat oblivisci, ac talia quidem plerumque exponuntur divinitus, cum a Deo orta sint.

Mane autem facto conturbatus est spiritus ejus, mittensque convocavit omnes magos Aegypti et cunctos sapientes, narravit-

que eis Pharao somnium suum, nec erat qui ea Pharaoni interpretaretur.

Sentit Pharao esse revelationem, et non intelligit, itaque venit Spiritus sanctus et interpretatur. Porro conturbatio ista non fuit vehemens et terribilis, sed animus perculsus et accensus fuit desiderio cogitandi, quidnam sibi haec somnia vellent, ideo mittit per totam Aegyptum, qui accersant magos et sapientes.

חַרְטֻמִּים in Exodo sunt sacerdotes, qui se opponunt Mosi, quaelibet enim natio habuit suos doctores: Magi in oriente, Chaldaei in Babylone, Sophi in Graecia, Sapientes apud Romanos fuerunt celebres, instar praelatorum aut sacerdotum, sicut Romani praeter Iureconsultos etiam habuerunt sacerdotes et doctores, qui profitebantur religionis doctrinam, et aliarum artium naturalium et magicarum, nec defuerunt illis auditores, qui easdem discerent.

Aut si cui hoc magis placet, sentiamus eos fuisse stipendiis regis conductos ad instituendam juventutem, et habuisse scholas in quibus docuerunt religionem, et artes tam bonas quam malas; plerumque enim haec miscentur, utcunque repurgata sit doctrina, praesertim in magnis imperiis, sicut nos hodie veram religionem, alii vero, ut Parisienses et aliarum Academiarum professores Papisticam et falsam tradunt, et tamen Theologorum, Doctorum, Magistrorum titulos gerunt, sic olim inter Philosophos sectae fuerunt; habet enim Satan suos quoque doctores in omni genere studiorum.

Isti vero fuerunt duces et magistri et interpretes religionum et ostentorum, quos omnes vocavit rex, et narravit eis somnium, quod non possunt interpre-

tari; sed hac via adducentur et praeparabuntur ad scholam Ioseph, der soll sie alle zur Schule führen, qui debet eos erudire ac docere veram religionem, estque hic locus parasceue ad fructum quem oportuit Ioseph in Aegyptum ferre, et ad gratiam quam suis delatoribus et carnificibus retulit: compensavit enim pessima et crudelissima facta optimis fructibus, sicut Deus sinit solem suum oriri super gratos et ingratos.

Loquutus est ergo praefectus pincernarum ad Pharaonem et dixit: Subeunt mihi hodie peccata mea: Pharao iratus adversus servos suos, conjecerat me et praefectum pistorum in carcerem, in domum principis laniorum. Somniabamus autem somnium ego et ille eadem nocte, uterque juxta somnii sui interpretationem somniabamus. Erat autem ibidem nobiscum puer quidam Hebraeus, servus praefecti laniorum, cui cum recenseremus, interpretatus est nobis somnia nostra, utrique juxta suum somnium; quemadmodum vero interpretatus est nobis, sic evenit, nam me restituit loco meo, illum vero in crucem egit.

Haec omnia dicuntur ad occasionem liberationis Ioseph: loquitur pincerna cum reverentia debita regi, et recitat sua peccata, ac gratias agit pro beneficio et clementia regis, qua fuerat servatus; ideo autem tam prolixe haec commemoravit, ut posset commode mentionem facere adolescentis Ioseph, quamquam satis diu cessavit, nisi forte ante hoc tempus occasio narrandi defuerit, aut quod verisimilius est, rex et aula eam commemorationem vilipenderit, tanquam rem

inutilem aut vanam, cum rex nullum unquam somnium somniasset, nec tali interprete opus haberet. Supra tamen Moses dixit traditum esse Ioseph oblivioni, itaque non potest omnino culpa liberari, quamquam usitatum est omnibus aulis, ut talia negligant et contemnant, bis das Wasser über die Körb gehet. Iam vero tempus et necessitas flagitat, ut ratio habeatur Ioseph, da gehts nun an.

Mittens ergo Pharao vocavit Ioseph, et illico eum eduxerunt e fovea.

Interpres quaesitus est per totum regnum inter omnes sapientes et ariolos et haud dubie ingens praemium positum fuit; sicut Nebucadnezar et Balthasar in historia Danielis faciunt, ita magna pompa et apparatu omnia gesta sunt, et quia certatim omnes regi obsequi et gratificari cupiunt, ideo festinant educere Ioseph, nec obstat quod peregrinus, exsul, captivus et vinctus est in carcere, sentiunt enim plurimum momenti in vera interpretatione esse. Ac certum est etiam magna imperia et regna habere sua pericula et incommoda; plerumque vero plus timoris est de malis, quam spei de bonis futuris, et somnia haec ejusmodi erant, ut vaccas pingues faustam significationem habere, macilentas vero sinistri ominis esse facile appareret.

Haerent igitur suspensi animis inter spem et metum, nec possunt conjicere, pacem ne an bellum portendant. Neque defuerunt conjectores, qui varia divinarent, sicut Lyra ex Iudaeorum commentariis recitat, ac quilibet gratiam apud regem inire, ac palmam ferre voluit, sed Dominus suscitat inopem de stercore, ut collocet eum cum principibus; non vult

largiri donum illud interpretationis proceribus et sapientibus in aula, nec sacerdotibus et doctoribus in templis et scholis, sed donat pauperi, exsuli, abjecto, damnato, jamque sequitur subita ejus exaltatio.

Detonsus vero et mutatis vestibus venit ad Pharaonem, et dixit Pharao ad Ioseph: Somniavi somnium, nec est qui interpretetur illud, et ego audivi loqui de te, quod possis somnia quae audieris interpretari.

Rex admodum clementer eum compellat et refert aliorum laudes: Alii, inquit, praedicaverunt mihi excellentem sapientiam et gratiam, quod non solum tua somnia possis interpretari, sed et visa ab aliis, qui nec sua nec aliena intelligunt. Est insignis commendatio, et postea ingentia praemia sequentur, quamvis rex jam nihil promittit.

Respondit Ioseph Pharaoni et dixit: Non ego, sed Deus respondebit, quae ad pacem sunt Pharaonis.

Memorabilis locus est de potestate politica; non enim verba sunt adulantis, cum dicit: Absque me respondebit Deus pacem Pharaoni, sed reverentis et honorantis magistratum, neque sic accipienda sunt, quasi dubitet an possit intelligere somnium propositum, quia haud dubie fuit vir sanctus, plenus Spiritu sancto, nec processit secundum gesta et vires liberi arbitrii, sicut nos cum de Alexandro Magno, Scipione et aliis heroibus audimus, qui res praeclaras gesserunt sine verbo et invocatione, somniamus nos pares iis esse fortitudine et aliis virtutibus, et praestantissima quaeque eorum facta imitari posse, verum fortuitae tantum,

ac promiscue in quoslibet diffusae virtutes et actiones illorum fuerunt, non exempla ad imitationem proposita.

Talis non fuit Ioseph, qui rationis aut liberi arbitrii consiliis et sapientia niteretur, sed meditatus est in lege Domini die ac nocte, et ardenti fide Deum invocavit; fides autem non est otiosa, sed exercetur verbo et oratione. Econtra homines profani, qui sunt sine verbo et oratione, licet multa praeclare faciant, ut Alexander et alii heroes, tamen sunt fortuita et dispersa dona, sicut sol super bonos pariter et malos radios spargit, ac talia sunt omnia bona temporalia.

Biblia vero non sic docent de administratione rerum politicarum, sed loquuntur de piis incedentibus in verbo et invocatione; itaque et Ioseph nihil egit sine precibus ad Deum, praesertim cum evocaretur ad interpretationem somnii regis, ibi haud dubie oravit: Domine Deus, vocor ad enarrationem somnii regii, da gratiam et Spiritum sanctum, ut possim recte interpretari. Ideo venit in fide, nec dubitat de significatione ejus, sicut Daniel quoque impetrat a Deo humili oratione, ut monstretur visio Nebucadnezaris et interpretatio simul.

Est igitur haec vox humiliantis se coram magistratu: Etiam absque me respondebit Deus quae ad pacem sunt Pharaoni. q. d. Etiamsi ego non respondero, qui sum indignus tanto dono, tamen Deus inveniet aliam interpretem.

Haec reverentia erga regem memorabilis est, quia statuendum est politiam esse ordinationem divinam, perinde ut conjugium et Ecclesia et quidquid boni in illis ordinibus fit, divinum est et impetratum a Deo precibus piorum. Sic enim ait sapientia Proverbiorum

octavo v. 15: „Per me regnant reges, et principes decernunt justitiam." Rursus vero cap. 28, 2: „Propter peccata terrae multi principes ejus." Item: „Leo rugiens et ursus esuriens princeps impius super populum pauperem." Et Hiob capite 34, 30: „Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi." De his non dicitur: Per me reges regnant, sed quando Deus favet alicui ditioni, in ea regnat ipse per magistratus, sin irascitur, tum principes decernunt iniqua, deglubunt populum et multiplicant impietatem et idola in terra, sicut apparet in Manasse, Ahab et aliis.

Cum igitur sciat Ioseph politiam esse administrationem et ordinationem divinam, humiliat se et refugit, cum vocatur ad consilium tantae majestatis; fuit enim vir sapiens et intelligens, ideo cogitavit: Quid ego miser homuncio consulam regno Aegypti, et regi potentissimo? Est divina ordinatio, et eam gubernare non est puerorum, nec impiorum, nisi cum fortuito dono et misericordia dederit Deus heroem aliquem, Alexandrum, Scipionem, Augustum etc., sed consequentia et imitatio illorum exemplorum nihil valet, sicut Absolon regnum patris invadit, et arrogat sibi potestatem judiciorum et totius administrationis regiae 2. Samuelis 15, 4: „Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem?"

Homines stolidi et arrogantes non intelligunt, quanta res sit servire ordinationi divinae in imperiis; aut enim comicum illud somniant: Me regem esse oportuit, aut cum reges et principes se natos esse intelligunt, simul etiam sapientiam et vires idoneas ad regnandum sibi arrogant. Profecto non est humani consilii et prudentiae imperare aliis, et manifesta stul-

titia et furor est impiorum, qui ambiunt et ingerunt se rebuspublicis, quas tandem etiam evertunt, nisi Deus fortuito miseratus rerum communium objiciat Alexandrum aut similem aliquem heroem. Tamen non valet ratiocinatio a talibus exemplis; illi sine luce divina feliciter et magna laude praefuerunt aliis, ergo eodem successu et ego utar, quia est dissimilitudo infinita.

Itaque qui accedunt ad rempublicam, aut quamcunque aliam gubernationem, qui adhibentur ad consilia aularum, ad humilitatem et timorem Domini se parent, sicut Pharao ethnicus rex non nititur sua prudentia, sed cum reverentia consulit alios, qui valent judicio in rebus politicis et religione; multo magis vero Ioseph reveretur et timet Deum, ac modestissime respondet ad petitionem regis, ah was bin ich? Gott kanns wohl durch ein andern machen.

Haec exempla diligenter observanda sunt, nec dubitandum est politicam potestatem esse rem divinam ordinatam ad utilitatem hujus vitae et Ecclesiae quoque, cui servit, quando colit et conservat pacem, quamquam ipsa aliam administrationem habet, quae pertinet ad futuram vitam; deinde cum constet esse ordinationem Dei, non in manibus et consiliis nostris positam, debemus flectere genua, et cum reverentia et timore invocare Deum: Domine Deus ego sum princeps, magistratus, consiliarius, praefectus, concionator, doctor, tua autem est gubernatio, tuum est regnum, judicium et consilium omne, da mihi hanc gratiam et facultatem, ut sint felicia consilia et actiones meae; non sic sentiendum est, ut multi gloriantur insulsissime, se tantum valere judicio, consilio et eruditione, ut vel decem imperiis praeesse queant; haec

jactantia sane causa est tot confusionum et tumultuum in republica.

Nostri monarchae non habent hoc donum, ut pecuniam, robur, arma et exercitus suos vertant in externum hostem, in Turcas pro Ecclesia, sed mutuis caedibus in viscera patriae grassantur, quia non orant, sed praesumunt. Norunt se esse reges et somniant regnum in sua potestate esse, darum fallen sie in einander, und schlagen einander selbst todt; so recht, also soll es gehen, nituntur sua sapientia sine timore Dei. Ibi non habet locum vox sapientiae: Per me regnant reges, et decernunt justa; decernunt quidem hi, sed injusta, inutilia, et perniciosa patriae et rebus communibus.

Si hodie gubernacula hujus imperii teneret David, oraret et propagaret regnum contra hostes; nostri reges sinunt Turcicos exercitus grassari in Pannonias et Germaniam, nec tuentur subditos, quia non cogitant gubernationem imperii esse Dei opus, sed potius sui ingenii et prudentiae: hinc natum est tritum illud sermone proverbium: „Aut regem aut fatuum nasci oportuit," non enim potest aliter fieri, nisi Deus fortuitum donum dispergat in mundum, et donet principem aliquem sapientem et felicem sine verbo.

Haec est doctrina quae proponitur in exemplo Joseph, qui se humiliat, et judicat indignum, qui vocetur ad hoc munus, ut sit interpres somniorum et consiliarius tanti regis, q. d. Deus non indiget mea opera, potest invenire alium, qui sapientia et doctrina me longe antecellat, tamen faciam quod potero. Ad hunc modum accedendum est ad Ecclesiam, ad imperia et ad quamcunque gubernationem cum humilitate et timore Dei. Nisi enim Dominus rexerit consilia,

non erunt exitus prosperi et salutares, sicut inquit ipse: Penes me est consilium et successus, item: Ego sum intelligentia, mea est fortitudo, sive efficacia et victoria, mein ist beide Rath und That, wenn ich nicht rath, so geht man irr, wenn ichs nicht thu, so richt man nichts aus.

Sic in conjugio non praesumes te talem maritum fore, qui idoneus sit ad regendam domum, nec spectabis illam furiam aut libidinem carnis, qua suaviter amplectaris uxorem, ac fruaris omnis generis voluptatibus citra omnem molestiam et crucem, sed diligenter tenebis, quod sit administratio et conjunctio divina. Deus enim creavit marem et feminam, et conjunxit eos; sic igitur orabis; Domine Deus hoc genus vitae tua ordinatio est, oro tè, ut des mihi puellam, cum qua possim vivere tranquille, honeste et in amore ac consensu mutuo, da et liberos quos pie et liberaliter educare queam.

Verum sicut principes in politia hanc doctrinam aspernantur, ita nec mariti in oeconomia ejus meminerunt, ideo videmus mundum plenum esse querelis et calamitatibus, justo Dei judicio, siquidem non incedunt in verbo et oratione, sed praesumtione propria, ac fingunt sibi futuros successus et exitus, qui tandem longe aliter cadunt, quam cogitaverant. Non credunt Deum creasse masculum et feminam, sed esse fortuitam quandam copulationem, quae Deo non sit curae.

Non igitur de nihilo est quod peculiares ritus adhibentur in Ecclesia ad jungendos conjuges, item ad ordinandos ministros Verbi: benedicimus enim sponsum et sponsam, recitamus verba institutionis divinae, invocamus Deum, ut velit tueri hunc ordinem, ministris

vero imponimus manus, et simul fundimus preces ad Deum, tantum ut testemur esse ordinationem divinam cum in his tum in aliis omnibus statibus Ecclesiae, politiae et oeconomiae.

In Papatu haec doctrina prorsus ignota fuit et sepulta, finxerunt enim homines Ecclesiam nihil aliud esse, quam coetum quendam pontificum, cardinalium, episcoporum etc.; non habuerunt hanc lucem verbi Dei, non invocationem, nec humilitatem et reverentiam institutionis divinae; diligenter igitur observandum est exemplum Ioseph, qui non sine vocatione, nec sine precibus, sed cum debita reverentia et meditatione verbi accedit ad consilium regium et interpretationem somnii, ideo feliciter omnia cadunt Deo adjuvante et aspirante.

Locutusque est Pharao ad Ioseph: Cum somniarem, visus sum mihi stare super ripam fluvii, et de ipso flumine ascendebant septem vaccae pingues carne et forma pulchrae, pascebanturque in prato. Et rursus ascenderunt post illas septem aliae vaccae, tenues quidem et admodum deformes ac macilentae, quales non vidi in tota terra Aegypti, et devoraverunt vaccae illae macilentae et deformes septem priores vaccas pingues. Et quamquam ingressae essent in viscera illarum, animadverti tamen non poterat illas in viscera istarum transisse, sed aspectus illarum erat, ut prius, deformis: et evigilavi. Et iterum vidi in somnio meo septem spicas pululantes ex uno culmo plenas et pulchras, et rursus

septem spicae marcidae, tenues et orientali vento percussae pullularunt post priores, et devoraverunt spicae illae tenues septem spicas bonas. Haec narravi Magis, verum non fuit qui edissereret.

Haec est recapitulatio superioris somnii. Grammaticam vero commendo Hebraeis explicandam. Ventus orientalis ubique celebratur, quod sit urens et exhauriens; eo enim flante clauditur et exsiccatur terra, ac plus nocet quam aestus solis. Inde enim oritur rubigo sive uredo in segete, verbrannt schwarz Korn, propterea quod culmi non possunt crescere ob nimiam siccitatem. Verbum צְנֻמוֹת relinquo Hebraeis, est enim unum de vocabulis ignotis in lingua Hebraea, cujus expositio sumenda est ex circumstantiis, cum nusquam alibi exstet nisi hoc loco. Alii verterunt exiguum, tenue, eos nos quoque secuti sumus.

Et respondit Ioseph Pharaoni: Somnium Pharaonis unum est; quae enim facturus est Deus ostendit Pharaoni.

Hic textus ad praecedentia pertinet. Non enim est conjectura, nec opinio somnii, sed fortis impressio et revelatio, imo prophetia proprie sic dicta, quia fatetur Ioseph hoc somnium esse verbum Dei et propheticum, sicut testantur verba ipsius: Deus annunciat Pharaoni etc., quod proprium est prophetiae, quae nihil aliud est, quam verbum de factis vel operibus Dei futuris; cum autem somnium Pharaonis ejusmodi sit, recte dicitur prophetia Dei.

Nec profert Ioseph verba illa ex imaginatione aut conjecturis et doctrina Magorum ac sacerdotum, quae sunt incertae opiniones et suspiciones, sed sequitur

unicam et certam sententiam verbi Dei, itaque Spiritus sanctus adfuit, quem impetravit meditatione verbi et oratione, sicut Daniel, et videt se vocari ad gubernationem regni Aegyptii, ad quam sine ulla ambiguitate et dubitatione pergit.

Ratio utcunque potuit intelligere septem macilentas vaccas significare in genere aliquid mali, et econtra pingues bona denunciare, id quod Pharao ipse et haud dubie alii quoque sapientes facile divinarunt, sed in genere seu individuo nihil certi potuerunt statuere. Item vaccas posset aliquis referre ad muliebrem sexum, quasi septem femellae ex stirpe regia morituraе, aliae vero septem superstites futurae essent, aut ad septem familias locupletes et septem inopes ac afflictas.

Haec habent quidem aliquam speciem sapientiae et judicii non omnino absurdi, sed procul absunt a vero et prophetico sensu, nemo enim potuit hoc affirmare, quod septem vaccae significarent totidem annos fertilitatis aut famis, sed postquam monstrata est interpretatio cum eventu, ita clara et plana apparet, ut quilibet eam perspicere potuisse videatur, ac multos sane invenias, qui se eadem facilitate, ac sine omni negotio fuisse assecuturos somniant, perinde ut hodie fanatici et Suermeri ea quae a nobis audiverunt sibi arrogant, ac laudem sapientiae quaerunt in insectandis aliorum laboribus.

Nihil vero dubium est hanc explicationem sapientissimum et doctissimum quemque in eo regno valde exercuisse, sed ab omnibus frustra sudatum est, quia regum et publicarum personarum somnia sunt prophetiae, et requirunt interpretem Spiritum sanctum, aliis vero clausa et abscondita sunt, sicut prophetiae de

regno Christi domituro totum orbem terrarum apud Jesaiam et alios, tametsi clarae sunt, tamen non patent omnibus: Iudaei enim gladios et vim corporalem somniant, et fuerunt sane obsignatae et absconditae, donec Christus et Apostoli solverent omnia claustra et docerent fore regnum spirituale liberans a morte aeterna et locupletans divitiis coelestibus et aeternis.

Iudaeis vero etiamnum clausa sunt quae praedixerunt Prophetae cum de Christo, tum de matre ejus, sicut dicitur apud Jesaiam capit. 29, 11: „Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati.“ Ioseph itaque habet spiritum propheticum, ideo dextre respondet Pharaoni: Somnium regis unum est, cum tamen duae essent visiones vaccarum et spicarum; ratio autem destituta spiritu, necessario judicasset diversa esse somnia, quamquam nunc post revelationem divinam cuivis eadem esse videantur, sicut Lyra quoque pulchre causas interpretationis fingit: ait enim apte significari annos famis et fecunditatis per vaccas tenues et pingues, siquidem boum labore terra colitur, atque idem per spicas commode designari, cum spicae colligantur tempore messis, sive ea tenuis sit, sive copiosa. Sic scilicet a posteriori reddit rationem hujus expositionis, postquam divinitus ea patefacta est; ego quoque si scirem per singulas vaccas singulos annos, et per pinguedinem fertilitatem eorum et econtra designari, reliqua facillime colligerem.

Sed si abesset spiritus propheticus, haud dubie omnes hallucinarentur in vaccarum significatione, nam in scriptura sancta saepe populos et civitates aut magistratus designant, ut Psalmo 68, 31: „Congregatio taurorum in vaccis populorum.“ Ibi tauri appellantur principes et magistratus, vaccae populorum civita-

tes et provinciae, non inepte igitur septem provincias vel civitates opulentas, per septem vaccas pingues, et econtra intellexisset, atque haec politica expositio est, cui et theologica addi potest, ita ut bos doctorem in Ecclesia, vaccae autem populum vel sacrificium denotent; sed quis judicabit utra sententia sit propria, genuina et certa? cum tamen spiritus propheticus non debeat esse aequivocus, nec deceat eum ambigue loqui, sed proprie et univoce, ita ut certi aliquid statuatur.

Itaque nemo hoc suopte ingenio et sagacitate deprehendisset, septem vaccarum visionem oeconomice accipiendam esse, hoc solius Spiritus-sancti opus fuit, illustrantis cor Ioseph, sicut ipsemet fatetur cum reverentia et gratiarum actione: „Deus, inquit, annunciat Pharaoni quae faciet, non ego," et supra: „Interpretationes sunt Dei, q. d. Hoc somnium vere prophetia divina est, qua Deus docet de bonis et malis impendentibus, et testatur te sibi curae esse; divina visio est, non humana, ideo certa et vera est interpretatio, monstrata divinitus.

Porro hoc quoque ad illum locum referendum est, quem supra tractavimus. Quando Deus bene vult alicui regioni, donat populo bonos principes, et eos gubernat juxta illud Proverb. 8, 16. „Per me reges regnant, et principes decernunt justa," quod non potest fieri, nisi per sapientiam divinam, quae regit principes in salutem subditorum, nimirum quando loquitur cum regibus et principibus, nec loquitur tantum, sed et interpretatur suum sermonem. Talia imperia sunt sane optima et florentissima, princeps enim, ut est apud Jesaiam 32, 8. ea quae digna sunt principe cogitabit, et perseverabit in liberalitate.

Hic vero requiruntur ejusmodi gubernatores aut consiliarii, qualis hic Ioseph fuit, donati a Deo, quem oportet suggerere sapientiam et consilia principibus sive in propria persona, sive per Naaman aliquem Syrum, aut Nathan apud Davidem, qui habent consilium Dei, habent verbum et prophetiam Dei. Haec est salus et benedictio terrae, ubi Deus non solum ordinat et instituit politiam, sed et gubernat singulari bonitate et gratia.

Insignis igitur et memorabilis haec concio est, quam habet Ioseph apud regem: Deus loquitur tecum o rex, et nunciat tibi res maximas, quas gesturus est in tuo regno; ego non sum, qui haec edisseram, sed Deus in somnis per visionem tibi revelat; hoc beneficium decet te agnoscere. Fuit itaque prophetia in illo populo et Ioseph fuit salvator Aegypti, ea vero si desit, turbantur imperia, sicut inquit Salomo Proverbiorum 29, 18. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus, sin adest prophetia, hoc est, consilium divinum et verbum ac princeps ei obsequitur, eam profecto rempublicam vere beatam ac florentem dixeris. Ac tale tum fuit regnum Aegypti, non pollutum criminibus et flagitiis enormibus, propter quae solet Deus punire et evertere imperia per tyrannos, sed Deo placens et gratum, siquidem tam clementer ei prospicit ad futuram famem.

Ideo inquit Ioseph: Gott hat dich lieb, quia revelat tibi opus et voluntatem suam. Atque ita commendat et ornat politiam, quia vult cum humilitate et timore Dei servire et consulere, et monet quoque regem, ut cogitet se esse in administratione divina, et opus habere invocatione. Quid enim profuissent omnium sapientum et sacerdotum consilia, cum futura fames ipsis quidem ignota esset? quin et regi et toti

regno simul pereundum fuisset. Humiliare igitur o rex, et agnosce Deum, qui dat verbum et interpretationem, quam si fueris amplexus, regnum tuum felix erit ac laudatissimum apud Deum et homines.

Deinde illud quoque notandum est hoc in loco, quod Ioseph non imposuit Aegyptiis legem circumcisionis et alias observationes patrum, fuit enim doctor Aegypti, et vicinorum populorum, sicut testatur Psalmus 105, sed nihil aliud proposuit, quam cognitionem veri Dei, conditoris coeli et terrae; non mandavit eis, ut circumciderentur aut patrum legibus uterentur, sed simpliciter doctrinam de Deo, quem ipse colebat, tradidit; fuit episcopus totius Aegypti, erudiit regem, principes et sacerdotes et totum populum, ideo fuit florentissimum regnum illo tempore, non solum fertilitate et aliis bonis corporalibus, sed etiam illuminatione verbi Dei; ac rex ipse leges disciplinae admodum severe, haud dubie, tueri solitus est, sicut apparet in exemplo principis pistorum, ideo ornat et donat eum Deus verbo et prophetia de futuro opere, ut supra dixit textus.

Talia exempla opponenda sunt furoribus Iudaeorum et Sabbathariorum, qui nuper exstiterunt in Austria, et homines ad legem circumcisionis servandam adigere conati sunt, quasi non possint salvari, nisi circumcidantur; supra etiam Abimelech et Pharao, superstite et docente Abrahamo absque circumcisione amplexi sunt doctrinam de Deo, item Ninivitarum et Babyloniorum rex etiam non sunt circumcisi, sed contenti fuerunt verbo et cognitione veri Dei absque ceremoniis populi Israelitici et circumcisione.

Septem vaccae elegantes sunt septem anni, et septem spicae bonae itidem septem anni

sunt, unum idemque est somnium; septem vero vaccae macilentae et tenues, quae post priores ascenderunt, septem sunt anni, et septem spicae vacuae et Euro exhaustae septem anni sunt famis. Hoc est verbum quod loquutus sum ad Pharaonem, id quod facturus est Deus ostendit Pharaoni. Ecce venient septem anni fertilissimi per totam terram Aegypti, et deinde venient post illos septem anni famis, et oblivioni tradetur cuncta abundantia per terram Aegypti, et fames conficiet terram ipsam, nec cognoscetur ubertas in terra ob famem illam supervenientem, nam gravissima erit.

Septenarius numerus utrinque septem annos designat, estque eadem significatio duplicis signi, perinde ac si duo testes ad eandem causam adhibeantur, nulla est diversitas in utraque visione. Ceterum in septem spicis et vaccis bonis ac elegantibus omissa est fertilitatis mentio, quod est mirabile, sed ad vaccarum macilentarum signum additur famis significatio, et ex contrario facile intelliguntur septem anni fertiles.

Repetit autem quod Deus et famem et fertilitatem daturus sit terrae Aegypti. Hoc prae foribus est, inquit, ideo ostendit tibi Deus per visionem, ac te honorat et ornat prae aliis regibus Assyriorum et Babyloniorum hoc mirando opere, darum dank unserm Herrgott, er meinets gut mit dir.

שֶׁבַע et שָׂבָע duo vocabula sunt propter punctorum diversitatem, et significant septem, saturitatem et juramentum, unde locus Beerseba supra Cap.

21, 32. sic dictus tres ob causas: primum propter saturitatem, deinde ob juramentum, tertio propter agnos. Ceterum iisdem literis scribuntur remotis punctis, quae aequivocatio etiam prophetae alicui imponere potuisset, nisi adfuisset Spiritus sanctus, sed haec interpretatio et prophetia certa est, qua Spiritus sanctus loquitur per Ioseph ad Pharaonem.

Quod vero iteratum est somnium super Pharaonem, significat quod firmiter decretum est hoc a Deo, festinabitque Deus id ut perficiat.

Reddit rationem quare sit duplex somnium, et tamen eandem rem significet, quia quod Deus loquitur certum est, et celerem eventum habebit, ideo sunt veluti duo testes unius causae, es soll gewifs sein und bald kommen, Deus non relinquet te dubium et incertum.

נָכוֹן certum, firmum, solidum significat Psal. 51, 12: „Et spiritum rectum innova in visceribus meis," et Psal. 5, 10: „Non est rectum in ore eorum," id est, non habent doctrinam certam, sed opiniones, dubitationes, superstitiones, vagas sententias, sunt battologi, Wäscher, sed nihil firmi aut certi docent, quo possit niti conscientia.

Itaque spiritus rectus aut certus est qui reddit nos certos de voluntate Dei, qui non sinit nos dubitare, sed efficit hoc quod Paulus monet: „Unusquisque suo sensu abundet." Rom. 14, 5. Item 1. Thess. 1, 5. „Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu sancto," *καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ*, quae certitudo necessaria est in omni genere doctrinae, praesertim sacrae. Certus

enim esse debeo, quid mihi de Deo sentiendum sit, vel potius quid de me ipse sentiat, ac horribilis error fuit doctrinae Pontificiae, qua hominibus auctores fuerunt, ut ambigerent de remissione peccatorum et gratia; agnosces te peccatorem esse, dixerunt, ac talem qui non possit esse certus de sua salute. Sic totus mundus submersus fuit dubitatione et opinionibus errantibus de Deo.

Discendum igitur est Deum non esse incertum, ambiguum, aequivocum, lubricum, instar vagae arundinis, sed esse univocum et certum, qui dicit: Baptizo te in nomine patris et filii et Spiritus sancti, absolvo te a peccatis tuis etc. Ibi pater, filius et Spiritus sanctus non errant, non agitantur a vento, sed sunt rupes et Sela, ut saepe in psalmis appellatur Deus, quod sit firmissimus, quo solide possis niti, ac dicere: Sum sanctus, salvus, sum filius Dei et haeres Dei, quia sum baptizatus.

Ac procul removendae sunt dubitationes monasticae, nec dicendum est: En feci quod debui, sed placeatne Deo annon, haud scio, non est currendum in incertum, aut quasi aerem ferientes, ut ait Paulus 1. Cor. 9, 26., nostri gressus sint firmi et certi, ut cum fiducia dicamus: Ego dormio in nomine Domini, et scio somnum meum placere Deo; sin vigilo et usitatas operas vocationis obeo scribendo, legendo, meditando, invocando, non dubito eas Deo gratas esse, ac si scirem ipsi displicere, potius ab iis abstinerem, sed certus sum me Deo placere cum omnibus actionibus meis, non propter me qui hoc facio, sed propter Deum miserantem, ignoscentem, amantem et ducentem Spiritu sancto.

Haec certitudo et πληροφορία retinenda est,

alioqui enim Baptismus irritus et absolutio et usus Coenae Domini inanis esset, sicut sub Papatu idem nobis accidit quod ait Paulus: Semper discentes et nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes: horribilis enim caecitas fuit et error omnibus modis exsecrandus, etiamsi nihil praeterea peccatum fuisset in Pontificum doctrina, quod docuerunt nos vagari et fluctuari ambigentes et dubios de nostra salute; nam haec incertitudo tollit mihi meum Baptismum et gratiam, frustra sum Christianus, frustra laboro et vivo.

Itaque orat Propheta: Et spiritum rectum innova in visceribus meis, gib mir ein rechten gewissen Glauben (Psalm. 51, 12.) da mihi certam et firmam fidem, quae non claudicet in duas partes, sicut Baalitae, qui erant aequivoci in cultu, laborabant, sacrificabant, macerabant et crucifigebant carnem et tamen incerti erant an placerent Deo. Discite igitur ante omnia, et assuefacite animos vestros, ut tota vita vestra certa sit et firma juxta illud Hebr. 12, 12. „Genua lassa erigite, et facite certos gressus vestros." Et 2. Petri 1, 10. „Certam facientes vocationem vestram; manete in vocatione." Et sic statuite: Ego sum baptizatus, sumpsi corpus et sanguinem Christi, sum absolutus, Deus non fallet me; cur igitur fallerem ego, et dubitarem, cum sciam opera Dei esse bona et certa? Quidquid postea egero, de eo possum affirmare esse bonum opus, et haud dubie placens Deo, propterea quod fides non dubitat, econtra omne quod non est ex fide, peccatum est, Rom. 12, 23. Si dubitaveris sine intermissione peccabis, quia non credis te placere Deo, ac multo satius esset cessare ab omnibus operibus, donec fieres certus, quam in vanum

currere et laborare, necesse enim est nos fieri נְכֹנִים certos, solidos, firmos.

Hoc igitur voluit Ioseph cum diceret ad Pharaonem: Deus dedit tibi duplex somnium, non ut incertus esses, aut suspicareris aliud per spicas significari, quam per vaccas; sed ideo repetitum est, ut scires celerem futurum eventum eorum quae praedicta sunt. Non igitur causam habet ambigendi aut dubitandi, quia enim rex placet Deo, ideo dat ei firmam et certam interpretationem, quae ipsi et toti regno salutaris est, sic ut solet Deus propter peccata populi dare principes et reges impios et ineptos, propter fidem vero et pietatem subditorum, bonos et salutares. In politia Israelitica subinde excitavit Prophetas, qui verbo gubernabant populum, extra potestatem regiam, ideo occidebantur a regibus.

Ceterum regula haec diligenter notanda est: In sacris literis tautologiam non esse otiosam, sed confirmationem nostrae fidei, sicut Jesaias fere semper eandem rem dupliciter effert, non quod affectet laudem copiae, aut sit tautologus, sed ut certitudinem fidei adserat, ut simus certi de Deo promittente et loquente.

Ex hac vero prophetia haud dubie multas praeclaras conciones hausit Ioseph, diligenter enim et varie eam tractavit docendo, disputando, conferendo cum proceribus regni et sacerdotibus, atque ita plantavit verbum et verum cultum Dei in Aegypto. Iam addit consilium ad interpretationem, delectatur enim Spiritus sanctus per eum loqui cum rege, et plus dat quam speravit aut flagitavit rex. Petiverat tantum interpretationem somnii, ea datur copiose, et insuper additur consilium, quomodo debeat uti benedictione

ista septem annorum fertilium, ad sublevandam inopiam et famen annorum sequentium.

Nunc ergo provideat sibi Pharao virum aliquem prudentem et sapientem, et praeficiat eum terrae Aegypti; faciat et hoc Pharao, ut constituat praefectos super terram, et accipiat partem quintam de terra Aegypti per septem annos ubertatis; congregent quoque omne alimentum per annos bonos sequentes et convehant frumentum sub manum Pharaonis et annonam per civitates conservent, eritque alimentum hoc ad reservationem regionis septem annis famis, qui futuri sunt super terram Aegypti, ne terra fame conficiatur.

חָכְמָה sapientiam significat sive judicium et industriam, aut observationem, quod est officium dialecticae in observandis et cavendis laqueis, fallaciis et sophismatibus, quae nectuntur ad evertendam sapientiam. Talem igitur vult deligi Ioseph, qui sit cautus et acerrimo judicio praeditus, qui non facile falli aut circumveniri queat, virum prudentem et industrium jubet primum praefici toti regioni, post alios quoque praefectos constitui; hoc consilium nunquam venisset Pharaoni, aut ulli consiliariorum in mentem, ac sapienter illud cogitavit, necessarium fore, ut pluribus praefectis rei frumentariae addatur episcopus aliquis, aut visitator supremus, a quo ceteri pendeant.

פְּקִדִים praefectos vertimus, sicut fere Psalmo 109, 8. usurpatur: „Episcopatum sive praefecturam ejus accipiat alter.“ Aliter vero Psalm. 111, 7. „Fidelia mandata ejus etc. Haec relinquo Hebraeis, quia פָּקַד

est unum de elegantissimis vocabulis Hebraeae linguae, et significat visitare, constituere, recensere, numerare, deponere.

Existimo autem eos nondum recuperasse perfectam cognitionem linguae suae, quia ista aequivocatio unius et ejusdem vocabuli satis indicat ipsos magna ex parte propriam linguam ignorare, quod ad phrases et figuras sermonis attinet. Saepe enim pro varietate constructionis, vis et significatio vocis alicujus variatur, sicut in Germanica lingua vocabulum Recht latissime patet, ac saepe degenerat a simplici et genuina significatione, ut cum dico: Das ist der recht Schalk, hoc prorsus alienum est a primo significato, aut: der Acker wär mir recht, id nos quidem facile intelligimus, nec offendimur illa aequivocatione, sed in Hebraea lingua ubi eadem varietas est, neque tamen nobis est vernacula et usitata, non possumus veram vim phrasium assequi.

Hoc in loco autem פְּקִדִים significat praefectos, aut superintendentes, qui inspiciant et curent rem frumentariam in Aegypto, Kornmeister, Kornschreiber; supra enim audivimus tales fuisse episcopos aut principes laniorum, pincernarum, pistorum et ad curam frumenti imprimis magna cura et diligentia requiritur. Illa igitur exempla vidit Ioseph in Aegypto, et secutus est, pertinent enim ejusmodi ordinationes ad vitam politicam, et hoc sane divinum ac Spiritus sancti consilium est et prophetia, quod videt necessariam esse administrationem per praefectos, inspectores, episcopos, quia nulla potest esse gubernatio regum aut principum, nisi per tales visitatores et episcopos, die aufsehen, wacker sein und hüten.

Nos quoque habemus quaestores, consules et

alios magistratus, qui jussu principis praesunt reditibus et aliis muneribus, sed horum magna est diversitas: alii enim boni sunt, alii mali, satis quidem acres in inspiciendo, verum non pro republica, et commodis principis, sed instar luporum, vulpium, vulturum, milvorum ad rem privatam augendam.

Requirit autem Ioseph ejusmodi praefectos seu inspectores, qui partem quintam accipiant de terra, quod Hebraei uno verbo efferunt חִמֵּשׁ ut si Latine dicere liceat, quintare: quidquid nascetur frumentorum, inquit, annis fertilibus, de his reservetur quinta pars ad futuros annos famis; quae autem ratio fuerit hujus, ut ita dicam, quintationis, non narratur a Mose, neque est verisimile hoc consilii dedisse Ioseph, ut Pharao raperet frumentum populo, sed arbitror fuisse id negotii datum praefectis, ut emerent impensis et pecunia regia quintam partem proventuum per totum regnum, et in illa fertilitate et abundantia potuerunt subditi contenti esse quatuor partibus, ita ut quinta pars in horrea publica colligeretur. Spiritus sanctus monstravit hunc modum per Ioseph, in tanta fertilitate sufficere quatuor partes pro victu necessario, et reliquam asservandam esse ad sublevandam futuram famem et egestatem subditorum.

Haec enim politica et necessaria doctrina est hoc in loco tradita principibus, ad quos pertinet cura populi, ut provideant illi necessaria ad vitam, carnes, frumentum, vinum, praesertim in difficultatibus annonae. Hoc regium officium est, de quo admonetur Pharao a Ioseph, quia debent esse patres patriae et pastores, non ursi aut lupi, estque Spiritus sancti ordinatio, qui mandat principibus curam annonae et rerum necessariarum, et memorabile est exemplum illu-

strissimi principis Friderici ducis Saxoniae, qui non tantum horrea et granaria publica, sed et fossas ad eundem usum in campis paratas frumento et cellaria quoque vino repleri curavit; cum autem a Staupitio et consiliariis ob id reprehenderetur, respondit, se non avaritiae aut quaestus studio hoc facere, sed propter ignaviam civium et rusticorum, qui nihil cogitarent de futura fame, sed in diem viverent, colligere frumentum, ut haberet populus unde viveret in difficultate annonae," ac fuit sane sapientissimum, ac toti ditioni utilissimum consilium: prohibuit enim sua providentia, ne unquam vivo et gubernante ipso fieret annona arctior.

Talia officia digna sunt principibus et nostris moribus inprimis necessaria: nos Germani enim sumus ventres ac proci Penelopes, fruges consumere nati, postea vero famis tempore nihil reliqnum est, unde egestatem et nostram et aliorum sublevemus; principes igitur decet prospicere pauperibus, ac praecipue primae aetati, ne fame pereant, sicut Ioseph consulit regi, non ut rapiat quintam partem, sed emtam pretio congreget, propter futuram sterilitatem, ut Aegyptus et vicinae regiones ali possint.

Nos qui tali prudentia non utimur, nec cogitamus de periculo famis, tempore fertilitatis, saepe subito caritatem annonae experimur: desunt enim nobis horrea et promtuaria, ita fit ut statim accrescat pretium frumenti, si vel mediocres tantum proventus sunt. Ita non est avaritia, sed sapientia et pietas digna principibus providentia haec, quam docet Spiritus sanctus in hoc exemplo.

בָּר triticum significat. Quintam partem jusserunt praefecti convehi sub manum, id est, in horrea

Pharaonis, quatuor partes reliquerunt ad escam et sementem; haud dubie et ex rusticis ac civibus quidam eadem prudentia usi sunt in sua oeconomia, quia fuit immensa copia proventuum septem annis fertilibus, quae sequenti septennio absumpta est. In singulis civitatibus fuerunt ejusmodi praefecti, qui agros vicinos quintabant, fuit enim pulcherrime constitutum regnum, supremus vero episcopus fuit Ioseph, qui per totam terram Aegypti visitavit et inspexit granaria et rationes a praefectis exegit.

Ceterum quintationis infra 47. Cap. iterum mentio fiet, nos hoc in loco hanc sententiam retinemus, quod non fuerit ordinarius census, sed istis septem annis consilio Ioseph instituta. Infra fiet ordinaria, et septennio illo fertili admodum tolerabilis fuit.

Nostris temporibus nimium creverunt exactiones in Germania: hactenus quidem mediocres fuerunt, cum de viginti aureis unus penderetur, secundum jura, quae de centum exigunt quinque: haec non est quintatio, sed, ut ita dicam, vicesimatio. Iudaei habuerunt decimationem, de viginti dederunt duos, cum in frugibus, tum in tota substantia, ideo nos Germani fuimus hactenus illis feliciores. Postea Aegyptus magis gravata est, quam Iudaei, quamquam satis tolerabile fuit, si nullam aliam exactionem praeter quintationem illam tulit. Nos hodie crescentibus usuris, exactionibus et avaritia non solum quintamur, sed quartamur, et propemodum dimidiamur; Lipsenses usurarii et nobiles egregie nos expilant, accipiunt viginti aureos de centum, quae est quinta pars. Magistratus nondum tantum exigit, sed privati nebulones usuris extorquent quintam partem, cui accedunt postea exactiones et ordinarii reditus; qui igitur antea vicesimati fuimus, jam

quodammodo tertiati et dimidiati prorsus expilamur; nobiles et mercatores et aliae tyrannides machen, dafs wir schier kein Heller behalten.

Iudaeorum census etiam decimationem excesserunt: sacerdotibus enim dederunt decimas, regibus octavam vel nonam partem, postea de singulis capitibus certae pensiones fuerunt, postremo exhausti etiam sunt avaritia et aliis rapinis et expilationibus, cujusmodi hodie innumerae inventae sunt apud Germanos, atque iis sane res privatae et publicae miserabiliter accisae.

Adhuc igitur quintatio illa Aegypti non est ordinaria, sed collectio quaedam frumenti impensis regiis. Fuit autem id quoque sapiens et necessarium consilium, quod voluit ordinari ejusmodi inspectores, nam nostram rempublicam vide, in qua desideramus principes laniorum, pistorum et pincernarum: nemo est qui pretia rerum constituat, itaque pro libitu spoliant et expilant nos rustici, nobiles et usurarii.

Deinde vult Ioseph hanc collectionem esse לְפִקָּדוֹן regioni ad septem annos famis, id est, in depositum vel thesaurum terrae, quamquam non proprie exponi potest depositum, sicut Levitici 5, 21. 23. usurpatur et alibi. Ego libenter redderem repositum, sepositum, ut non sit frumentum illud in usu publico aut privato, sed depositum et reservatum ad futuram necessitatem, atque ita ut simul includat inspectionem et episcopatum.

Hieronymus in hoc toto capite magis paraphrastes quam interpres est. Nos secuti vocabulum ἐπισκοπεῖν vertimus germanice: Auf dafs man Speis verordnet find im Lande, hoc est, ut sit custoditum et ordinatum ad futuram famem; reliqua commendo Hebraeis et Iureconsultis de quintatione, qui non inve-

sient in suis libris usuras illas et expilationes, quas hodie falsarii et usurarii exercent; antiquae constitutiones jubent de viginti aureis unum pendere, jam vero duo aut tres exiguntur, et quotidie novae fraudes et exactiones excogitantur.

Placuit hic sermo Pharaoni et cunctis ministris ejus, et dixit Pharao ad servos suos: An inveniemus similem huic virum, in quo sit spiritus Dei?

Id quoque donum dei est, quod sermo hujus prophetae Ioseph placet regi et omnibus principibus, consiliariis, et inspectoribus et subditis, nam hos omnes appellat servos et ministros regis. Non solum igitur singulare beneficium Dei est, posse docere, sed et audire docentem, quia Diabolus hic excluditur, qui potens est calumniando et impediendo, aut alienando animos auditorum, praesertim ubi primum oritur verbum Dei, et prophetia non solum spiritualis, sed et ecclesiastica aut politica; itaque donum excellentissimum est, quod rex cum suis consiliariis mox admittit et probat hoc verbum Dei, sicut inquit Salomo Proverb. 20, 12. Oculum videntem et aurem audientem Deus facit utrumque.

Sunt divina opera oculus videns et auris audiens, quia Diabolus utrumque impedit, et delectatur oculis non videntibus et auribus surdis. Papa etiam habet aures, sicut solet in bullis suis tonare: Ad aures nostras pervenit etc. sed sunt oculi et aures simulacrorum aureorum et argenteorum, quae aures habent et non audiunt etc.

Quando vero Deus est propitius et visitat nos in misericordia sua, dat oculum videntem et aurem au-

dientem, sicut in regno Aegypti Ioseph est oculus videns, Pharao cum suis principibus et ministris est auris audiens. Alias cum auris libenter audiret, et non habet oculum dirigentem, ea ingens est miseria, sicut sub Papatu cupidissimi eramus audiendi vel unius Psalmi explicationem: talem oculum ego secutus essem ad extremos fines orbis terrarum, sed Papa erat caecus, quem nos sequebamur, atque ita ambo in foveam incidimus.

Econtra, quando oculus videt et auris non attendit, illud est frustra effundere spiritum, quod jubet cavere Sirach Cap. 32, 6: „Ubi auditus non est, non effundas sermonem."

Insigne igitur beneficium est, quo honorat Deus Ioseph, cum dat oculo videnti aurem audientem tantum regem. Celebratur hoc donum ab Hesiodo quoque, qui dicit tria esse genera hominum: primum, optimum et praestantissimum eorum, qui per se sapiunt et intelligunt, alterum, quod sequitur et audit monentem, tertium vero longe deterrimum, quod neque per se videt, nec alios audit aut obtemperat videntibus.

Ad hunc igitur modum fit Ioseph doctor florentissimus regni, imo, ut apparet, totius orbis terrarum, ac dantur ei aures patentes ad audiendum, amplectuntur enim et approbant omnes principes ea quae consuluit. Hoc nimirum est dare incrementum ministerio verbi. Ac primum exaltatur spiritu, cum tot ac tanti discipuli audiunt eum docentem, rex, principes, consiliarii, da sind viel schöner sermones gefallen.

Prima gloria est ecclesiastica, cum fit propheta, doctor et gubernator animarum, neque quisquam sane Patriarcharum tanta dignitate fuit ornatus. Docuerunt

quidem Abraham, Isaac, Iacob suas ecclesiolas et quosdam etiam ex gentibus converterunt, Cananaeos, Syros, Philisteos etc. sed non est comparanda schola illorum ad hoc auditorium Ioseph, totius Aegypti et aliarum regionum, sicut scriptum est in Psalmo 105, 22. Erudivit senes ejus ut semetipsum, imo totum regnum Aegypti cum rege et פְּקִידִים ejus, et vicinis gentibus.

Id nimirum est exaltare post tribulationem, si modo possemus perdurare in tentationibus, sicut Ioseph ingenti animo perstitit in summis difficultatibus. Ideo sequitur fructus ineffabilis tam ecclesiasticus quam politicus et oeconomicus. Videas sane prorsus novam rerum omnium faciem in mundo, propterea quod passus est Ioseph se formari divina manu; jam Pharao convertitur ad Deum et primum omnium agnoscit spiritum ecclesiasticum, cum ait: Numquid inveniemus talem virum in quo est spiritus Dei? Quamquam antea videtur fuisse aliquo modo religiosus, sed haud dubie non sine idolatria: hic vero ad praedicationem verbi amplectitur cognitionem veri Dei sinceram abjectis idolis.

Hanc lucem agnoverunt haud dubie et reliqui proceres cum rege, quia ingens beneficium est, quando corriguntur et instaurantur cultus divini, et alia quae ad religionem pertinent, sicut tum data est eis fides et lux doctrinae coelestis. Quomodo enim novit Pharao spiritum Dei? Fieri quidem potuit, ut antea quoque aliquam ejus notitiam haberet a majoribus traditam, et per Abrahamum auctam et propagatam, sed non tantam, ut agnoscere posset spiritum Dei in Sanctis; eam igitur colloquia cum Ioseph sensim aperuerunt, et auxerunt, ideo statim judicat: Das redet

Gott, das ist ein Mann, ibi loquitur spiritus Dei. Hoc maximum et principale est in historia hac, sicut ante omnia quaerendum est regnum Dei, politica vero et oeconomica postea videbimus.

Pharaoni hic fit aditus ad regnum et agnitionem Dei et Spiritus sancti, sine circumcisione, sine ullis aliis ceremoniis patrum, non enim urget, nec requirit eas Ioseph, suggerente Spiritu sancto, ipsi tantum et posteritati ejus hasce impositas esse et mandatas, regem vero Aegypti aut reliquas gentes iis neutiquam gravandas esse. Semini Abrahae circumcisio fuit necessaria, propter futurum Christum, qui ex illo semine nascendus erat, sed hic Pharao fit Christianus, eruditur verbo fidei et verae pietatis, perinde ac alii gentiles salvati sunt absque circumcisione, ac loquitur ex eo Spiritus sanctus.

Dixitque Pharao ad Ioseph: Quandoquidem Deus haec omnia tibi nota fecit, nullus est, qui te prudentia et sapientia aequet.

Vide quam sit audiens dicto atque obediens auris ista, quanto studio agnoscat oculum videntem et dona Dei in ipso; confitetur Deum, qui revelat abscondita et qui fecit hunc oculum videntem, sapientem et consulentem. Ego, inquit, quamquam rex sum Aegypti, tamen summa voluntate te audiam, das gehet schön zu. An non enim rectius dixisset tantus rex? penes me est imperium, consilium, potentia, prudentia, te decet nos audire, et parere nostris mandatis, sicut hodie fit apud nobiles, Comites, Barones; illi non audiunt praesertim hominem peregrinum, et servulum tam abjectum, quin etiam mercatores, cives et rustici nostri, aut nobilitate, aut opibus suis freti, non ferunt

ullam admonitionem. Ich bin des Richters im Dorf, oder des Bürgers Sohn, soll mich der Pfaff regieren, ich kann es sowohl lesen als er.

Sic enim passim conculcatur ministerium verbi a summis pariter et infimis, quia somniant furiosi homines donum illud coeleste parari nativitate et propagatione carnali, cum ne politica quidem dona haereditate ad posteros perveniant. Non enim sequitur: Iste natus est patre generoso et magnanimo, ergo ei par erit virtute ac magnitudine animi; natura non tribuit ei has virtutes, tametsi nativitas naturalis est, ut ex Principe aut Comite nascatur Princeps aut Comes, ceterum dona praesertim spiritualia non propagantur in haeredes bonorum externorum, propterea quod obstat peccatum originis, idemque de virtutibus heroicis sentiendum est: Pyrrhus non aequat patrem Achillem, nec Astyanax Hectorem, imo contrarium solet fieri, sicut testatur communis sententia: Heroum filii noxae.

Itaque inanis est gloria de genere et nobilitate parentum, sicut Iudaei quoque patrem Abrahamum jactitabant, sed respondet Christus: Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis; nisi igitur respondeant virtutes et res gestae majorum nobilitati, frustra mirantur et praedicant posteri illorum titulos et insignia.

Ceterum plerumque talibus superbia haec natura insita est, ut propter nativitatem carnis paulo illustriorem; insolescant, sicut videre est in posteris ipsius Ioseph: non enim puto aliorum unquam in populo Israelitico majorem fuisse superbiam et fastum, quam filiorum et nepotum Ioseph, ita enim gloriabantur, praesertim Ephraimitae: Pater noster fuit princeps Aegypti sapientissimus, doctissimus, pientissimus, igi-

tur merito superbimus, sicut videre est in historiis Regum et Iudicum. Quanto supercilio murmurant contra Gideonem et Iephta, et adhuc vivo patre sumunt arma adversus vicinos Philistaeos, qui occidione occidunt omnes Ephraimitas, cum nollent audire oculum videntem, patrem Ephraim. Solus Beria postea superstes est, cui a dolore et calamitate nomen inditur 1. Paralipom. 8, 23. Stolze Esel werden draus, aus den filiis heroum, qui gloriantur de virtute paterna, neque tamen student eam imitari, sed somniant se quoque heroes ex heroibus natos esse.

At vero distribuit Deus dona secundum beneplacitum suum, non propagantur natura. Eodem enim modo quoque Pharao potuisset dicere ad pincernam, qui adolescentis Hebraei sapientiam praedicabat: Quid est quod servuli istius vilissimi scientiam tantopere efferas, quasi non ipse sapiam, aut principes et consiliarii mei idem praestare possint? Ibi sane nulla fuisset auris audiens, ac omnes risissent sapientiam Ioseph, ut nostri homines solent, quin et Diabolus facillime invenisset aemulos et calumnias, quibus exagitasset ea quae dicebantur a Ioseph. Verum Pharao non aversatur servulum hunc exsulem et captivum, sed humiliter cedit filio opilionis aut bubulci, qualis tum sane fuit pater Ioseph, einem Hirtenknaben hört er zu, qui apud Aegyptios certe tum fuerunt contemtissimi, ut infra audiemus, idque norat Pharao et Principes ejus, et tamen admirantur abjectissimi hominis sermones et verbum Dei quod est in eo. Id nimirum egregium et insigne donum est oculi videntis et auris audientis, da thut unser Herrgott, als wufst er von keinem Edelmann oder Fürsten, nimmt ein bubul-

cum, et regit per eum regem et principes, atque optimam totius orbis terrarum partem.

Ibi sane videtur Deus inique agere, quod cum nobilitate et dignitate non dat etiam sapientiam, sicut hodie Principes propter imperium et potentiam, qua praediti sunt, arrogant sibi prudentiam et judicium de omnibus rebus. Ut igitur sciamus nos natos esse in peccato originali, ita regimur a Deo, ut non semper sequatur donum naturam, neque filii aequent parentes sapientia et virtute.

Hoc agnovit Pharao in Ioseph, ideo non est minus miraculum quod audit Pharao, quam quod docet Ioseph, ita enim gubernat Deus cor ejus, ne offendatur rex, quod cum principibus suis discipulus fit hujus miserrimi ac damnati ad perpetuos carceres pastoris; das wird itzund keins Richters Sohn auf dem Dorf thun, hanc modestiam et humilitatem ne in infimo quidem ordine praefectorum nostrorum, nedum Principum, Comitum et Nobilium facile invenias, sed Deus habitat in altis, et humilia respicit, ut de stercore erigat pauperem, et collocet eum cum Principibus.

Sic David fuit servulus bubulci patris sui, et evectus est ad summam potentiam et dignitatem, quamquam posteri ejus etiam insolentia et superbia peccaverunt, ideoque horribiles poenas saepe dederunt.

Sic Romani insaniverunt gloria et fastu. Sic et Turca hodie, in primis vero Iudaei superbiunt, jactantes se semen Abrahae esse, utut reclamaverit Christus: Vos quidem filii Abrahae estis, sed opera ejus non facitis. Ego sum filius Ioseph, dixerunt posteri ejus, benedictus ab avo meo Iacob, ideo oportet me terram gentilium invadere, et habuerunt ad eam rem magistros improbos, et instigatores pseudoprophetas, sed

ut supra dictum est, graviter saepe luerunt, sie worden rein drob todt geschlagen.

Ista enim est merces superborum, atque idem aliquando eveniet nostris Nobilibus, quia alios omnes inferiores genere superbissime fastidiunt et conculcant, quod certissimum argumentum est perditionis eorum, Deus non feret hanc superbiam, darum werden sie zu Grund gehen.

Oportet quidem esse discrimina personarum et statuum in hac vita, sicut recte distinguitur Iudaeus ab Ethnico, et si qui sunt similes gradus, sed qui superbit propter aliquam praeeminentiam, sive sit Papa, sive monarcha potentissimus, is jam mortem obiit coram Deo, quia scriptum est: „Non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri" etc. Origo nostra sane ex sanguinibus est, et necessarii sunt gradus regum, principum, doctorum etc. qui omnes non aliunde oriuntur, quam ex sanguinibus, sed non est superbiendum origine hac quantumvis clara et generosa, siquidem ex Deo et non ex sanguinibus natum esse unica nostra gloria et salus est.

Valde igitur laudandus est rex, quod adeo humiliter de se sentit, nec contemnit miserum pastorem, quia Deus vult timeri, qui distribuit sua dona sine respectu personarum, etiamsi mundus non possit esse sine personarum discrimine. Oportet enim esse פְּקִידִים principes et inspectores, sed dona non sequuntur illas differentias, Deus non respicit personas, sed humilia in coelo et in terra, hoc est in Ecclesia et politia; non patitur in suo regno superbiam, ac si quando insolesco, statim excitat inferiorem aliquem, me remoto, er stöfst ein Doctor gar bald in die Höll. Sic in

terra opus est nobis פְּקִידִים, sed superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Ad hunc modum rex conversus est ad pietatem, ac singulari Dei dono commendavit et praedicavit Ioseph prae omnibus sapientibus et consiliariis suis. Ac primum quidem paucis describitur theologia et episcopatus ejus in spiritu, quo Ioseph erudit regem, principes et universam Aegyptum, neque vero una tantum concione hoc munus suum absolvit, sed saepius docuit, et ordinavit etiam sacerdotes, qui idem docerent. Nunc sequitur corporalis exaltatio, Pharao enim divina luce donatus constituit eum episcopum regni sui, etiam temporaliter; sic enim ait: Tu jubes me inquirere virum prudentem et industrium, sed revera tu es נָבוֹן ille, ich mufs dich anders schmücken, tu vere es propheta, et spiritus Dei loquitur per os tuum: merito igitur tibi pareo, ac praefero te universis principibus et aulicis meis, ac praeficio te toti regno Aegypti.

Sic revera in pristinum locum restituitur, postquam dignitatem regni et sacerdotii, sive primogeniturae adeptus est, qua paulo ante per fratres fuerat privatus in domo paterna. Deus enim invidia et livore illo sapientissime usus est, ita ut eveheret eum ad sacerdotium et regnum, cui subjiceret totam Aegyptum absque ulla vi aut potestate externa. Iam igitur et politica administratio describitur.

Tu igitur sis super domum meam, et ad tui oris imperium universus populus meus movebitur, uno tantum regni solio major te ero.

Haec vero amplissima dignitas est, quae continet

imperium totius Aegypti, ac solo rege dempto reliquis proceribus regni facit superiorem Ioseph. Litigant vero Grammatici de vocabulo יִשַּׁק, atque ego sane ejus originem nescio, necdum eam investigarunt aequivocatores hebraeistae, inutiles etiam in aliis ad certam et germanam sententiam phrasium colligendam, ad obscuranda vero vocabula et sententias aptissimi. Atqui doctor non debet esse aequivocus, nihil enim recte docebit, sed removenda est omnis ambiguitas a praedicamentis, hoc est, a docente et oratore, quem oportet esse univocum et proprietatis studiosum. Ideo hebraei interpretes infelicissime docent, siquidem totum eorum studium consistit in aequivocationibus, ac tantum ad sophisticen idonei sunt, werden unnütze Wäscher draus, non dialectici aut doctores, sed sophistae et impostores.

Veruntamen utamur eorum malitia hoc fine, ut linguae aliquem usum et proprium significatum hujus verbi eruamus. Figurata autem aequivocatio, non fallacia, sed ornatus potius est, manente nihilominus genuina significatione vocabuli.

נָשַׁק igitur quod significat osculari, et est verbum derivativum, deducunt a nomine primitivo נֶשֶׁק hoc est arma vel instrumenta bellica, unde colligunt נָשַׁק idem esse quod armare, ita ut sit sententia: Ad os tuum, vel imperium tuum armabitur sive instruetur armis bellicis universus populus meus.

Alii derivant a radice שָׁקַק, sed de vi vocabuli incerti sunt, et tamen exponunt festinanter ambulare, sive cum sono et strepitu quodam ferri, germanice rauschen, du hast mich überrauschet, lafs rauschen etc. significatur murmur quoddam raucum et strepitus pedum aut armorum, fremitus item virorum, instar tor-

rentis, qui praeceps, cum sonitu quodam aut rugitu fertur, qua significatione Joelis 2, 9, et Jesaiae 33, 4. usurpatur. Atque inde ego derivare velim, si liceret, non enim credo punctis et aequivocationibus Iudaeorum, ac nostrum verbum rauschen, aptissime respondet, comprehendit enim utramque gubernationem domi et foris, studia belli et pacis. Ac si dicat: Tu eris princeps militiae ac pacis, administrabis politiam et ecclesiam, constitues sacerdotes et doctores, deinde civitatum gubernatores, secundum jus et politiam hujus regni, geres item bella, si quando usus postulaverit.

Ad hunc modum magnificat rex mirabilia Dei et gloriam Ioseph, sicut infra dicet: Absque te non levabit quispiam manum, hoc est, totus populus movebitur, exercebitur, aget sicut tu dices et voles, es soll bei dir stehen das Rauschen.

Hinc sequitur Ioseph etiam militiae principem fuisse, quia non commeatu tantum, sed et armis opus est ad regni administrationem, si quando periculum sit ab incursione hostium, et Salomon inquit: Equus paratur ad diem belli, tempore pacis praeparantur ea quae sunt ad arcendum hostem necessaria. Sic utraque cura videtur demandata Ioseph, ut esset pater patriae in pascendo et regendo populo, deinde Alexander magnus et Achilles tempore belli.

Pharao igitur sapientissimus rex fuit, siquidem vidit in Ioseph esse Spiritum sanctum, et ejus consilia et actiones omnes habituras esse prosperos successus, er denket, der Mann wirds thun. Et contra hunc quis pugnabit, ubi est dux et consiliarius Spiritus sanctus? Ego sane duce Ioseph malim militare, quam sub Alexandro magno: quamquam enim aliquos inter-

dum natura fortes et Martios invenias, tamen eorum exiguus est numerus, Thrasonum vero immensa est copia, qui ad primum conspectum hostis illico fugam capessunt, die Störzhansen, Marterhansen etc., verum siquando dat Deus talem ducem et bellatorem, qualis fuit Ioseph aut Moses, is potest vincere exiguis copiis cervorum ingentem exercitum leonum, quia scriptum est Proverb. 28, 1. „Iustus quasi leo confidens absque terrore erit."

Sic in Ioseph haud dubie maximus animus fuit, et accessit simul experientia et usus rerum, cum exsilium et carcerem animo infracto pertulit, er fährt dem Teufel und Tod in Rachen hinein, et tamen non timet nec desperat, quia adest ei spiritus fidei, quo duce tres exercitus profligasset.

Sic Mosi mandatur, ut educat populum Israeliticum ex Aegypto, invito rege, quod nec Scipio, nec Hannibal, nec Alexander magnus ausus fuisset, non enim potuit fieri sine ingenti motu et perturbatione totius regni, quod hac mutatione graviter afflictum est; ad tantum facinus requiritur certe magnitudo animi et fidei certitudo ex Spiritu sancto, quae in Mose fuisse necesse est.

Quod si imperator aliquis ejusmodi milites haberet constantes in fide et spe auxilii divini, equidem totum mundum parva manu debellaret: in talibus enim non solum contemtus mortis et periculorum est, sed et animus certus de victoria et gubernatione divina, qui docet manus eorum ad proelia et digitos ad bellum. Haec non sunt in Alexandro, qui quamquam magno animo praeditus est, tamen gerit omnia temere et fortuito sine fide et invocatione, Abraham vero aut

Ioseph, et alii pii duces firma et indubitata fide et spe ruunt in pugnam, ideo perrumpunt et vincunt.

Ac vide quaeso parvulum illum gregem Iudaeorum, cum urbe Hierosolimorum in circuitu gentium, quam exiguo spatio terrae, quanta multitudine et potentia hostium fuerit circumdatus, quibus omnibus nec vires, nec sapientia, nec odia acerbissima defuerunt ad delendum populum hunc, et terra Canaan non amplius XXX milliaribus in latitudinem, et L circiter in longitudinem patuit, et tamen tot regnis florentissimis ac munitissimis restitit, ein Hand voll Bettler sitzen da zu Trotz tot regibus und schlagen sich mit ihnen, quia defensi sunt spiritu Dei.

Hinc tot praeclarae victoriae Iudicum et Heroum, qui vicerunt et evaserunt incolumes, sicut apparet in Gideone, Iephtah, Davide etc. qui nullum unquam vulnus acceperunt ab hoste, reliqui vero qui trucidati sunt, perierunt diffidentia et imbecillitate animi.

Talis haud dubie fuit Ioseph, quamquam nescio an bella gesserit. Verum si quando adversus Aethiopes et Arabes pugnandum fuit, sicut credibile est fuisse aliquos hostes aut rebelles in regno, quos oportuit domare, ibi neutiquam Iosua aut Davide inferiorem eum fuisse arbitror. Cum istis ducibus velim in acie stare, etiamsi Turca cum omnibus suis copiis nos oppugnaret, fuit enim ingens robur animi in contemnenda morte, ac omnibus aliis periculis propter fidem firmam et invictam, denique spem victoriae certissimam.

Itaque Pharao sapientissime et optime consuluit regno suo, cum praefecit ei virum hunc, quem videbat habere spiritum Dei, ac quemadmodum eum constituit episcopum rei frumentariae ac horreorum, ita

universam Aegyptum per eum instruxit ad militiam, postquam et ministerium verbi ordinavit et veram rationem colendi Dei ostendit.

Proinde phrasis ista (populus movebitur) in genere ad omnes actiones populi pertinet, sive ecclesiasticas conciones, sive comitia habenda, seu proelium ineundum esset: haec omnia enim sine motu et strepitu geri non possunt. Ac populus quidem et rex ipse tali duce mirifice delectatus est, sind gern ins Feld gezogen, fuerunt securi et alacres ad pugnam, quia viderunt in eo singularem dexteritatem et felicitatem in rebus gerendis.

Talia dona admodum rara sunt, ac paucorum tantum, quibus ea largitur Deus, cui Moses hunc titulum tribuit Exodi 15, 3. Dominus vir bellator, Dominus nomen ejus; wenn der ins Feld kommt, so hüte sich Roſs und Mann. Econtra scriptum est de eo Psalmo 76, 13. „Qui aufert spiritum principum, et est terribilis regibus terrae." Tum sane infeliciter pugnatur, quia ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium et bellum. Dormierunt somnum suum etc. lassen Harnisch und Spies fallen.

Ac affirmant rei militaris periti, ante proelium sive conflictum certis signis deprehendi posse, uter exercitus sit victurus; in altero enim qui profligandus est, silentium et stuporem quendam deprehendi, cum in equis tum in viris, non exaudiri ullum fremitum aut clamorem hominum aut equorum, in altero vero miram esse alacritatem ad confligendum et animum quodammodo praesagientem ac promittentem sibi victoriam, quia Dominus est vir bellator, qui gubernat manus ad proelium et dando et auferendo spiritum Principum.

Sic supra audivimus Abrahamum parva manu, trecentis, decem et octo vernaculis, quos domi suae non assuefactos ad proelia tum primum armaverat, ausum fuisse persequi et invadere quatuor reges, quibus profligatis recuperat omnem familiam cum fratre Loth et universis spoliis. An id putabimus gestum esse sine magno et heroico robore animi? Non equidem animo dubio et fluctuante eos aggressus est: „quis scit quid sit facturus Dominus? forsan victores evademus etc.“ quin potius plenus spiritu, fortitudine et impetu fidei processit, et hanc persuasionem secum per Spiritum sanctum in aciem attulit, quod esset victurus et liberaturus fratrem. Ejusmodi bellatores si nobis quoque donaret Deus, nihil prorsus metueremus vim et potentiam Turcarum, die Störzmesser und Marterhansen thuns nicht, sicut magno nostro malo experti sumus.

Haec igitur est gloria Ioseph, qui tredecim annis humiliatus fuit ad mortem usque, cum biennio aut amplius in carcere ac inferno in horas supplicium exspectaret, sed ingenti animo tot aerumnas superavit; mortem enim ac infernum ridere et vincere, non est imbecillis, sed invicti, inperterriti et leonini animi. Ait ergo rex ad eum: Ad os tuum movebitur omnis populus, vel ad vim in bello, vel ad conventus publicos in pace cum ecclesiasticos tum politicos, breviter in tua manu erit cogere concilium et coetum cujuscunque ordinis hominum.

Sic ego sine aequivocatione verbum hebraeum accipio, ac certior quidem et melior est haec explicatio, quam Iudaeorum, qui non possunt afferre tam propriam et firmam sententiam. Id enim in primis considerare soleo, an congruat expositio aliqua cum analogia et sensu fidei; ibi univocatur aequivocatio et

elicitur simplex et genuina vis vocabulorum et phrasium, quam Iudaei nunquam assequuntur.

Addit vero: In omnibus mihi similis eris excepto throno regio, ideo non puto me errare, quod de utraque administratione pacis et belli exposui praecedentia, cum utrumque ad potestatem regiam pertineat, quam tribuit rex Ioseph. Est igitur princeps militiae et pacis in Aegypto, ac verisimile est eum et bella gessisse et magnificos habuisse triumphos.

Sicut de Mose refertur, quod gesserit bellum contra regem Aethiopiae, quamquam nulla ejus mentio fit in sacris literis, tamen admodum consentaneum est, eum decennio illo, nempe a trigesimo anno, quo fugit caeso Aegyptio in Midian, usque ad quadragesimum militasse, et res praeclaras gessisse apud Midianitas, quia fuit aulicus, cum esset adoptatus a filia regis, et a prima aetate ad exercitia militaria adhibitus, tum etiam regem ipsum saepe opera ejus usum fuisse arbitror. Ideo facile credo eum ducem belli fuisse adversus Aethiopes, sicut Iudaei narrant, fuit enim plenus fide, spiritu et robore animi: cum vero caedes Aegyptii manifestata esset et audiret ab altero: Num et me vis occidere sicut heri Aegyptium? relicta Aegypto, fugit in Midian, quia non erat instructus armis et potentia, nec volebat tentare Dominum. Postquam vero rediit, eduxit populum ex Aegypto.

Unde colligimus eum singulari industria, consilio ac fortitudine praeditum fuisse: homines enim abjectis animis nihil audent, qui vero spiritu generosi et vere fortes sunt, illi fortiter et praeclare multa gerunt. In Deut. Cap. 33, 5. dicitur quod fuerit vice regis collectis principibus populi cum tribubus Israel; fuit enim insigne et arduum opus educere tantum populum

et gubernare tam longo tempore, ad quod requiritur ingens robur animi et spiritus Dei, et fiducia cordis. Ad hunc modum breviter descriptae sunt historiae sacrae, sed continent res maximas et gravissimas.

Vides autem in hac praesenti historia, quam magnifice ornet atque evehat Deus illos, qui exspectant Dominum, et possunt sustinere manum et flagellum paternum, propterea hoc exemplum diligenter inculcandum, ac omnibus hominibus in politia et Ecclesia proponendum est, ut discant exspectare, et perdurare in tentatione, halt fest, halt fest. Si credideris, inquit Christus ad Martham, videbis gloriam Dei: oportet fidem praecedere, et sequi postea exspectationem, sicut Ioseph in compedibus et carcere sustinuit dominum; ibi ferrum pertransiit animam ejus, et humiliavit ipsius cor, et tamen perduravit et exspectavit.

Quam vere igitur dicit Paulus: Potens est Deus facere supra quam petimus et intelligimus; nostrae petitiones nimis tenues et exiles sunt, et Ioseph quoque non ausus fuit petere ea quae consequutus est, sed habuit linum fumigans in corde suo et calamum quassatum, imo gemitum illum inenarrabilem, qui fuit virgula fumi aromatica, quae ascendit in coelum, o ein schön thuribulum ist sein Herz gewest, ac Deus mirifice delectatur odore illo gemitus et attenuationis nostri, dafs einen dunkt, er werde versinken, aber es schadet nicht, halt fest; er hält noch, verzweifel nur nicht. Retinendum igitur est firmiter, quod monet Psalmus: „Exspecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum, quia linum fumigans non exstinguet, sed accendet et arundinem quassatam non conteret, sed roborabit."

Natura enim Dei est, non dare secundam infirmas

petitiones. Sicut Ioseph desideravit tum liberationem et reductionem ex carcere ad patrem suum, aliud nihil majus flagitavit, ibi Deus in coelo sinit eum aliquamdiu incendere thura et odores, sed respondet hoc verbo Pauli: Tu nescis quid petas, ego soleo facere supra quam petitis et intelligitis, ideo diutius mihi detinendus es, du mufst noch bafs halten, adhuc amplius desidero virgulas istas thuris ascendentis, postea vero accipit Ioseph ea quae nec intellexit, nec sperare, nec petere unquam ausus fuit.

Haec vere ardua et admiranda exempla sunt, quae et discamus ipsi, et aliis quoque proponamus, ut agnoscamus divinam sapientiam, bonitatem, misericordiam et potentiam, quae certissime adsunt nobis. Bonitas ist gewifslich da, sapientia ist gewifslich da, potentia etc. sed Deus non agit secundum nostram voluntatem, quando gubernat juxta suam bonitatem, sapientiam etc. tum nos non intelligimus, quia putamus Deum nos nec posse, nec velle curare, aut cogitare de exitu tentationis. Sic judicat ratio, verum id non est secundum Christianorum doctrinam, aut in spiritu cognoscere Deum, neque ego sane de perfectione possum gloriari; ac odi meam carnem, quae perpetuo repugnat spiritui. Itaque saepius haec cogitanda et exercenda sunt, ut probemus quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.

Quid enim sit Deum esse sapientem, bonum, potentem, misericordem, nemo intelligit, nisi speculative et metaphysice, sicut de bonitate aut sapientia principis aliqua idea concipi potest, quae est mera speculatio; verum ad praxin ubi ventum est, quando rapit Deus Ioseph ex complexu parentum, avi, patris, et totius familiae et conjicitur in aliena terra propter

crimen adulterii in carcerem, ubi in metu et assidua exspectatione mortis haeret, num id bonam Dei voluntatem aliquis interpretabitur?

Sciamus igitur Deum abscondere se sub specie pessimi Diaboli ideo ut discamus bonitatem, misericordiam, potentiam Dei non posse comprehendi speculando, sed experiendo. Tu modo perdura, et sustine Dominum, halt fest, sis contentus verbo ejus, sicut Ioseph verbum fidei habet, scit se filium Iacob esse, qui accepit promissionem a Deo de futuro semine et benedictione, et tamen cum contraria omnia apparerent a promissione data, ingemuit haud dubie, et conquestus est de miserabili sua conditione; sed Dominus suggessit: Exspecta, viriliter age, confortetur cor tuum, halt fest. Rursus vero in mentem ei venit suspirare et optare: Ah quam velim ad patrem meum redire, halt fest, aut: tantum ex carcere pateat exitus, halt fest, quid si in carcere pereundum erit cum summa infamia? halt fest. Hae vices consolationis et angustiae subinde animo obversatae sunt, donec tandem respicit Ioseph et admirabundus dicit: Ah nunquam ego hanc liberationem potui sperare, nec intelligere hanc potentiam et bonitatem Dei, quam in me exercuit, da springt sein Herz in lauter Freuden, ibi toto pectore exsultat et gratulatur sibi de ignominia, morte et carcere suo: ita Ioseph insigne exemplum est dum gemit, et dum exsultat tentatione finita.

Discite igitur Deum hoc modo misericordem, sapientem et bonum esse, ut plus possit et velit dare, quam ego intelligo et peto. Longe major est ipsius misericordia, quam ut ego cogitando consequi magnitudinem ejus possim.

Simul vero observandum est, quomodo exerceat

et mirificet, ac ludat Sanctos suos. Hinc videmus quomodo clament Prophetae, Jesaias, Ieremias et alii: Quare obdormis Domine? Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum, et tamen cum suspirant, gemunt, clamant, nihilominus perdurant in tentatione, et retinent fidem et spem. Nos quidem nihil videmus nisi thus illud, quod offerunt Deo in angustia, tandem vero liberantur gloriosius, quam sibi polliceri aut cogitare potuerint.

Hoc est exemplum Ioseph, qui praeficitur toti Aegypto, ac constituitur summus sacerdos, ut gubernet Ecclesias et pastores, deinde summus princeps pacis et militiae, qui ordinat duces belli, judicia, leges, magistratus urbium etc. Si non fuisset tentatus, non potuisset haec tanta laude et dexteritate administrare, tentatio macht einen Mann, sicut inquit Sirach: „Qui non est tentatus qualia scit?" Securitas enim facit spiritus fanaticos, qualis Carolostadius et alii fuerunt, qui metiuntur Deum speculative, et includunt cogitationibus suis, ideo sunt battologi, et imperiti rerum spiritualium et corporalium, in tentatione vero trepidant, pavent, ac tandem desperant. Disce igitur, ut si quando ingruit tentatio aliqua, animo forti et hilari sis, hab ein guten Muth, und sey unerschrocken, aut si id non potes, so halt doch fest, cura ut firmus et constans sis.

At quomodo perdurabo, inquies, in tanta mole aerumnarum? Adhaere verbo et sic statue: Sum baptizatus, credo in Christum filium Dei, gehe darnach her Teufel und Tod, so thuts nichts. Nihil erit periculi a peste, morte, inferno, quia Dominus sustentat te manu sua, donec verbum ipsius habes. Sic cognosces, quae sit voluntas Dei beneplacens et per-

fecta, verum eam notitiam non assequeris sine renovatione; praecedit enim illud: Renovamini novitate mentis vestrae, ac tum demum agnosces bonitatem Dei. At quomodo renovamur? antiquatione et abolitione veteris hominis, quód carni quidem vehementer dolet, sed tamen renovatur de die in diem, sicut liberationem Ioseph praecessit durissima mortificatio in carcere et compedibus.

Ejus igitur exemplo quod omni virtutum genere plenum est, discamus intelligere sapientiam, bonitatemque divinam, ac modum gubernationis, quo nobiscum agit Deus, et quod exspectandus sit Dominus sine fine, neque ullum tempus tribulationis et angustiae tantum, et tam diuturnum esse possit, quod debeat nos frangere, aut excutere verbum fidei, quod est virtus et potentia Dei, in salutem omni credenti, darum soll man fest halten.

Eadem vero supra quoque dicta sunt, ubi habuimus excellentissima exempla fidei, spei, patientiae in patribus, sed in hac historia, postquam exauditus est Ioseph, docemur Deum non solum posse, sed et promtissimum esse et paratissimum ad liberandum et exaltandum, nisi quod se ad tempus abscondit. Et qui vult esse Christianus, diligenter sibi haec meditanda, ac memoriae mandanda statuat.

Nondum tamen chorum illum pulcherrimarum virtutum Ioseph absolvimus, nam hae, quarum hactenus facta est mentio, obscuriores, et minus conspicuae sunt. Iam sequentur longe illustriores et sublimiores, quas nulla oratione possum consequi, postquam superatis tot aerumnis et adversitatibus, ornatur et obruitur immensa dignitate, gloria et successu, ad haec demum requiritur animus excelsus et invictus, da ge-

hört erst ein Mann zu. Invenias sane quosdam, qui in tentationibus et rebus adversis facile durant, ac utcunque patientiam et fidem Ioseph imitari queunt, sed in his virtutibus modestiae, humilitatis, timoris Dei, non habuit unquam parem.

Nam in tantis honoribus et fortuna, cum jam totus orbis ei arridet, ipsum colit et honorat, sibi imperare, non superbire, non efferri, sed retinere memoriam Dei ac suae conditionis, unde ad hoc fastigium fortunae et dignitatis emerserat, non est ingenii aut virium humanarum, et vidit idem ethnicus Poeta Virgilius, cum ait:

Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum rebus sublata secundis.

Simpliciter statuit neminem posse moderatione uti in rebus secundis. Alexander magnus cum excellenti magnitudine animi esset praeditus, tamen servissimus servus fuit animi sui, Achillem fortissimum Graecorum vide quam sit puer in vincendo animo, cum propter Briseidem relinquit totum exercitum.

Non est igitur naturae seipsum vincere rebus florentibus: Themistocles et alii multi etiam non potuerunt; unum Scipionem scio in tota historia veterum, qui ea laude excelluit, reliqui omnes inflati sunt fortuna secunda.

At Ioseph constituitur princeps regni florentissimi et pulcherrimi, ac magna ejus fuit potentia et majestas, siquidem administrationem belli et pacis sustinuit, condidit leges et poenas in delinquentes statuit, et magna severitate exsequutus est. Haec ingens gloria et amplissima potestas fuit, et tamen eam moderationem et humilitatem praestat, qua in Hebron olim adolescens apud patrem usus fuerat, meminit se opilionis

filium esse, meminit exsilii, servitutis et carceris, meminit verbi Dei, quod docet nos in peccato conceptos et natos esse, ideo retinet timorem Dei et modestiam, sicut in carcere et servitute. Est quidem hilarior, et Deo gratias agit pro liberatione, sed cum reverentia et timore Dei; videbimus postea suavissime blandientem fratribus, colloquentem, colludentem, non enim erubescit tantus princeps, quod frater est opilionum aut bubulcorum.

At nostram insolentiam et fastum vide, qui alios antecellit opibus, dignitate, genere, libenter caput inter nubila conderet: sic principes ob potentiam efferuntur immodice, neque Deum, neque homines reverentur; homines ingeniosi et docti, Theologi, Iureconsulti, Poetae, qui suis scriptis sibi celebritatem aliquam pepererunt, ipso coelo sibi superiores videntur. Cur autem nostram originem et conditionem non spectamus? An non enim omnes ex utero muliebri nati sumus, et plorantes in terram ejecti, sicut dicitur in libro sapientiae cap. 7, 1? Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans, in fasciis nutritus sum, et curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium, unus ergo introitus est ad vitam et similis exitus.

Debebamus igitur meminisse humilitatis et miseriae nostrae, et respicere ad nativitatem nostram, quod natura omnes maledictionis, peccati, mortis, Diaboli filii et aeternae damnationis rei sumus. Cur igitur superbimus? Si quis humanae vitae aerumnas et hominum insolentiam inter se conferret, non posset non detestari furorem et amentiam superborum, qui rectius compedibus et catenis constringendi erant,

quam alii quibus mens mota est, quia communi sensu destituti non cernunt unde ducant originem, qui sint et quis tandem sit futurus eorum exitus; non meminerunt se ad miseriam et interitum natos, ac in periculo mortis singulis momentis constitutos esse propter peccatum et Satanam grassantem horribiliter in genus humanum.

Itaque manifestum est, quod veneno diabolico superbiae ita infecti sumus, ut terque quaterque furiosiores simus, quam qui communi modo mente errant. Nam hi vix umbra sunt phreneticorum et furiosorum, sed si intuearis torquatum et purpuratum aliquem thrasonem, qui potentiam, formam et opes suas ostentat, illa omnia cogitabis esse larvas, quibus indutus est superbissimus, hoc est, furiosissimus homo, non aliter, ac si phreneticum manibus et pedibus vinctum cernas. Si enim sana mente esset praeditus, secum reputaret, quae sua origo, quis status, quis denique finis futurus esset; saepe enim accidit, ut qui hodie viribus et valetudine integra in deliciis et splendore maximo vivit, cras subito aliquo malo correptus, mortem oppetere cogatur.

Accedit huc quod conciliamus nobis iram Dei et excutimus ejus gratiam et benevolentiam, itaque nemo miserior et calamitosior est homine superbo: non enim potest invocare, aut fidere Deo, quia nescit se peccato et morti obnoxium esse, neque appellat Deum patrem, sed ab ea communione se excludit, et ultro in servitutem et obedientiam Diaboli concludit, quia quod est omnium gravissimum, hanc suam miseriam nec agnoscit, nec sentit, sed incedit tumidus et elatus, velut Deus et numen quoddam adorandum. Tales sane amentia et vesania sua sibi ipsis exitium accer-

sunt, merito igitur caecitatem ejusmodi hominum miserari, ac pessimam eorum conditionem deplorare debebamus.

Sed quid facias, cum natura omnium hominum ad superbiam proclivis sit, et eam plerunque excitet et augeat in nobis honorum aut potentiae sive in gubernatione, sive aliis ordinibus dignitas et eminentia, an propterea fugienda erit rerum administratio, cum ad eam legitime quis fuerit vocatus?

Nequaquam, nam Ioseph dignitate et omnibus ornamentis, quae sunt in administratione abundat: vehitur curru regis, exhibentur ei et honores regii, denique sigillum regni a Pharaone ei traditur, et talis omnino haec vita est, ut indigeat principibus, regibus, nobilibus, magistratibus, hominibus eruditis in theologia, artibus, philosophia, sicut Aegypto opus fuit principe qualis erat Ioseph. Sed danda est opera, ut exemplum et mores ipsius oculis et animo tuo perpetuo obversentur, ut memineris timoris et reverentiae Dei, neque obliviscaris tui, sed reputes tecum qui sis, qui fueris, qui futurus sis. Nullius enim tantus splendor et magnificentia fuit unquam, quem non tandem vermes absumpserint, quid superbis ergo cinis et pulvis? fili maledictionis et irae? Atqui natus sum praeclaro et illustri stemmate, sum doctor Iuris, sum Philosophus. Recte, sane, sed his omnibus utendum est, non fruendum, juxta distinctionem Augustini et ut Paulus de Davide inquit Act. 13, 22., cum administrasset voluntati Dei.

Sic Ioseph non superbit propter pompam illam regiam, et personam quae est princeps Aegypti, sed administrat voluntati Dei. Quae est autem voluntas Dei? nimirum ad conservationem hujus vitae opus esse

magistratu, doctoribus, principibus, ad frenandam licentiam vulgi, et ad tuendos miseros et puniendos improbos. Si enim esset absque his statibus, nulla posset esse tranquillitas et pax, voluntas igitur Dei est, ut per discrimina illa ordinum in administratione politica vitam tranquillam degamus sine injuriis, caedibus et rapinis.

Magistratus est velut virga Dei, sicut appellatur Rom. 13, 6. minister Dei, vindex in iram, ei qui male agit. Sic igitur in hoc vitae genere degendum est, ut cogites de Dei timore, et humilieris coram eo, ac memineris te esse filium Adae, peccati, mortis, damnationis aeque atque alii sunt, sicut docet Moses in suo psalmo (Psalmo 90.), ita tamen ut servias Deo vocanti te ad gubernationem, qua conservetur pax in civitatibus et provinciis, coerceantur et puniantur fures, latrones, homicidae, item bella gerantur adversus hostes, qui turbant politicam pacem et tranquillitatem, atque haec omnia fiant cum modestia et invocatione humili: Domine Deus, ego sum filius bubulci et filius peccati, sed quia tu vis regi mundum, conservari pacem, corrigi inordinatos et ad illam administrationem me vocas, libenter parebo; malim equidem latere privatus, sed quia tuae voluntati et mandato obsequendum est, faciam officium in timore et humilitate, da bleibt die Demuth unter der schönen gulden Ketten, Kron, Ringen etc.; non enim mihi sum princeps, sed voluntati Dei, et necessitati hominum: mihi non est opus regno, cathedra, coetu ecclesiastico, ministerio verbi, possum enim privatim domi meae legere ea quae doceo in publico. Cur igitur concionaris? Quia Deus hoc voluit, qui me constituit pastorem, doctorem verbi et po-

pulus opus habet institutione et doctrina. Sic vere ambulabis in timore Dei ac caritate proximi.

Verum hoc tempore paucissimos invenias, qui actiones suas ad Deum referant, omnes enim sibi sunt principes, et inflectunt omnia ad suas voluptates et commoda privata, itaque harpyae, imo Diaboli sunt, qui debebant esse principes et patres patriae, quia efferuntur et inflantur dignitate et nobilitate generis aut aliis dotibus animi, quae requiruntur ad politicam administrationem. Ich bin von königlichen Stamm, bin vom Adel, ich hab auch ein Kopf, sum doctor, sum Iuris consultus. Tales scilicet sibi docti, sibi reges, sibi nobiles sunt, sed titulis eorum quos tantopere praedicant inscribendum erat: Terque quaterque furiosus, quia arrogantia sua excaecati, ignorant hoc quod omnibus debebat esse notissimum, nimirum miseriam in qua concepti et nati vivunt, rei mortis, et irae aeternae, quae super eos est: non vident etiam quantum in eo peccent, quod persona et munere suo abutuntur ad perniciem subditorum aut auditorum.

Itaque non est calamitosior homo in terris, quam superbus doctor, rex, princeps. Praeter communem enim miseriam, cui omnes sumus obnoxii, etiam persona, qua debebant voluntati Dei obsequi et inservire, ipsos damnat et reos facit infinitorum malorum, ergo ego concludo mundum nihil aliud esse, nisi carcerem furiosorum et caecorum hominum, qui nec communes, nec privatas miserias agnoscunt.

Quanta vero virtus est moderatio animi in magnis viris? humilitas servi obscurior est et exilior, sed quando rex, princeps, nobilis, doctor, dives humilis est, ea pulcherrima res est, ibi fulget humilitas sicut sol et luna. Quando magistratus, aut alius dignitate

reliquos antecellens, sic statuit: Ah quis ego sum? cur aliis me anteponam? nisi quod gravius onus gubernationis mihi incumbit, major est splendor et dignitas, at propterea major reddenda ratio officii, quod gessi.

Sed quotusquisque est, qui sic est affectus? Rarissimum equidem donum est humilitatis, quod tamen meretur benedictionem Dei et hominum, cum econtra superbos, sive tyrannos, sive doctores oderint Deus et homines, quae odia sibi suis moribus studiose conciliare et augere videntur, quia extreme amentes et furiosi sunt.

Habes igitur insigne et memorabile exemplum moderationis in Ioseph, post tantam exaltationem; etsi enim magna dignitatis et splendoris externi accessio facta est, tamen cum dignitate etiam humilitas aucta esse videtur, ideo praeclare servat hoc, quod Sirach monet cap. 8, 20. „Quanto major es, eo te geras summissius."

Ista autem humilitas in sublimibus non est in mundo, sed in Abrahamo, Ioseph, Davide, Iosaphat, quorum officium quidem non videtur differre ab administratione tyrannorum, gerunt enim bella, puniunt sontes, ac sunt instrumenta irae Dei, et tamen in corde sunt placidiores et mansuetiores, quam ullus alius in vulgo, die auch mit den Leuten weinen, sicut Ioseph humanissimum se praebet erga fratres, collacrimat ad conspectum eorum, et facillime ignoscit.

Hoc igitur exemplum instar machinae et arietis est, qui in horribilem superbiam mundi torquetur, et omnes principes, reges, doctores confundit; haec enim vera virtus longissime antecellit reliquas omnes, quibus superavit tribulationem et angustias carceris;

hic lucet timor, et reverentia Dei, contemtus sui ipsius, et caritas erga proximum: scit enim se circumferre carnem plenam peccatis, maledictioni et irae Dei obnoxiam, instar aliorum hominum, deinde premitur gravissimo onere gubernationis universae Aegypti spiritualiter et politice, cujus novit sibi fore reddendam rationem. Haec omnia praeclare intellexit, ac plurimas sane causas humiliationis habuit, quas nos non animadvertimus, nec cogitamus singulis reddendam fore rationem sui muneris et administrationis. Si enim id in mentem nobis veniret, longe submissius nos gereremus.

Sunt quidem necessariae larvae illae judicum, magistratuum, praeceptorum, doctorum, Iureconsultorum, sed hisce omnibus utendum est duntaxat, non fruendum. Non enim tu is es, qui a reliquis adoretur, sed divina voluntas est, ut gubernetur et conservetur haec vita, ut dissolvantur opera Diaboli, et ut retineatur pax et disciplina. Hic debet esse finis omnis gubernationis, non enim respicit Deus ullam personam in conferenda salute; cur igitur creat et constituit hos ordines et gradus societatis humanae? Ideo ut te sub onere hoc humiliet, et deducat ad agnitionem imbecillitatis ac miseriae tuae. Hoc Dei consilio tu abuteris, et vertis in contrarium ad superbiam et fastum, cum sit voluntas Dei, ut sub istis larvis servias ordinationi ejus et necessitati humanae, cui voluit succurrere hac ratione, ac propterea mandavit honorem haberi magistratui, sicut scriptum est: „Cui timorem timorem, cui honorem honorem,“ quia sine his larvis non posset conservari pax et disciplina.

Utere igitur iis ad gloriam Dei et communem utilitatem et sic cogita: Domine Deus ego malim pri-

vatus latere absque sceptro, corona, auro, argento et omni pompa ac splendore, sed tu vocasti me ad hoc genus vitae, voluisti me reliquis superiorem esse, obtemperabo igitur voluntati tuae et serviam communi utilitati, non meis cupiditatibus aut voluptati.

Ac diligenter memineris conditionis humanae, quam fragilis et calamitosa sit, in quibus verseris periculis, quantum onus sustineas in hoc munere quod geris, ut humilieris, et ad implorandam opem divinam exciteris, sicut docet excellentissimum hoc exemplum humilitatis Ioseph, in tanta gloria et sublimitate, quod longe est illustrius, quam patientiae et tolerantiae illius, quam praestitit in rebus adversis, longe enim difficilius fuit retinere verbum post liberationem, quam in calamitate et tentatione, in qua quidem ferenda invictus fuit, nec defecit a Deo, nec peccavit impatientia et indignatione adversus Deum, sed longe majus robur animi requiritur, cum seipsum vincit, ea enim summa et pulcherrima virtus est, sicut inquit Salomo Proverb. 16, 32. Melior est patiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.

Gloria rei militaris summa est in hac vita, sicut praeclarissima dona fuerunt in Achille, Alexandro magno, Scipione, sed fortissimis illis heroibus praefert Salomon Ioseph, Davidem, Mosen, neque quisque illorum conferendus est ad Ioseph, siquidem est dominator animi sui per humilitatem.

Primum igitur haec exempla diligenter consideranda sunt, deinde memoria originis et miseriarum communium, quibus omnes sumus obnoxii, animis nostris infixa esse debet, unde simus oriundi, qui fuerimus, et quid futuri simus, denique quam difficilem et du-

ram provinciam quilibet suo loco sustineat. Sic paulatim ad modestiam et humilitatem assuescemus.

Verum in plerisque omnibus illud deprehendes quod ait Virgilius: Nescia mens hominum etc. et tamen proponendum est hoc exemplum, quod Ioseph ornatur dignitate summa, auro, gemmis et potentia amplissima, quae omnia solent homines incendere ambitione, fastu et superbia, sed haec monstra irritantia superbiam hominum potuit domare, quod nec Achilles nec Alexander unquam praestitit.

Cogita enim in quanto honore fuerit: omnium oculi et animi in eum intenti fuerunt, qui maxima reverentia et observantia ipsum coluerunt, incessit purpuratus et torquatus, vectus est curru regio, et tamen sic affectus fuit: Tibi Domine et necessitati proximi servio, sum quidem princeps, sed verius servorum, imo Diaboli servus sum.

Atque sic statuere debet princeps, pastor Ecclesiae, magistratus etc. Quid enim aliud est praeceptor quam servus discipuli? hic dominus est, ille servus; sic vult nos Deus communi vitae et societati hominum inservire. Quando honorem exhibeo aut pareo magistratui, non filio opilionis, aut principi vel nobili, sed voluntati Dei et necessitati hominum obtempero, et cum sit necessaria in vulgo reverentia et obedientia erga superiores, oportet ejusmodi larvas aut personas constitui, easque ornare purpura, bisso, curru regio, titulis et id genus honoribus, non ut is superbiat cui honor hic exhibetur, quasi ipsi proprius et peculiaris sit, sed opus et administratio Dei in eo respicienda est.

Nisi enim coluero magistratum, non possum vivere incolumis, et tutus a latronibus, imo etiam a vicino

aliquo improbo. Honoro igitur principem aut pastorem propter meum commodum, ut vitam tranquillam et honestam degere, pietatem et bonas artes discere queam: sic omnia haec referenda sunt ad voluntatem Dei et publicam necessitatem. Qui haec cogitant ac sequi student, cum in republica, tum in Ecclesia laudatissimi gubernatores et doctores erunt, qualis fuit Ioseph.

Rursum dixit Pharao ad Ioseph: En constitui te super totam terram Aegypti, et auferens Pharao annulum de manu sua dedit illum in manu Ioseph, vestivitque eum vestimentis bissinis et collo torquem auream circumposuit; jussit quoque eum vehi in curru secundo, quem habebat et clamaverunt coram eo אַבְרֵךְ et constituit ipsum super totam terram Aegypti.

Comprehendit Pharao utramque administrationem domi et foris: domi fuit aedilis et episcopus pistorum, pincernarum, laniorum et rei frumentariae, in bello instruxit aciem, ostendit rationem tuendorum finium et propulsandi vim ac injurias hostium. Haec regia potestas fuit, ad quam singulari industria ac prudentia opus fuit.

Quin etiam annulum regium induit digitis ipsius, ut esset cancellarius aut secretarius regni. Videmus igitur nulla alia re antecellere ei regem, quam solio, ut supra dixit, ceterum totam molem imperii et gubernationis inclinat in Ioseph; fuit igitur vir summus, atque salus ipsa Aegypti, ac in altera demum vita fulgentem in coelis magna luce et splendore videbimus tantum virum, qui tot hominibus utiliter ac summa

cum laude praefuit. Longe enim anteponendus est patribus suis Abrahamo, Isaac, Iacob: gessit magistratum solus in timore, modestia ac summa diligentia ac sapientia, ad quod onus sustinendum alias complurium opera requiri solet; non igitur otiosum eum aut desidem fuisse putabimus, sed vigilantem ac sedulum in omnibus negotiis.

Haec profecto mira et ingens laus est, quod ad tantam dignitatem evectus est in Aegypto, quae regis potestatem aequavit, ac longe quidem illustrior ejus gloria fuit, quam Davidis aut reliquorum regum Iuda; tales filii sane qualis fuit Ioseph et Daniel, vere patrem suum Abrahamum referunt, ac rectius de eo gloriantur, quam reliquum Iudaeorum vulgus.

Addit vero et torquem auream et vestem bissinam, ac saepe quidem de hac diversitate vestimentorum apud orientales et occidentales populos dictum est, quorum illi candidis vestibus et auro, hi vero purpura et auro usi sunt et adhuc hodie Aegyptus eodem genere vestium uti dicitur.

Deinde curat Pharao vehi ipsum curru proximo post regem, et is quoque regio splendore et insignibus ornatus fuit. Ita prorsus regni Aegyptii potentia et gloria induitur, sicut scriptum est de eo in Sapientiae libro cap. 10, 14. Donec adferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, etc. neque tamen commovetur animus ipsius inter tot illecebras et irritamenta superbiae et insolentiae, ut immodico fastu efferatur. Id vero ingens robur magni ac vere heroici animi fuit.

Postremo accesserunt etiam acclamationes populi, clamaverunt enim coram eo אַבְרֵךְ, ac fuit haud dubie solennis pompa, quando haec inauguratio Ioseph facta

est in conspectu procerum totius Aegypti et universi populi; omnes viderunt regem tradentem annulum, sceptrum, torquem, vestes ac jubentem conscendere currum regium.

Hic vero Iudaei nimis suaviter somniant parem dignitatem et gloriam cum Ioseph: omnes enim eam exoptant avidissime, sed frustra, quia tantum larvam et personam ambiunt, ut fundant sanguinem gentium, et eas in servitutem suam redigant, non curant administrationem, nec timorem Dei, nec humilitatem Ioseph, hoc est septies furiosum esse, ut supra dixi.

Ceterum in vocabulo אַבְרֵךְ Hebraei sibi et nobis crucem fixerunt, varie enim id interpretantur; major pars sentit esse unam dictionem, alii duas faciunt אַב id est pater, et רַךְ tener, pater sapientia, et רֵךְ aetate. Istam cabalicam grammaticam odi. Dicunt etiam in Syriaca et Chaldaica lingua idem sonare vocem רֵךְ, quod Latinis rex, verum si licebit ita cabalisare, ego facilius רַךְ ad germanicum vocabulum Reich accommodavero. Sequar igitur eos, qui pro una dictione accipiunt et exponunt, pater tenerrimus patriae.

Alii a verbo בָּרַךְ deducunt, hoc est benedicere, sive genua flectere, sed cum litera Aleph videatur repugnare, propterea quod est Haeemanthi, dicunt א loco ח, positum esse, quae permutatio literarum Hebraeis usitata est. Illi igitur sic exponunt, quod Pharao mandarit omnibus, ut genua flecterent principi Ioseph, qui honor etiamnum principibus in omnibus aulis exhiberi solet: et Papa quoque eum affectavit, adeo ut baculo caedantur hi, qui non flectunt ipsi genua, quando in publicum gestatur sella sanctissimus pater, cui nefas est ingredi pedibus: sic enim

omnes ceremonias et pompas regias arripuerunt ex omnibus historiis et homini illi perditionis accommodarunt. Ego pro acclamatione accipio, quando populus aperta voce patrem patriae eum salutavit, perinde ut hodie in praestando Homagio Caesari aut principibus populus ut testetur se hunc agnoscere dominum, respondet: Gnädiger Herr. Sic clamaverunt proceres et omnes subditi facta inauguratione Ioseph אַבְרֵךְ Gnädiger Herr.

Et dixit Pharao ad Ioseph: Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quispiam manum aut pedem suum in omni terra Aegypti.

Hoc figurate et περιφραστικῶς dictum est. Oeconomice enim non potest prohiberi, quin moveantur manus aut pedes ad operas domesticas obeundas, ideo hoc sensu non debet accipi; levare pedem est ascendere in altum, et hoc vult: Nemo erit judex, princeps, magistratus absque tuo nutu et ordinatione, a te accipient leges gubernationis quicunque aliis praeerunt, tu constitues magistratus et superintendentes passim per universam Aegyptum; neque quisquam invadet munus aut officium aliquod sine tua auctoritate. Ita politice haec figura intelligenda est, et complectitur maximam potentiam et dignitatem.

Vocavitque Pharao nomen Ioseph Laphnat Paeneah.

Haec alia crux Hebraeorum est, ignorant enim sitne Hebraeum an Aegyptium vocabulum. Hieronymus disputat significare Hebraeice obscurorum repertorem, sed non video rationem hujus expositionis, prae-

sertim in voce פַּעְנֵחַ, nam alterum propius videtur accedere. Ceterum multae dictiones compluribus linguis communes sunt, sicut sacci vocabulum retinent Hebraei, Graeci, Latini et Germani, sic vinum germanis Wein, fenestra Fenster. Non enim sic distortae sunt linguae, ut non sit aliqua vocum interdum similitudo et congruentia, itaque hanc appellationem pluribus gentibus in usu fuisse arbitror, sed non possum judicare ad quam linguam referenda sit, ad Aegyptiamne, an ad Hebraeam, neque Grammatici aliquid certi statuunt. Sed Hieronymus in ea sententia est, quod sint Aegyptiaca vocabula, quae idem sonent quod Latinis salvator mundi, eo quod orbem terrae ab imminente famis excidio liberavit. Ego cum Lyra simpliciter fateor me ignorare, quamquam nihil dubium est, esse nomen alicujus dignitatis, vel meriti ab ista interpretatione somniorum et singulari sapientia Ioseph.

Hactenus igitur descripsit Moses exaltationem Ioseph super universam Aegyptum, cui subjecti sunt non tantum cives, rustici et alii privati homines, sed et principes et magistratus, ipse vero nemini paruit, nisi soli regi; ac mirum sane est, quomodo tantis rebus solus potuerit sufficere: elegit haud dubie aliquot prudentes et industrios viros, qui valuerunt consilio, eumque potuerunt juvare, saepe enim infima imperia complurium operas et consilia requirunt, ut in pagis judices sibi adjungunt Scabinos: quanto magis ad amplissimi regni administrationem multorum opera opus fuit? Sic Moses cum esset vice regis in populo Israelitico, adjungebat sibi alios principes et consiliarios, item tribunos, decanos et similes, satis enim negotii

et molestiae est, cum vel decem aliis unus aliquis praeest.

Ceterum hic locus videtur aliquomodo patrocinari ambitioni et superbiae, propterea quod Ioseph tam facile sine ulla tergiversatione recipit annulum et torquem auream ac durissimam provinciam gubernandi et magistratus et subditos totius regni, ita ut nemini quidquam absque nutu et imperio ejus liceat gerere; id nimis arrogans et ambitiosum videtur. Cur enim non eadem modestia recusat, qua supra regi dixit: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni?

Respondeo. Antea dictum est in omni gubernatione respiciendum esse ad ordinationem et voluntatem Dei, et eadem doctrina nobis hoc in loco proponitur et commendatur, quod singulari consilio voluerit Deus esse in hac vita istas larvas sive personas, hoc est, ordines et gradus civilis societatis.

Necesse enim est magistratus, principes, reges, peculiari splendore, pompa et ornatu esse circumdatos, ut cum judicem apparitores sequuntur, id speciem superbiae et ambitionis habet, sed vult Deus esse discrimina ordinum: sic rex gerit sceptrum et coronam, nobilitas sua ornamenta et insignia habet prae ceteris, quia voluntate et ordinatione Dei tales gradus instituti sunt, quemadmodum nos in scholis ob eandem causam retinemus gradus magistrorum aut doctorum, quamquam re ipsa levia et tenuia haec sunt, sed necessitati rerum humanarum inserviendum est, quae requirit differentias personarum, alioqui enim subditi contemnerent et conculcarent magistratus, nisi loco et dignitate superiores essent.

Recte igitur dicit Sirach: Inter fratres qui praeest ipsis, honore excellit, quia vult Deus coli et obser-

vari eos, qui in sublimitate constituti sunt, sicut docet Paulus Rom. 13.: non vult contemni magistratum; Diabolus enim princeps hujus mundi conatur turbare et evertere regna, politias, oeconomias, nec possemus esse incolumes et tuti a furibus aut latronibus, si esset absque gubernatoribus, replerentur stupris, adulteriis, furtis, latrociniis omnes civitates et familiae. Nam ne sic quidem disciplina retineri potest, quin nonnunquam homines scelerati in vitam et fortunas nostras grassentur, tales igitur coercendi et plectendi sunt igni, gladio, rota, carcere et omnis generis suppliciis, quibus reprimitur Diabolus in contumacibus et indomitis, alioqui enim tota vi impunitas omnium scelerum inundaret.

Oportet ergo manere personas, de quibus inquit Paulus: Bonum fac et habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Sunt larvae iracundiae in malos et solatii in bonos et oppressos.

Hoc praeclare intellexit Ioseph, quia fuit vir plenus Spiritu sancto, ideo suscepit hanc administrationem totius Aegypti in timore et humilitate, et longe plus laboris sustinuit, quam in servitute et carcere, sicut Ethnici quoque questi sunt: exstat vox Biantis: Magistratus ostendit virum, et Cicero de se dicit: O me falso, quod nunquam fui, sapientem habitum! et Demosthenes: Si duae viae, quarum una ad mortem, altera ad rempublicam duceret, proponerentur, se eam ingressurum, quae ad mortem tenderet.

Sic Ioseph in illa gubernatione reverenter et submisse se gessit erga Deum, propter quem hoc onus sciebat sibi impositum esse; saepe etiam optavit po-

tius in carcere, aut domi cum gregibus paternis esse, et vesci lacte caprino, quam in hoc fastigio rerum. Si bene et feliciter regnavit, haud dubie sic fuit affectus: Malim ego alteri has partes attribui, et me privatim latere posse, qui enim praeest in sollicitudine, ut monet Paulus, ita ut animadvertat severe in sceleratos, ac tueatur leges disciplinae et justitiae, is sane irritabit homines improbos et Diabolum, hoc igitur viri et virtutis opus est, non offendi, nec frangi animo, si quando tota vi se opponit Satan.

Quin etiam in oeconomia ad regendam familiam et uxorem animo virili et forti opus est, ideo omnes sapientes de difficultate gubernationis conquesti sunt, atque inde solent tyranni existere, qui cum vident consilia et actiones suas pulcherrime ordinatas carere successu, aut alios iis resistere, aguntur in rabiem, et fiunt ex bonis principibus tyranni, qui vi et injuriis aliorum, quos putant sibi obstare, perrumpere, et suam auctoritatem tueri conantur, quia non sunt heroes, sed indulgent iracundiae et cupiditatibus suis. Talis non fuit administratio Ioseph.

Memini doctorem Staupitium de sua gubernatione dicere, se primo triennio secundum nemesin voluisse regere, sed ea via non successisse, altero juxta leges et consilia majorum et seniorum, ne id quidem cessisse feliciter, tertio secundum voluntatem Dei, adjuncta invocatione, verum id quoque fuisse infelix. Tandem igitur inquit: Faciebam quod poteram, cum desperassem de hisce consiliis et rationibus omnibus, etsi enim vult Deus invocari, tamen non exaudit secundum vota et cogitationes nostras, quibus ei sapientissima et pulcherrima consilia praescribimus.

Faciamus igitur quantum possumus, et cum obji-

ciuntur impedimenta, paremus nos ad patientiam, ac retineamus tritum illud sermone proverbium: Mitte vadere sicut vadit, quoniam vult vadere sicut vadit, wer den schweren Stein nit heben kann, der lasse ihn liegen. Nulla enim gubernatio sine querela, et sine maximis difficultatibus unquam fuit, ac Ioseph haud dubie saepe optavit, ut liceret sibi relicto curru aureo domi inter opiliones latitare, quia Diabolus odit et turbat omnem administrationem et magistratum, qui destruit opera principis hujus mundi, prohibet et punit homicidia, violentiam, furta. Ibi opponit se Diabolus totis viribus, du sollst mir nit wehren, quia officium meum est, miscere omnia odiis, invidia, stupris, adulteriis, huic cum tu resistas, scias me perpetuo tibi adversaturum. Ibi sane gubernatores, qui sunt imbecilli animo praediti, statim labascunt, et dormitant in utramvis aurem, posthabita omni cura administrationis, sed hi graviter peccant contra praecepta et doctrinam traditam a Salomone in Ecclesiaste.

Ferunt et Fridericum ducem Saxoniae Electorem tandem mole illa curarum admodum defatigatum dixisse, saepenumero se consideratis omnium ordinum hominibus quaesivisse, quaenam vita vere beata esset in genere humano, quod ipsum etiam omnes eruditi et Philosophi magno studio inquisiverunt. Idem vero judicaverat quod Virgilius in Georgicis, cum inquit: „O fortunatos nimium, sua si bona norint, agricolas,“ miserrimam enim vitam et conditionem bonorum principum et magistratuum esse dixerat, illorum vero felicissimam, eo quod securi sub aliena clientela domi cum suis uxoribus et liberis viverent.

Magistratus enim ubique est et nusquam est, quando recte et fideliter vult officium facere. Qui

vero sibi tantum regnat, is haud unquam honeste et feliciter gubernabit, non enim satis est esse torquatum aut purpuratum, vehi curribus aut equis, ut tuis cupiditatibus indulgeas, sed ut servias reipublicae et subditis.

Alii vero cum vident plus oneris quam honoris in gerendo magistratu esse, defugiunt hanc molestiam, tametsi sciant se ad hoc vitae genus natos et divinitus vocatos esse, ut sunt nobiles, principes etc. Cur enim, inquiunt, tantum laborem frustra, aut in eventum incertum suscipiam? Potius solitariam et quietam vitam degam, induam cucullum etc. Vide autem quid inde consequatur, quid effecerint hac fuga monachi, Diabolus enim horribiliter illis illusit, ac verissima vox est, quae vulgo jactatur: Desperatio facit monachum. Non solum enim propter peccata desperarunt, sed etiam de oeconomia et magistratu gerendo.

Sic in conjugio videmus multos tantum voluptatem somniare aut exspectare, ea vero cum non licet frui, sed tristissima quaeque quotidie objiciuntur, ibi tum conjugium detestari et serio se spe sua frustratos esse queri incipiunt.

Contra has offensiones, quae solent incidere in singulis ordinibus, docet Scriptura, nequaquam fugiendam esse administrationem rerum, sicut inquit Paulus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, hoc est, utile et gratum Deo; tibi fortassis molestum, injucundum et malum, sed Deo placens et utile Ecclesiae et reipublicae, non ut canonici et monachi episcopatus aut sacerdotia ambiunt, qui sunt praeda Diaboli, nec possunt salvari in hoc vitae genere, quo vivunt extra divinam ordinationem, luxu, deliciis et helluationibus diffluentes.

Non est igitur otiosa, delicata et Epicurea vita degenda, remota ab omni administratione, sic enim dixit Deus: Replete terram et subjicite eam et dominamini piscibus maris etc., sed ut frenum tuis cupiditatibus et ambitioni injiciam, spinas et tribulos germinabit tibi terra, in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumtus es.

At vero quis aculeos illos spinarum, tristitiam, asperitatem, molestias et difficultates omnis generis ferat? fugiam potius. Non fugies, imo a teneris statim adsuesces non ad voluptatem, sed ad utilitatem communis vitae, ideo enim versaris in literis, ut servias reipublicae sive in Ecclesia, sive in politia. Ibi requiritur vir eruditus, patiens et fortis; ad has virtutes adsuefacies et exsuscitabis animum tuum. Quod si monasticam vitam potius delegeris, ibi Satan certissime ex paradiso in infernum te praecipitem agit, quia nihil aliud sunt monachi, quam inutilia pondera terrae, qui devorant domos viduarum et facultates pupillorum. Id non est divinum vitae genus, sed diabolicum.

Cogita igitur te ad hoc natum et vocatum esse a Deo, ut servias proximo, ac sane inter poenas peccati originalis non est minima gerere magistratum, et facile secunda post mortem: quin ex ethnicis aliqui, ut Demosthenes, mortem minus acerbam duxerunt, quam reipublicae administrationem, et Augustus qui fuit felicissimus et sapientissimus imperator cogitavit de imperio deponendo, alii vero, ut Nero et Caligula satanico furore prorsus effeminati, suis cupiditatibus frenum laxarunt.

Nos natura quidem et vitio originis dominationis cupidi sumus, ac venenum hoc imbibimus, inspirante Satana in paradiso (eritis sicut Dii quando comedetis

hoc pomum) ibi dixit Deus: Age explebo cupiditatem tuam, siquidem ambis locum et similitudinem Dei et cupis aliis praeesse et dominari, ich will dir zu regieren genug geben.

Itaque gerere magistratum est revera poena quaedam non levis et exigua, sed acerbissima et saevissima contra peccatum originale ut discamus quanta sit malitia hominum, qui reguntur et Satanae. Id enim nemo intelligit, nec credit, nisi magistratus, cui tota vi resistit Diabolus, et Michael pugnat non tantum in Ecclesia, sed et in politia cum malis angelis, quia rapina, furta, fraudes, caedes sunt opera Diaboli, quae magistratus quidem ex animis hominum non potest tollere, sed externa tamen delicta utcunque coercet gladio et poenis, quem in hunc usum gestat mandato et auctoritate Dei.

Meminerint igitur officii sui, ac viros se praebeant, ideo enim dignitate, purpura, auro et ornamentis eos cumulat Deus in terrorem Diaboli, et sceleratorum, quia peccatum originis furit, et Satan impellit homines ad omnis generis flagitia.

Hoc vero illud est quod inquit Deus: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est: das Unus hat ein gutlahr. Omnes quidem delectantur purpura, auro, titulis, verum cum incidunt quaestiones, casus, negotia, tum demum magnitudinem oneris perspicimus. Ibi vero virili et magno animo opus est, qui sciat se gerere onus et poenam peccati originalis, non molli et effeminato.

Saepe igitur solatio mihi fuit textus in Actis, ubi dicitur David administrasse voluntati Dei, cum tamen miserrima esset ejus gubernatio, plena seditionibus ac confusionibus omnis generis in politia et oeconomia,

ita ut non multum differret ab imperio Herodis. Quoties ingemuisse eum, et dixisse putabimus? „O si nunc liceret mihi domi oves patris mei pascere, quam libens cederem alteri sceptrum et coronam.“

Veruntamen haec consolatio nostra est, quod scimus hanc poenam nos in paradiso commeruisse, ubi divinitatem affectavimus. Iubet igitur Deus nos esse Deos et magistratus, et vertit tamen in gratiam et misericordiam, non in iram, imo etiam reputat in obedientiam et officium sibi gratissimum. Tu mihi servies, inquit, sic volo te praeesse reipublicae. Ibi mala illa et aerumnae gravissimae aliquo modo mitigantur, imo magnifice ornantur, siquidem certi esse possumus de voluntate Dei, quod acceptet suam ordinationem in Magistratu pro gratissimo obsequio. Sic igitur scio me administrare voluntati Dei, quando pro virili officium facio, et si quando conatus et consilia impediuntur, ibi frenum injicitur cupiditati meae, quae vero prospere succedunt, ea cedunt in gloriam Dei.

Haec dico propter carnalia somnia Iudaeorum, qui praedicant voluptatem illam et externam speciem gubernatorum: cupiunt vehi curribus aureis, audire acclamationes et applausum populi, onera autem et molestias nec cogitant, nec ferre volunt; atqui oportet gubernatorem esse virum, qui magno animo difficultates et onera reipublicae perferat, er mufs saur Suppen essen, und in ein sauren Apfel beissen künnen, wie wir im Paradeis in ein süssen bissen haben. Deus sancivit hanc poenam satis gravem in paradiso, et tamen in suum cultum convertit, et remedium peccati esse voluit, quo mortificaretur superbia et ambitio, quâ voluimus esse Dii. Non igitur quaerenda est vo-

luptas in administranda voluntate Dei, sed mortificatio nostri, ordinatio divina et salus proximi.

Nec dubito ipsum Ioseph hunc honorem et dignitatem multo magis excruciasse, quam carcerem et exilium, itaque nobis in exemplum est propositus, ne frangamur animis in gerendo magistratu, neve nostris cupiditatibus indulgeamus et fugiamus gubernationem, sed cum ad eam vocati sumus constanter officium nostrum faciamus, rebus adversis et secundis. Ac ab ineunte aetate adolescentes sic animum inducant suum: Navabo operam studiis doctrinae coelestis et bonarum artium, ut meo loco possim servire Deo, quia unus sum de peccatoribus in paradiso, ideo oportet me quoque tribulos et spinas habere in agro; interea acquiescam hac gloria, quod de gratia et benevolentia divina in hoc munere et obedientia certus sum.

Et dedit ei Asnath filiam Potipharis sacerdotis in On uxorem.

Ioseph iam erat emancipatus ac sui iuris jamque praefectus toti regno Aegypti et tamen sine consilio et voluntate sui regis non vult uxorem ducere, ut testetur suam obedientiam. Non enim supremam et regiam dignitatem sibi vindicat, nec abutitur potestate sua ad turbandum regnum aut Pharaonem ejiciendum per seditionem, quod nonnunquam solet fieri ab hominibus inquietis inter impios, cum ipsi quidem non deessent occasiones tumultuandi. Habet enim in sua potestate universam Aegyptum et haud dubie apud multos in magna gratia et auctoritate fuit, forte etiam quidam sceptrum et coronam ei obtulerunt, sed manet in timore Dei, ac defert regi debitum honorem et reverentiam, et cum ea quae ipsi erant liberrima non

faciat absque consensu regis, quomodo majora sine imperio ejus tentaret?

Deinde non solum hoc significatur, quod Ioseph summa voluntate studuit parere regi, verum etiam insigne argumentum est amoris est benevolentiae Pharaonis erga Ioseph, cum velit eum hoc modo singulari honore afficere in collocanda puella honestissima et nobilissima: fuit enim filia summi viri, et pontificis inter sacerdotes reliquos, qui apud Aegyptios in pretio et honore fuerunt, sicut infra apparebit 47. cum a pensione quintae partis terra sacerdotalis eximitur.

Ideo singulari consilio et studio Pharaonis hanc puellam uxorem duxit, quae erat summo loco nata, quia id agebat rex, ut quibus posset modis ipsum ornaret, quo auctoritas ejus esset sacrosanctior, etiam propter socerum summum pontificem in regno Aegypti.

Disputant vero omnes interpretes hoc in loco, an hic Potiphar idem sit, qui fuit dominus Ioseph, eumque emit ab Ismaelitis. Iudaei et Hieronymus, qui sequitur Iudaeos, egregie nugantur: cum enim princeps ille laniorum et dominus Ioseph supra (סָרִיס) id est, eunuchus appellatus sit, quaerunt quomodo potuerit filiam gignere? Id nimirum studio habent homines maledici et superbi, ut gentibus obtrectent, et bona eorum etiam ac recte facta calumnientur; soli enim volunt esse populus Dei, ac invident illis, si quid honeste et laudabiliter unquam gesserunt, ideo libenter resisto spiritui eorum, cum sciam eos maligno et superbo ingenio detrahere gentibus. Fingunt igitur Potipharem illum emisse adolescentem Ioseph et propter insignem formam voluisse eo abuti ad libidinem, sed Deum prohibuisse scelus hoc et arefacta esse Potiphari virilia, nec potuisse operam dare liberis: haec

facile quidem finguntur, sed rationem figmenti aut testimonium nullum adferunt.

Augustinus etiam laborat in explicatione hujus quaestionis et tamen ita concludit: Si quis sentiat duos fuisse Potiphares, non peccat in Scripturam sanctam, et sine periculo fidei hoc statuitur.

Ego plane credo duos hoc nomine et appellationem communem et usitatam multis aliis fuisse; sicuti nostri libenter mutuantur nomina regum, principum, ut Maximiliani, Ferdinandi, Caroli, multo magis vero sanctorum Henrici, Kunegundis, Cunradi, et in Saxonia a Lothario sive Lutherio, ut Caesar eum appellat, celebre nomen, et familia nata est die Lüder, sic in Aegypto nomen Pharaonis cum aliquo adjuncto multi usurparunt. פַּרְעֹה פָּרַע proprie est Pharao, et פֹּטִי: quae autem etymologia sit, relinquo Hebraeis investigandum.

Arbitror igitur hunc sacerdotem alium esse a superiore, ita ut Ioseph non duxerit filiam heri sui ac prudenter sibi cavisse videtur, cum in promptu esset exemplum matris adulterae, ideo judico honestissimum et castissimum juvenem abstinuisse studio a nuptiis filiae matris inhonestae.

Sic enim monachus ille consulebat, qui vellet ambire puellam, ei non esse respiciendum ad patrem, sed ad matrem potius, cujus mores plerunque filiae imitarentur et Germani proverbialiter dicunt: Das Bier schmeckt nach dem Fafs, ist die Mutter ein Hur, so ist die Tochter nicht frumm. Potest tamen fieri ut turpis mater, aut pater impius generent filiam aut filium bonum et honestum et econtra. Haec mea sententia est, fuisse duos viros hoc nomine, illum superiorem praefectum carnium per totam Aegyptum, hunc vero

episcopum ecclesiarum et cultus divini, cujus filiam duxit Ioseph consilio regis; relinquo autem in medio, sitne vera haec opinio an non, quia in eo non periclitatur fides et religio Christiana.

Hoc potius quaerendum erat, quare duxerit Ioseph vir sanctissimus uxorem idolatram, gentilis et impii sacerdotis filiam, consentaneum enim est omnes sacerdotes Aegypti, sicut aliarum quoque gentium fuisse impios et ignaros promissionum, quae patribus datae fuerunt. Cur non parentis potius consilio aliam duxit ex sua gente et familia?

Respondeo: Non est dubium sacerdotes illos omnes, tametsi non nossent doctrinam et promissiones, fuisse tamen honestos et bonos viros civiliter, nec fuit peccatum jungere sibi matrimonio gentilis filiam, quia Abraham duxit Sarai in Ur Chaldaeorum, in civitate Babyloniorum sacrilega et impia: quin etiam ipse impius fuit, sicut scriptum est Iosuae capite secundo: „Trans fluvium habitaverunt patres vestri, et servierunt Diis alienis.“ Hoc mihi quidem non liceret dicere de tantis viris, sed Iosua nihil veretur eis impietatem ipsorum exprobrare, et ingens beneficium fuit, quod vocatus est a Deo de Ur Chaldaeorum, revelatis promissionibus de Christo.

Sic Rebecca in domo Bethuelis impii, Lea et Rachel ex Laban idolatra natae sunt, filii autem Iacob non duxerunt uxores de cognatione sua, sed ex familiis Cananaeorum. Abraham adjunxit sibi Hagar ancillam Aegyptiam, Boas Ruth Moabitidem, Salma dux Iuda Rahab meretricem, ac ejusmodi connubia plura postea contracta sunt in Aegypto.

Etsi igitur fuit impia Asnath, nec dum sincera cognitione pietatis imbuta, tamen sine peccato eam

duxit et postea docuit de cultu et invocatione veri Dei. Fieri autem potest, ut multi ex sacerdotibus cum audirent Ioseph docentem, et tot praeclaras virtutes admirarentur in eo, conversi sint ad pietatem a cultu Idolorum, sicut David Psalmo 105, 22. dicit, fuisse Ioseph episcopum episcoporum, et doctorem doctorum.

Et regis pietas, aut qualiscunque lux ex verbis ipsius deprehendi potest, cum dixit supra Ioseph habere spiritum Dei, unde apparet eum non coluisse plures Deos, sunt enim verba pure Deum colentis, et fortassis vestigia et reliquiae quaedam doctrinae patrum ab Abrahamo traditae manserunt in Aegypto, licet paulatim aliquid caliginis obrepserit, sicut fit in propagatione religionis, ubi Diabolus perpetuo miscet zizania. Hodie Evangelii doctrina repurgata multos lucrifecit oppressos tyrannide Antichristi, sed simul etiam exierunt e nobis Anabaptistae, Sacramentarii et alii fanatici, qui de trinitate et incarnatione Christi palam impia tradiderunt, non enim fuerunt ex nobis, tametsi nobiscum ad tempus essent, verum non puritatem doctrinae sed suam gloriam et famam quaesiverunt.

Sic Aegyptii primum sinceram doctrinam et promissiones ex Abrahamo audiverunt, sed hae postea obscuratae sunt per falsos doctores, donec tandem per Ioseph repurgaretur.

Inde igitur colligo eum fuisse maritum sanctae et piae mulieris, sive ante conjugium, sive postea erudita sit a Ioseph, et facta est mater in Israel et matriarcha, sicut Rachel, Lea, Thamar, quia parit Manassen et Ephraim patres duarum potentissimarum tribuum.

Id in nostram doctrinam scriptum est, ut magnitudinem miseriae et calamitatum ejus intelligamus, de quibus inquit Psalmus 105, 18. „Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit anima ejus." Sive de catenis quibus vinctum fuerit corpus ferrum accipias, sive eo sensu, quo inquit Simeon ad Mariam: „Animam tuam pertransibit gladius," consentaneum est eum primo impetu et furore domini compedibus constrictum fuisse, postea vero invenit gratiam in oculis principis carceris, qui solvit compedes et commisit ei custodiam vinctorum.

Hoc exemplum nobis propositum est, ut et nos adsuescamus ad patientiam, exspectationem et perseverantiam in malis, etiam si mora excruciat animos nostros. Deus enim videt finem afflictionum, sicut inquit ad filios Israel apud Ieremiam 29, 10. „Cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos et firmabo super vos verbum meum bonum et reducam vos ad locum istum, ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam:" es soll nicht ewig währen captivitas Babylonica, es ist zu thun um 70. Iahr, es thut aber wehe habere patientiam et exspectare finem.

Scribuntur igitur haec ut legamus et meditemur et discamus manum Dei ferre visitantis et flagellantis nos; non enim infinitum tempus est afflictionis, ut apparet, sed Deus momenta et horas certas definivit, tantum perseverantia opus est, sicut inquit Christus: „Qui perseveraverit in finem, salvus erit."

Vide aliorum omnium Patriarcharum exempla, quanta constantia duraverint in aerumnis, et in illis

perspicies tolerantiae et perseverantiae fructum, sicut testatur opus divinum et memorabile gloriae et exaltationis Ioseph, qui nunquam ad tantum honorem pervenisset, nisi fuisset antea vexatus, mortificatus et oppressus. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Hoc diligenter et perpetuo inculcatur a Spiritu sancto, ut sciamus credentes tentari quidem, sed non consumi et in nihilum redigi, ut fidem eorum imitari eaque nos erigere et sustentare possimus. Virgilius de Aenea narrat, eum socios suos exemplis priorum liberationum erexisse: O socii neque enim ignari sumus ante malorum, o passi graviora, dabit Deus his quoque finem, item: Superanda omnis fortuna ferendo est, man mufs nicht aufhören, noch ablassen. Quod si ethnici tanto robore animi omnis generis difficultates superarunt, cur in nobis Christianis id desiderari patiemur?

Et egrediens Ioseph a Pharaone, pertransiit totam terram Aegypti, et protulit terra in septem annis ad condendum. Collegit vero ille omne alimentum septem annorum, quod fuit per terram Aegypti, et reposuit id in urbibus: cujuslibet agri proventum convexit in eam urbem, quam ambiebat ager, et coacervavit Ioseph frumentum vehementer multum, tanquam arenam maris, ita ut cessaret numerare, quia non erat numerus.

Haec alia egressio est quam superior, jam enim accedit ad rempublicam, nec manet tantum coram Pha-

raone, séd aulicam administrationem alteri demandat, ac raro in aulam redit, peragranda enim denuo est universa Aegyptus, quam antea obiter tantum inspexit, jamque vicatim et oppidatim horrea et alia disponit, ac proventus annuos numerat. Omnia vero prospere succedunt, ac sponte se subjiciunt ipsi totius regni subditi, praestant homagium, ac summa voluntate obtemperant. Ita pulcherrime constitutum fuit regnum, ac tum sane videtur aureum seculum Aegypti fuisse.

Sustinuit vero Ioseph ingens onus, quod non potuisset ferre, nisi Pharao auctoritate sua ei adfuisset, ea enim animos subditorum et obedientiam ipsi conciliavit, atque haec duo cum conjuguntur, ibi reverentia magistratus et felicitas in consiliis et omnibus actionibus facillime sequitur. Non enim timetur propter poenam, sed colitur et honoratur propter virtutem et sapientiam. Quando autem regnat מַעֲבִיר ein Scherg, quo nomine notatur Seleucus Philopator Danielis 11, 20. ibi non est obedientia spontanea quia contemnitur persona, quae nihil dignum gerit magistratu. Debent igitur conjuncta esse in gubernatore auctoritas et reverentia, etsi universale mandatum Pauli est: Cui honorem honorem, cui timorem timorem.

Excitantur autem homines ad reverentiam virtute, sapientia, justitia, moderatione eorum qui praesunt. Propterea enim Ioseph valuit auctoritate apud Pharaonem et reliquos proceres ac subditos regni, ut ad quemlibet nutum saltem, aut unius digituli motum sequeretur obedientia et successus. Non coegit eos vi, aut suppliciis, quod tyranni solent facere, quorum imperia violenta sunt, neque tamen efficiunt, ut subditi ex animo ipsis pareant, imo magis a se abalienant.

Ingens vero beneficium est, quando populus in principibus admiratur prudentiam, pietatem, prosperitatem et conspectu, gubernatione, ac laudibus delectatur, ita ut singulari favore et studio obtemperandum ipsis ducat: quando vero propter scelera et flagitia cum apud subditos, tum passim apud omnes male audiunt principes, dafs man sagt: unser Fürst ist ein Böfswicht, ein Mordbrenner, id regimen longe est infelicissimum.

Pergit igitur Ioseph exsequi officium magistratus in colligendo frumento, et disponendis horreis per singulas civitates; non enim fuit negligens aut otiosus, tametsi summa auctoritate esset circumdatus propter sapientiam et virtutem omnis generis et Spiritum sanctum, quem animadverterat in eo Pharao, tamen requiritur studium et vigilantia. Nunquam enim tam accurate homines officium faciunt, quin opus habeant oculo gubernatoris, id quod veteres significarunt, cum finxerunt in Iovis sceptro oculum humanum, estque pulcherrimum symbolum; sic enim proverbio dici solet: Oculus domini impinguat equum, item frons occipitio prior est, hoc est, visitatio et inspectio utilis et necessaria est in omni gubernatione. Ideo Ioseph diligenter singula perlustrat in tota terra, in eam habet defixos oculos, non extra terram, quod homines ignavi aut curiosi solent.

Sic in functione ecclesiastica requiruntur episcopi et inspectores fideles, qui puritatem doctrinae, ac verum usum sacramentorum serio tueantur, falsa et impia dogmata a veris discernant, ac tanto quidem magis iis advigilandum est, quanto avidius inhiant gregi lupi rapaces, sicut videmus haereticos et Papam, esse vigilantissimos: non dormiunt securi, non stertunt, sed

in omnes occasiones intenti sunt, quibus animos piorum in fraudem illiciant.

Sed ad textum redeo, ubi displicet mihi nimia licentia nostri interpretis, qui per paraphrasim hunc locum exposuit, neque tamen intellexit ipse quid diceret (venitque fertilitas septem annorum. et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti). Est rhetorica intempestiva, retinenda enim et explicanda sunt verba textus, sic igitur ex Hebraeo ad verbum reddi debet: Et fecit terra in septem annis fertilitatis ad acervos, et congregavit, scilicet Ioseph: nam et Hieronymus et Lyra accipiunt pro segregare in manipulos, sed post trituram acervatim accumulavit, hat große mächtige Haufen zusammen getragen in sieben Iahren, postquam terra protulit, congregavit ipse omnem escam ministerio hominum in horrea. Fuit prudentissimus vir, qui non in unum cumulum redegit omnem proventum septem annorum, sed in qualibet civitate reposuit escam agri, qui erat in circuitu ejus, hoc est, quaelibet civitas sic ordinata fuit per Ioseph, ut in singulis congregaret frumenta de agris ambientibus eas, non collective, sed distributive accipiendo: ita ut singulae civitates singula horrea habuerint.

Ad hunc modum commendatur ordo in congregatione frumenti, qui in alijs etiam maximam laudem et commendationem habet; facilius enim ac felicius succedunt quae ordine geruntur, cum in republica, tum in oeconomia, quam quae sine certa lege temere feruntur. Semper fiunt majores profusiones, quando regimina non sunt recte atque ordine constituta, sicut apparet in aula nostri principis; quam si redigeret in ordinem, non opus esset tam magnis et infinitis sum-

tibus: ordo enim conservat, confusio vero dispergit; sic boni patresfamilias qui ordine administrant res domesticas facile ditescunt.

Atque haec dico contra Hieronymum, qui sua paraphrasi hunc ordinem obscurat et pervertit; fuit enim haud dubie pulcherrima dispositio omnium rerum, messis, triturationis, coacervationis, imo etiam equorum, curruum, et minutissimarum rerum. Cuilibet civitati relinquit proventum sui agri, tantum quintam partem demit, sine ullo detrimento hominum et eam recondit in horrea, ut crescat et augeatur alimentum ad futuram famem, ideo enim addit et congregavit triticum sicut arenam maris, multum nimis, usquequo desineret numerare, quod non de granis intelligitur, sed de modiis frumenti, quod colligebatur et tamen tantam copiam pulcherrime ordinavit et disposuit. Haec prima pars est sapientiae in gubernatione Ioseph.

Natique sunt Ioseph duo filii antequam veniret annus famis, quos illi genuit Asnath filia Potipherae sacerdotis in On.

Diximus de septem annis fertilibus, qua industria et prudentia congregaverit Ioseph triticum in horrea Aegypti, porro autem de filiis Ioseph quod recitatur, videtur prorsus otiosum et oratio ipsa quoque incongrua est. Sic enim est in Hebraeo: Ioseph natus est duo filii etc. Verum hoc grammaticis relinquo expediendum, quare tantus orator Moses tam incongrue locutus sit: illud vero ad locum superiorem pertinet contra vesanam Iudaeorum superbiam et gloriationem, qui omnes gentes abominantur, nulla ratione habita sanguinis materni, Aegyptiaci, Chaldaici, Ammonitici, Moabitici, perinde ac si ego damnarem Iudaeos et ipsi

tamen convincerent ex Scriptura sancta me matre Iudaea genitum esse, ibi merito temeritatis accusarer, verum illi perfrictae frontis homines nullis testimoniis aut rationibus moventur, ut errorem agnoscant et corrigant.

Insignis igitur hic locus est, qui testatur duas nobilissimas tribus Israel ortas esse ex matre Aegyptia, in despectum Iudaeorum et gloriam gentium, ac in futuro judicio et vita audiemus nos Davidem et Patriarchas salutantes mulieres ethnicas Rahab, Ruth, Thamar, Asnath matres, ex quibus progeniti fuerunt secundum carnem. Quamquam autem nihil dubium est utrumque filium a Ioseph circumcisum esse, tamen tanta in eo fuit sapientia, ut reliquos Aegyptios non cogeret ad circumcisionem. Nusquam enim legitur regem ipsum aut quemvis alium circumcisum esse, et infra cap. 43. audiemus Aegyptiis illicitum, imo abominandum fuisse, comedere cum Hebraeis pastoribus, et quamquam patefit aditus filiis Iacob in aulam, ut ibi cibum capiant, propter auctoritatem et gloriam fratris, tamen seorsim comedunt Ioseph et fratres.

Rexit igitur regnum Aegypti, quod ceremonias et mores Iudaeorum abominabatur, quoad circumcisionem, et tamen reliquam doctrinam audiebat. Deus mirabiliter eum duxit in hac gubernatione, ubi religio ejus partim approbata, partim repudiata fuit, fides nimirum et cognitio Dei acceptata, circumcisio vero rejecta.

Vocavitque Ioseph nomen primogeniti Manassé, ac si diceret: Quoniam effecit Deus, ut cuncti laboris mei, et universae domus patris mei obliviscerer.

Mirabilis haec oratio est, quod ait Ioseph, se non

tantum omnium aerumnarum, sed et universae domus patris sui oblitum esse. Ad minimum enim fuit Manasse duorum aut trium annorum, ante annos famis, medio tempore fertilitatis jam elapso. Quare interea non misit legatos in Hebron, qui de patre et fratribus inquirerent? imo studio quodam et jubente Deo, oblivioni se tradidisse significat domum patris cum omnibus laboribus et miseriis. Id enim significat Hebraeis (עָמָל) ut Hiob 5, 7. Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum; sic universam historiam tredecim annorum vocat Ioseph (עָמָל) afflictionem, miseriam.

Sed videtur sapientissimus et sanctissimus vir, qui haud dubie amavit patrem et fratres, hic aliena a pietate, loqui, nemini enim sic licet dicere, nisi impio, se oblitum esse domum patris sui: atqui Memphis regia Aegypti non abfuit a terra sancta per terram Philistinorum et desertum Arabiae Petreae amplius XL aut L milliaribus, juxta Cosmographos, Hebron ubi pater Iacob habitavit, fuit propemodum in confinio Aegypti. Cur igitur tam potens dominus, in cujus potestate erant equi et currus Aegypti, non misit exploratores ad patrem in Hebron? Num ista est reverentia et honor parentum, gloriari insuper quod sis oblitus domus paternae? Tolerabilius fuisset, si miserias suas omnes oblivioni se tradidisse dixisset, neque illud de domo patris adjecisset. Quid dicam sane nescio, nisi quod ex hoc loco videtur illud Psalmi sumtum esse: „Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.“ Ceterum dura admodum vox est, qua gloriatur de oblivione domus paternae, neque causam video, ob quam de rebus domesticis negligentius inquisiverit, an forte

cogitarit patrem et fratres defunctos esse aegritudine animi, an vero omnem spem haereditatis paternae adeundae abjecerit. Sic enim sonant verba: Oblitus sum universae domus patris mei, hoc est, jam non ero haeres bonorum paternorum, sicut somnia olim oblata significare videbantur de imperio in fratres et parentes: cogitavit esse phantasmata et humana somnia aut ludibria, quae non sint habitura eventus speratos, atque ita pro nova mortificatione hoc accipi potest, qua Deus occidit Ioseph, et impellit, ut certo sibi persuadeat fore inane et irritum somnium illud. Manebo ego in Aegypto, cogitavit, ubi aliquando me sublato Deus providebit posteris meis aliam haereditatem. Sic plena fide resignat gloriam primogeniturae, quam habuit in domo patris, et promittit sibi et filiis suis benedictionem Domini longe alia ratione, quam antea speraverat.

Manet tamen adhuc quaestio, quare non miserit legatos seu exploratores ad patrem; quamquam enim magna virtus est, quod paternae haereditatis spem omnem abjicit, ac eo acquiescit quod aliunde in Aegypto obventurum sit, tamen mirum est, quod non misit in Hebron, qui inviserent patrem cum fratribus, ut de eorum vita et statu renunciarent, aut Deus impedivit cogitationes hasce aut obstiterunt occupationes et negotia, quae tamen tanta non fuerunt, quin posset ablegare ministros in Hebron, aut ea causa fuit cur neminem mitteret, quia Aegyptii abominabantur Iudaeos et pastores, ideoque non libuit ipsos ad se accersere, aut per spiritum propheticum vidit venturos ad se propediem fratres cum parente, aut si peccati arguendus videtur, recensebimus eum in eorum numero, qui peccant omissione: quidquid est, mirabilis pro-

facto sermo est, quo significat se universae domus patris oblitum esse.

Nomen vero secundi appellavit Ephraim dicens: Crescere me fecit Deus in terra afflictionis meae.

Retinet memoriam miseriae et aerumnarum suarum, atque hoc vult dicere: En exsul et inops fui, et tamen Deus qui respicit humiles afflictos, perditos, damnatos, etiam mei misertus est, et dedit filium Manassen, ut obliviscerer omnium calamitatum, deinde alterum addidit, ut crescerem et mutiplicarer in terra passionis et doloris.

Id enim significat vox עֳנִיִי, et usurpatur eadem significatione Iesajae 53, 3. Fui, inquit, captivus in carcere, ubi de vita et liberatione spem omnem abjeceram, ita ut possem dici truncus et stipes mortuus, qui haud unquam germinaturus esset. Verum ut Iesajas de virga ex radice Iesse pululatura loquitur, ita Ioseph de se dicit, ex trunco sterili et emortuo oriri posteritatem et quidem de muliere Aegyptia, das ist ein wunderbarlicher Gott.

Haec vero exempla sunt pertinentia ad fidem erigendam et confirmandam; si enim possemus nos quoque perseverare in tentationibus, tum sane nomen illud et naturam Dei cognosceremus, quod non solum efficit, ut miseriarum obliviscamur, sed etiam crescant et multiplicentur hi, qui in nihilum redacti sunt.

Atque haec insignis laus et glorificatio Dei fuit, qua praedicavit Ioseph opera Dei admiranda, nimirum ex nihilo facere omnia, quae nos quoque agnoscere atque in iis exerceri debemus. Oportet enim nos humiliari, mortificari, ac granum frumenti in terram jac-

tum mori et resurgere cum multiplici fructu, quia est Deus אֶפְרָיִם id est, fructificationum, sed in terra עָנְיִי hoc est, mortificationum, estque perpetua et unica regula divinorum operum: Omnia ex nilo facere.

Sic enim sepelimur et mandamur humo, putredini et vermibus, seminamur in infirmitate, corruptione, ignominia et foetore, adeo abjecta et turpi specie, ut fere magis optandum esset non esse natum quam ita ignominiose corrodi et consumi a vermibus et putredine. Ita redigimur in nihilum, sed Deus inquit, ex hoc nihilo et עָנְיִי, ex hac putredine, vermibus, foetore et pulveribus suscitabo te et faciam non solum Manasse, sed etiam Ephraim clariorem quam sol est, atque ita fiet tandem, quia habemus promissionem certissimam. Etsi igitur in hac vita non fluunt omnia ad voluntatem et placitum nostrum, tamen in futura id quoque praedicabimus: Oblivisci me fecit Deus domus patris, et omnis miseriae meae.

Hanc vero oblivionem paulatim nobis in hac vita obrepere oportebat; etsi enim nunc dum vermes et putredo ob oculos sunt, non possumus non eorum meminisse, tamen erit aliquando cum omnem lacrimam absterget Deus, ut in Apocalypsi dicitur. Incipiat igitur fides oblivisci lacrimarum et ignominiae, quam ipsa non cernit, tametsi oculi videant putredinem, aures querelas et gemitus audiunt, nares foetorem cadaveris olfaciunt, tamen fidei est dicere: Nescio hoc, nihil video, imo multiplicationem et claritatem ipsum solem et stellas superantem aspicio.

Hoc ergo fine proponuntur talia exempla, ut discamus Deum esse creatorem omnium, vivificatorem

mortuorum, clarificatorem vermium et turpissimae putredinis, idque in hac vita a nobis fide agnosci et celebrari vult, postea vero in futura reipsa experiemur.

Ioseph non fit princeps Aegypti, nec Iacob prius tanti populi semen videt, quam mortificetur uterque, idque didicit Ioseph propria experientia, ideo dicit: Es mufs dahin kommen, dafs einer vergesse alles, was er auf Erden zu hoffen hat, eram primogenitus et haeres ex matre primaria, hoc totum periit, nec spes ulla restat de haereditate aut primogenitura in domo patris adipiscenda, ideo appellat filium in honorem Dei Manassen; eo quod redegerit Deus ipsum in nihilum, et effecerit ut oblivisceretur universae domus patris; quia autem aliquam fructificationem concesserat data sobole, alterum filium nominat Ephraim, qui infra ab avo Iacob insigni benedictione cumulabitur, ac fuit sane tribus illa potentissima, sicut apparet ex libris Iosuae, Iudicum et Regum. Ieroboam fuit ex tribu Benjamin, et inde denominatur regnum Israel in prophetis, quorum fere excellentissimi quique ex hac tribu orti sunt, ut Elias, Elisaeus, Hoseas et alii.

Discamus autem hoc ex loco exaltationem praecedere solere mortificationem; oportet enim nos prius fieri Manasses, hoc est, redigi in nihilum, quamquam non sine magno dolore hanc occisionem perfert caro, sicut natura in universum fugit corruptionem et destructionem sui, et ne arbor quidem aut frutex sine fragore succiditur, et Christus ipse in cruce clamat: Deus Deus meus quare me dereliquisti? Deinde moderationem animi in Ioseph imitari studeamus, qui non effertur tanta dignitate et successu, sed manet in humilitate.

Ceterum mirabilis fuit gubernatio ejus, cum ne-

liquerit Aegyptios in praeputio et filios Ephraim et Manassen circumciderit, servata lege patris. Sic enim omnibus omnia factus est, ut omnino aliquos salvos faceret, quod de se dicit Paulus primo Corinth. 9, 22. Non enim ita oblitus est domum patris sui, ut etiam promissiones datas a Deo oblivisceretur, sed cum haberet Spiritum sanctum, ac insigni sapientia et doctrina in rebus spiritualibus excelleret, summa diligentia retinuit promissionem de Christo et futuro ejus regno, ideo in carcere sustinuit mortem, et tamen non passus est sibi fidem excuti et exspectationem resurrectionis. Legalia autem in domo parentis et quae ad primogenituram sive promissiones corporales pertinebant, oblivioni tradidit, servata promissione vitae.

Fuit vir plenus sapientia et scientia spirituali, ac mansit in illa discretione, de qua inquit Paulus: gentibus gentilis, Iudaeis Iudaeus etc. Ego non habuissem tantum spiritum, aut fidem, nec potuissem gubernare Aegyptum relictis ritibus et civilibus legibus, ac forte etiam aliqua parte religionis, quae non prorsus aliena esset a vera cognitione Dei, cum ipse peculiarem religionem haberet pro se et filiis suis. Dixissem: Non possum administrare incircumcisos, sicut Apostoli Petro objiciunt Act. 11, 3. „Quare introisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis?“ Aut ut quidam docebant Act. 15, 1. „Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis salvari.“

Sed habuit spiritum apostolicum, sicut Petrus admonitus per visionem inquit: „Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo conjungi, aut accedere ad alienigenam, sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem etc.“ Ioseph

non solum accedit, sed etiam gubernat incircumcisos, quod nullus apostolorum fecisset, ante datum Spiritum sanctum, nec Ioseph ausus esset, nisi fuisset in eo spiritus propheticus et apostolicus.

Hactenus igitur inseruit Moses historiam de duobus filiis Ioseph: erant enim adoptandi a Iacob, et futuri duces duarum tribuum, ideo recensentur hoc loco, ut impleatur promissio data Iacob: Cresce et multiplicare etc.

Exactis itaque septem annis fertilibus, qui fuerunt in terra Aegypti, venire coeperunt septem anni famis, quemadmodum praedixerat Ioseph. Et in universo orbe fames praevaluit, in cuncta autem terra Aegypti panis erat; cumque fames grassari inciperet etiam in tota terra Aegypti, clamavit populus ad Pharaonem pro alimentis, et dixit Pharao ad omnes Aegyptos: Ite ad Ioseph, quidquid vobis ipse dixerit, facite. Cum itaque fames esset in universa illa terra, aperuit Joseph omnia (horrea) in quibus erat (annona) et vendidit Aegyptiis: invaluerat enim fames per terram Aegypti.

לֶחֶם supra diximus non tantum panem significare, sed generaliter omnem escam, id quod ex hoc loco etiam manifestum est; in veteri autem translatione sciolus aliquis supposuit famem, pro pane, nihil enim dubium est, Hieronymum transtulisse escam. Nondum erat fames in terra Aegypti, sed restabat adhuc penus locuples ad sublevandam penuriam alimentorum. Postea vero sequitur: Cum famesceret terra Aegypti etc.

Observandum autem hoc in loco est, Ioseph septem annis saturitatis non collegisse omne frumentum universae Aegypti. Nam et privati homines, qui crediderunt ejus verbo domi suae praeter horrea regia et provincialia cellas penarias struxerunt, estque synechdoche, cum dicitur collegisse Ioseph frumentum in terra Aegypti, sicut supra de quinta parte audivimus; praeter eam si quid superfuit privatis, id etiam asservarunt septem annis fertilibus.

Itaque ad minimum uno anno habuerunt unde vitam tolerarent, nondum apertis publicis horreis, nec septem annis integris fame pressi sunt, sed quinque aut sex ad summum, privata enim congregatio rusticorum et civium plurimum profuit uno aut altero anno; ceterum vicinas regiones statim afflixit fames, cum non prospexissent sibi ad futuram sterilitatem, Aegyptiis vero magnam levationem attulit admonitio Ioseph de secutura penuria, ideo nondum fame laborarunt, egentibus jam finitimis ditionibus, quia in Aegypto erat adhuc Bethlehem, seu domus panis. Tertio autem et quarto anno demum invaluit fames, sicut infra dicet Ioseph: Adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti, atque ea subinde gravior, et ultimorum annorum durissima haud dubie fuit. Itaque populus coactus est petere ex granario regio frumentum, ac tum patuit utilitas consiliorum Ioseph, ac pietas regis, qui summa fide et diligentia curavit prospici subditis per hunc virum, in cujus humeros totam administrationem reclinaverat, sicut jubet eos accedere ad Ioseph, et ejus consilio et monitis parere.

Ingens vero onus fuit, quod toto illo tempore sustinuit, ac paene plus negotii fuit in distrahendo

frumento septem annis famis, quam antea in colligendo. Mundus enim sui similis est, omnibus temporibus, et in tanta difficultate annonae, et multitudine egentium non desunt fures et raptores; quamquam ipse non tantum famis, sed et fertilitatis tempore sedulo moneret, ac multis praeclaris concionibus cohortaretur populum ad agnoscenda beneficia Dei, ad humilitatem, et ad poenitentiam agendam propter mala sterilitatis impendentia, vulgus autem contemsit haud dubie, ac nihilominus luxui et helluationibus indulsit, imo nec pii collegissent frumentum, nisi verbo ipsius credidissent.

Ad doctrinam vero adjunxit precationes et vota pro salute hominum, ac postea ingruente periculo famis, monuit praesentem poenam cum praedictionibus congruere, quo magis emendarent vitam ac mores, et assentirentur doctrinae de Deo. Nec solus ipse docuit, sed per praefectos, aut alios ministros populum erudiit, non modo in Aegypto, sed et in vicinis terris, quia fuit vir pius et assiduus in administratione politica et ecclesiastica, idque et precibus et concionibus egit, ut pie et secundum voluntatem ac verbum Dei omnia gererentur, quamquam plerique haec contemnerent et riderent.

Cum vero invasisset fames totam Aegyptum, et privatorum horrea exhausta essent, aperuit Ioseph omnia (nam in Hebraeo non additur horrea, nec scio quomodo omissum sit). Distributive vero accipiendum est, de singulis horreis in qualibet civitate, quibus apertis vendidit frumentum, quia fuit optime constitutum et ordinatum regnum prudentia Ioseph, ut supra dictum est. Non fuit confusa et inordinata distractio, ut ab una civitate reliquae omnes petere cogerentur,

sed in singulis locis fuerunt granaria, et in qualibet civitate unum aliquod aperuit, reliquis clausis, donec necessitas sequentium annorum exigeret, ut ad civium alimenta inde promeretur frumentum. Nam illis primum succurrit, ne fame perirent, compluribus aliis in Canaan et vicinis regionibus exstinctis, antequam cogitarent de emenda annona a Ioseph.

Omnes quoque regiones venerunt in Aegyptum, ut emerent a Ioseph, invaluerat enim fames per universam terram.

Infra ait Ioseph ad fratres, se missum a Deo in Aegyptum, ut vitam et posteritatem eorum servaret, et si igitur perierunt impii et peccatores, tamen justi sunt servati, Iacob pater et fratres Ioseph. Vocem Hebraeam (שֶׁבֶר) commendo Grammaticis, nam hactenus eam non habuimus in Mose; (בַּר) aequivocum est. Significat filium, electum, purum et frumentum, ut hoc loco. Quare autem (שֶׁבֶר) pro vendere exponatur, nescio, alias fractionem aut contritionem significat; puto esse talem vocem, aut phrasin, qualis in Germanica lingua est: Er hat weder zu beissen, noch zu brocken, vom brechen; sic illi venerunt ad frangendum, hoc est, emendum, ut materia pro materiato per synechdochen accipiatur, sicut ferrum pro gladio dicere solemus. Sed haec relinquo Hebraeis.

CAPUT XLII.

Et videns Iacob quod esset frumentum in Aegypto, dixit ad filios suos: Quare vos

ipsos mutuo aspicitis? dixitque: En audivi quod sit frumentum in Aegypto, descendite illuc et emite vobis inde frumenta, ut vivamus, et non moriamur.

Tota haec res geritur ad occasionem glorificandi Ioseph et ostendendi mirabilia Dei. Historia ipsa satis facilis est, tantum grammatica et theologica quaedam explicanda sunt. Dixit Moses in fine praecedentis capitis, invaluisse famem in universa terra, ac propterea confluxisse populos ex omnibus regionibus, pro alimentis emendis in Aegypto, interea vero Iacob quoque cum suis esurire incipit, itaque in hunc modum suos filios alloquitur et monet ut eant frumentatum.

Rursus vero occurrit vocabulum (שֶׁבֶר) quod supra frangere interpretati sumus, et sic sonant verba hoc in loco: Videns esse fractionem in Aegypto. Nobis igitur, qui Hebraeam linguam nescimus ad hosce loquendi modos, et vocabula nova assuescendum est, ut recte eorum vim et proprietatem accipiamus.

Iudaei propterea fractionem dici nugantur, quod frangat famem, ego vero odi vanitatem et levitatem istam Rabbinorum, qui perpetuo suas nugas nobis pro Grammatica et Theologia obtrudere conantur, nulla ratione phrasium in Scriptura sancta habita, unde expositio hujus et aliorum verborum sumi potest. Sic enim loquuntur Prophetae, ut Iesajas 58, 7. „Frange esurienti panem tuum." Et Ieremias Thren. 4, 4. „Non erat qui frangeret eis panem," hoc est, divideret, habuerunt enim Iudaei panes similes placentis, nec ad scindendos eos cultris opus fuit; atque idem videre est in historia Evangelica, ubi discipuli agnoscunt

Christum ex fractione panis, item cum dicitur accepisse panem et fregisse. Postea etiam ad animam translatum est, ut Psalmo 12. Contritio et infelicitas in viis eorum, item spiritus confractus, hoc est, tristis et afflictus, et divisus in multas cogitationes et consilia, da man nicht weifs wo aus.

Observanda igitur haec phrasis est, quod fractio panis Hebraeis idem est quod divisio, sive distractio, aut venditio et emtio cibi et alimentorum, et facta est translatio per quandam similitudinem. In Prophetis autem frequentius occurrit, quam alibi, Salomo Proverb. 11, 26 etiam ea usus est: Benedictio super caput frangentis, id est, distribuentis, vendentis; non solum enim propriis, verum etiam figuratis vocabulis utuntur, more aliarum linguarum, imo prae caeteris maxime figurato sermone delectati videntur.

Deinde hoc quoque notandum est, carere Hebraeos verbo substantivo „sum," et pro eo uti pronomine „ego," ut: Ego Dominus Deus tuus; ibi „ego" ponitur loco „sum," item „ipse" pro est, ut Dominus Deus tuus ipse, proinde verbum (יֵשׁ) hoc loco non substantive aut copulative ponitur, sed significat praesto est, vel abundanter est, superabundat frumentum. Hinc תּוּשִׁיָּה Proverb. 8, 14 ubi sapientia inquit: Meum est et consilium et successus, ego do consilium et תּוּשִׁיָּה, hoc est, rem vel successum et exsecutionem in quocunque negotio, mea est vox et res, meum est loqui et facere, hoc est quidquid consulo id etiam perficio. Haec enim vis est vocis (תּוּשִׁיָּה) statuere rem in suo esse. Alias commune vocabulum est significans causam, sapientiam, gloriam, proprie vero effectum deliberationum sive consiliorum, ut Deus consulit verbo vocali, quod cum retinemus firmiter, sequitur (תּוּשִׁיָּה) eu-

rum quae promittit, dafs es nicht feilet. Ita hoc in loco non solum verba aut rumor incertus est de fractione, sed res ipsa et copia annonae in Aegypto.

Ait ergo Iacob ad filios: Quare vos ipsos mutuo aspicitis, est enim verbum quartae conjugationis, in Hispael, quare facitis vos videre, et significat Moses filios Iacob deliberasse et disputasse, quid faciendum esset ingravescente fame. Quid Ruben, quid Iuda consulis, ad sublevandam inopiam annonae et ad tuendam nostram et totius familiae salutem? Sic vero consultantibus, et mutuo se aspicientibus dixit pater: Ah wie steht ihr, und sieht einer den andern an, interea nos fame perimus, dum vos otiosi consultatis, ecce audivi quoniam est, hoc est, exstat, res est, et abundantia frumenti ad dividendum; descendite et frangite, hoc est, emite nobis, sitis participes istius divisionis seu fractionis.

Ostendit vero Moses undecim Patriarchas una cum patre in Hebron habitasse omnes, cum quidem essent conjuges et patres familias, et haberent liberos et nepotes, ancillas et servos; itaque mirum est, quomodo tot familiae tam numerosae in terra peregrina simul degere potuerint. Puto autem tunc Leam et alias anus in familia Iacob fuisse defunctas, et novas mulieres, undecim filiorum uxores, servos item et ancillas successisse. Benjamin habuit decem filios, qui minimus natu fuit, et infra audiemus descendisse Iacob cum septuaginta animabus in Aegyptum, non numeratis uxoribus et ancillis, servis et aliis gentibus, qui adjunxerunt se huic familiae propter doctrinam pietatis et cultum divinum, tantum enim numerantur animae, quae egressae sunt de femore Iacob, ut sunt

filii et nepotes, neptes vero non recensentur et reliqua turba servorum et ancillarum non exigua fuit.

Cohabitarunt igitur omnes in Hebron hospites et peregrini inter gentes Cananaeas, idque hodie valde mirum et incredibile propemodum est, quod Iacob cum tot filiis et nepotibus potuit vivere inter ethnicos, in terra aliena, ibique conducere agros, prata, hortos et pecuariam exercere, neque ego satis mirari possum, quomodo undecim fratribus istis et familiae tam copiosae potuerit cum hominibus illorum locorum convenire. Non recitatur qua ratione a gentibus tractati sint, sed tamen significari videtur opus fuisse mirabili patientia; forsitan Lea, Zilpa et Bilha moerore animi confectae sunt, multae enim injuriae non tantum vicinorum, sed etiam domesticorum tolerandae fuerunt, quibus videntur fractae et consumptae esse, siquidem nulla eorum mentio fit in descensu in Aegyptum.

Sed cur ait Iacob frangite vel frumentate nobis, ut vivamus et non moriamur? Quare non fidit Deo, cur metuit mortem, cum habeat promissionem divinam de conservatione et protectione, item experientiam qua hactenus sensit et expertus est auxilium et gubernationem Dei in terra perigrina Canaan, cum tot filiis, nepotibus et familia amplissima? cur hic trepidat et non fidit promissionibus, quas habuit haud dubie in memoria et in ecclesia domestica diligenter docuit: Ne frangamini tentationibus, Dominus Deus promisit terram et in ea alimenta necessaria. Ubi nunc fides tua Iacob, ubi promissio est?

Respondeo: Nos jubemur credere et confidere bonitati divinae, sed non tentare Deum; non enim possumus vitam agere secundum regulam, quam ipse habet, sed secundum occasiones et tempora, salva ta-

men fide et spe. Ideo non dicit Iacob: Manete, exspectate, Dominus potens est panem coelitus mittere, forte pluet frumentum in hac terra et nos alet, neque hoc vult promissio. Nihil quidem dubium est, quin possit et velit te alere et defendere, sed non debes fugere occasiones oblatas auxilii et defensionis, quibus potes uti sine peccato, alioqui enim tentabis Deum.

Non igitur quaerendum est, an velit nos Deus secundum immutabilem voluntatem suam servare et sustentare, sed sic statuendum est: Credo Deum me servaturum, verum mihi ignota sunt consilia ejus, sive media quibus implebit promissionem, itaque praesentibus mediis utendum est, quaerendus est victus labore et sedulitate, paranda sunt necessaria ad hanc vitam sustentandam, lac, caseus, lana, colendus est ager, colligendae fruges, non est indulgendum otio, quasi non opus habeas cura domestica, aut familia non sit oneranda labore, cum habeas promissionem Dei; non enim vult te Deus desidia et ignavia torpescere, sed dixit: In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumtus es, item: Terra germinabit tibi spinas et tribulos etc. Promitto tibi alimenta et conservationem vitae, sed volo te uti creaturis et mediis quae in promptu sunt, ac facere quod in te est, ne me tentes. Quod si omnium auxilio et consilio destitutus fueris, tum demum miraculo aliquo tibi providebo, sin adest res media, cogita eam a me tibi ostensam et oblatam esse.

Ad hunc modum Iacob habet infallibilem promissionem, sed facit tamen quod in se est, audit vendi frumentum in Aegypto, cavet igitur ne tentet Deum desidendo domi et frustra alicunde sperando victum; sed mittit filios in Aegyptum frumentatum; quid deli-

beratis inquit, non pluet annona ex nubibus, ite, credite in Deum et facite quod in vobis est, utamini creaturis quae in hac rerum natura conditae et oblatae sunt nobis ad nostrum usum.

Descenderunt ergo decem fratres Ioseph, ut frumentum emerent ab Aegyptiis, Benjamin vero fratrem Ioseph non misit Iacob cum fratribus suis, dixit enim: ne forte occurrat ei exitium.

Hic periclitatur Iacob cum filiis et nepotibus, ac videtur diffidere Deo. Retinet enim apud se undecimum filium Benjamin, nec vult eum adducere in periculum cum reliquis decem, quod cum promissione et fide pugnat, et tamen Iacob nihilominus credit. Quomodo igitur haec conciliabimus? Fides quidem non dubitat, sed Iacob fidelis dubitat. Idem supra de Patriarcha Abrahamo audivimus, cum angeretur de salute Sarae in Gerar et Isaac eodem modo tentatus est, tametsi haberent promissiones admodum luculentas et certas. An non igitur videntur illudere Deo, cum iis non sint assensi sine ulla trepidatione, et Iacob saepius dubitavit et expavit ad conspectum Esau, ibi sane non aliter se gessit, ac si nihil unquam ei promisisset Deus et per omnia nobis similes facti sunt sancti Patriarchae. Nam hoc in loco ita angitur Iacob, ac si prorsus sine fide esset.

Arbitror autem hanc causam trepidationis Patriarchae Iacob fuisse, quod promissionem norat referendam esse ad sobolem natam ex primaria conjuge Rahel, amisso enim primogenito Ioseph, non temere alter in discrimen adducendus erat, ne posteritate et semine promisso prorsus orbaretur.

At cur non potius hoc secum reputat, quod Deus promiserat se daturum semen in aeternum, ideoque servaturum esse filium in media morte et inferno? Magna profecto imbecillitas est, quod nulla ratione promissionis habita, Benjamin domi retinet et decem filios quos pepererant Bilha, Lea, Zilpa in periculum mortis conjicit, nihil enim certi sibi de reditu et incolumitate eorum polliceri potest. An non igitur reprehendenda sunt humana et carnalia haec consilia, dubitationes et infirmitates?

Non libet sane eas excusare, ideo enim proponuntur, ut videamus etiam in summis Patribus exempla et fidei et infirmitatis et luctam illam carnis cum spiritu. Nam hoc quidem exemplum est maximae imbecillitatis in patre et filiis euntibus ad gentem ignotam, qui etiam audito verbo promissionis, tamen trepidant, et haerent inter spem et metum; inter fidem et diffidentiam. Sic enim solemus omnes firmi et robusti esse tempore victoriae et triumphi spiritus adversus carnem, sed incredulitate tentante corda statim labascimus.

Est omnino humanum et stultum consilium Iacob, quod retinet Benjamin apud se, ne pereat, quasi non possit domi mori, aut in sua potestate salus et vita ejus posita sit. Tantus Patriarcha tantis ornatus promissionibus adeo infirmum se praebet, quid animi mihi aut tibi futurum putabimus in periculis et tentationibus?

Scripta igitur haec sunt in doctrinam et consolationem nostram ut, discamus fidere Deo constanter et tamen solliciti esse pro posteris, et officiis nobis demandatis divinitus. Non enim cogitandum est: Ego sum pastor Ecclesiae, cujus cura scio Deum adfici,

nihil igitur agam ego, nec ero sollicitus pro ministerio meo, sicut nec patremfamilias ignavum et desidiosum esse oportet, sed vigilandum et laborandum est singulis suo loco. Non enim prohibet Deus laborem, nec vult nos otiosos esse, tametsi sua praesentia et nutu singula gubernat, sed caro exercenda est periculis, tentationibus, terroribus, eventibus incertis, salva tamen promissione et fide, quam oportet praecedere et cum ea conjungi exercitia invocationis et operarum quas requirit vocatio et quamquam hae nihil ad rem faciunt, tamen vult Deus, ut in labore et sudore vultus comedamus panem nostrum.

(אָסוֹן) mors, exitium Exodi 21, 22. Si contenderint viri, et pulsaverint mulierem ferentem uterus, ita ut abortiat, nec tamen fuerit (אָסוֹן) ein tödtlich Unglück oder Herzenleid, alioqui rarus ejus usus est in scriptura sancta. Timet Iacob, ne pereat Benjamin, ne forte a bestia laceretur, aut ab hostibus intercipiatur, sicut Ioseph periisse existimat. Haec pericula secum reputavit, et non de nihilo metuit, quia fuit cinctus vicinis ignotis et hostibus in terra aliena, ac videtur etiam timuisse, ne promissionem una cum filio, quem sentiebat fore primogenitum amitteret, nondum enim scit Ioseph superstitem esse et ad ipsum eam dignitatem pertinere, quod postea in Aegypto cognoscet.

Ad hunc igitur modum sancti Patres habentes promissiones plenissimas, et credentes, tamen laborarunt infirmitate spiritus et carnis, sed ita ut electis omnia in bonum cooperarentur, atque fides eorum exerceretur et cresceret: metuit Iacob bestias, vincula, exitium filii, quia maximi facit promissionem in filio pri-

mariae conjugis, adeo ut incolumitatem ejus reliquorum decem saluti et vitae praeferat.

Venerunt itaque filii Israel ad emendum simul cum aliis qui veniebant: erat enim fames in terra Canaan.

Non sine comitatu in Aegyptum perrexerunt, sed adjunxerunt se aliis vicinis bonis et honestis, quorum fides eis perspecta erat, sive patris admonitione, sive suo consilio, ut haberent comites fidos et bonos ad conficiendum iter periculosum per terram Cananaeorum et Madianitarum.

Porro hoc quoque consilium et praesidium humanum est, sed propterea describitur a Spiritu sancto, ut discamus assentiri promissionibus, nec dubitare, licet infirmi simus in fide, tamen assiduo hoc repetamus ac diligenter nobis inculcemus, Deum veracem esse in promissionibus. Postea vero oblatis occasionibus et rebus externis, sciamus eis utendum esse et non aspernanda consilia humana. Ideo enim filii Israel non soli iter illud ingrediuntur, sed conjunguntur cum Hebronitis et Cananaeis, ut sint tuti eorum comitatu et verisimile est, multos illorum fuisse ipsis affinitate junctos propter connubia cum filiabus Cananaeorum. Nam tali praesidio et conjunctione honestorum hominum opus habuerunt contra injurias improborum, quibus ut hospites et peregrini erant expositi, ideo humanis auxiliis et consiliis usi sunt in periculis.

Ioseph autem princeps erat in terra Aegypti, ipse erat qui vendebat frumentum omni populo terrae.

(שַׁלִּיט) etiam novum vocabulum est, quod hac-

tenus nondum habuimus a שָׁלַט dominari et hac significatione postea crebro usurpabitur in sacris literis, Ecclesiast. 8, 9. „Dominatur homo homini in malum suum;" hinc שָׁלִיט dominus, et Saraceni suum imperatorem vocant Sultan. Et Genesis 49. „Non auferetur sceptrum de Iuda, donec venerit שִׁילֹה," Sultan, inde etiam Schild scutum vel clypeus, quam vocem Germani retinuerunt. Ioseph igitur est שַׁלִּיט Sultan in universa Aegypto: et est (מַשְׁבִּיר) qui praeest frangendo seu vendendo frumento, de qua phrasi et de pronomine quod loco verbi substantivi usurpatur supra dictum est.

Magna vero laus est sapientiae et sedulitatis Ioseph, qui in amplissimo regno solus gubernat omnia. Pharao quoque est Sultan, sed non מַשְׁבִּיר, non est occupatus illa cura frangendi panis, quam Ioseph sustinet; mirum autem est, quomodo in tanta multitudine emtorum singulos potuerit inspicere et explorare, nam in reliqua turba venientium fratres suos ipse agnoscit, unde colligi potest, eum diligenter et sigillatim peregrinos observasse, ad quam rem maximo studio et vigilantia opus fuit.

Arbitror autem eum hac ratione et ordine usum esse, ut aliud post aliud horreum aperiret, quo facilius in unum aliquem locum confluentibus emtoribus, singulorum rationem habere posset et quamquam multos praefectos et ministros haberet, qui venditionem frumenti administrarent, tamen omnes in conspectum ejus venire oportuit, ut daret eis potestatem emendi frumentum. Fuit pulcherrima ordinatio et necessaria diligentia, ne forte hostes regni cum hospitibus et vicinis irreperent et turbam aliquam darent.

Id exemplum magistratibus accurate observandum et sequendum est, ut meminerint sibi vigilandum esse et non tam civium aut subditorum, quam advenarum et peregrinorum rationem habendam, ne vagentur temere et cum periculo reipublicae, sic enim regnum Aegypti constitutum fuit, sive ante Ioseph ordinatio haec fuerit facta, sive per ipsum primum inchoata. Si Ioseph ejus auctor fuit, manifeste videmus Spiritum sanctum praefuisse etiam administrationi corporali. Principio gubernationis suae, septem illis annis fertilibus, constituit ecclesiam, deinde politiam et oeconomiam, jam in distractione frumenti videt necessariam esse observationem hominum peregrinorum venientium et abeuntium et fuit fortassis populus malus et indomitus, qui hac animadversione opus habuit, ideo eam quoque curat.

Accedentes itaque fratres Ioseph proni versus terram inclinabant se ei. Videns autem Ioseph fratres suos, agnovit eos et alienum se simulabat erga ipsos, loquebaturque cum eis dure et dicebat ad eos: Unde venistis? Responderunt, de terra Canaan, ut emamus alimenta.

Iam tandem sequitur eventus somnii quod habuit supra Ioseph de fratribus, ac festinat Moses ad describendam impletionem prophetiae et somniorum ipsius; nondum vero agnoscunt Ioseph fratres, nec sciunt quem adorent, itaque hoc initium tantum est et imperfecta impletio, cum incurvantur proni ad terram coram fratre incognito, postea vero agnitum adorabunt etiam mortuo patre, ut perfecte respondeat eventus somniis Ioseph.

Neque vero obiter tantum haec sunt aspicienda aut legenda, sed diligenter observandum est jucundissimum exemplum et spectaculum, seu speculum potius pulcherrimum divinae gubernationis; neque obscura est allegoria et typus Christi, quem simul ob oculos positum habeat lector, verum principale consilium Spiritus sancti in hac historia fuit, quod voluit ostendere admirandum spectaculum, ac certum et fidele exemplum administrationis Dei in Sanctis, quod plenissime congruit cum sententia Psalm 4, 4. „Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.“

Hic enim videmus Ioseph fratres suos mirabiliter tractare et ludere cum iis ludum quendam mirificum, sed talem tamen qui ipsos vehementer humiliat, et exercet, ac res magnas et serias secum trahit. Ea enim ratione perducuntur ad agnitionem peccati et periculo mortis et inferni objiciuntur. Eodem vero modo gerit se Deus erga Sanctos in tentationibus, ut Ioseph erga fratres, qui non cupiditate vindictae, aut odio eorum sic ludit et tam durum se praebet, flet enim et commoventur viscera ejus, sed fingit et simulat se tyrannum, qui velit eos perditos et exstinctos, propter turpissimum scelus proditionis, quo summam indignationem adeoque crucem et supplicia omnis generis meriti sint, non alieno aut hostili, sed fraterno et suavissimo animo, neque alio fine, quam ut exploret eorum poenitentiam, atque ita ad agnitionem peccati sui ac misericordiae Dei adigat.

Idem sane ludus est divinae bonitatis in orbe terrarum, sicut inquit sapientia Proverb. 8, 31. „Ludo praeterea in orbe terrae ejus et deliciae meae sunt cum filiis hominum.“ Sapientia patris, incarnatus Dei filius sic loquitur, et testatur se ludere, deliciari ac

blande et suaviter degere cum hominibus; et lusum illum esse sibi summae voluptati.

Atqui nobis tristissima mors est. Num enim id est ludere, redigere hominem in nihilum, objicere morti, affligere calamitatibus et vexationibus innumeris? Es ist ein Spiel der Katzen mit der Maus, welches der Maus Tod ist. Scribuntur igitur haec, ut intelligamus divinae sapientiae consilium, et mirificationem Sanctorum, quae adeo tristis et acerba apparet, ut spectatores angeli, Diaboli et mundus putent nos absorptos esse et perditos, imo ipsi videamur nobis deserti, contemti et abjecti.

Inde adeo voces illae natae sunt: Projectus sum a facie oculorum tuorum; quare obdormis Domine? Exurge etc. Tales exclamationes Iacob haud dubie toto tempore vitae suae saepius ingeminavit in tot ac tantis aerumnis et fuerunt hi perpetui gemitus et suspiria omnium Patriarcharum ab initio. Quid enim possit dici aut cogitari miserius primis illis Patribus Adam, Noah, Abraham? et tamen in catastrophe comediae apparet Deum suavissime cum ipsis lusisse, ac non aliter egisse, quam cum filiis carissimis.

Sic enim docet epistola ad Hebraeos: „Fili mi noli negligere correptionem Domini, neque deficias dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Si castigationem sustinetis veluti filiis vobis offert se Deus.“

Verum sicut in disciplina domestica correptio filiorum neutiquam grata est, ita castigatio Domini videtur durissima et acerbissima, sed beatus vir, inquit Iacobus, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit

diligentibus se. Certo igitur statuamus nihil aliud esse calamitates, gemitus, suspiria ac mortem nostram, quam jucundissimum et pulcherrimum ludum quendam divinae bonitatis.

Sed quotusquisque hoc intelligit aut credit? Si illud in animum nostrum inducere possemus, vere beati essemus ac paratissimi ad quaevis mala hilari animo perferenda, cum autem cogito me esse peccatorem, ac plecti propter delicta, longe aliter judico, non enim sentio Deum esse patrem, esse bonum et misericordem, sed Diabolum ipsum. Scias ergo Deum esse omnipotentem, ac propterea ludum ei graven ac tanta majestate dignum esse convenire. Ac discendum sane et assuescendum est ad delicias et ludos ejus, sicut dicit Psal. 4, 4. Scitote, ihr mufst lernen. Natura et ratio non docet, alioqui nihil opus esset vos a me haec discere: Cognoscite, inquit, hört, lafst euch sagen, si quando exercemini variis difficultatibus et omnis generis aerumnis, cogitate Deum vobiscum ludere, qui ludus vobis mirabilis et Deo est delectabilis; nisi enim paterno animo vos complecteretur, non ita vobiscum luderet, argumentum igitur est ineffabilis misericordiae erga te, quod tu in illorum numero sis, quibus delectatur Deus, apud quem deliciae ipsius sunt, Ideo dat tibi promissionem suam, verbum, sacramentum, tanquam symbola et testimonia gratiae certissima, quod te sibi filium adoptaverit, et nihil aliud requirit, quam ut lusus ejus sustineas, qui ipsi jucundi sunt et tibi salutares.

Atqui non intelligo haec. Recte sane, non enim frustra appellat Spiritus sanctus gubernatorem istum, mirificatorem. Ingens igitur consolatio et doctrina in hac historia piis proposita est, quando vident Ioseph

tractare fratres durius, non cupiditate vindictae aut laedendi perdendique studio, sed magis ut sanet et servet cum anima tum corpore, erant enim incrassati, dilatati, oderant disciplinam et projecerant retrorsum sermones patris, non agebant poenitentiam, sed dudum sopitum, ac perpetuae oblivioni traditum peccatum suum putabant, aber es heifst: Alte Schuld rostet nicht. Atqui non patitur se tegi et obliterari, sed ut maxime negaveris, aut absconderis, tamen cubat in foribus, ut aliquanto post manifestetur juxta illud Genes. 4, 7.

Primum igitur hoc agit, ut deducat eos ad agnitionem peccati sui, ideo mirabiliter tentat et explorat animos eorum, ut resciscat quomodo affecti sint, et cum videt eos nondum poenitere de admisso scelere, tantisper exercet, donec erudiat et redigat eis in memoriam delicta et ad poenitentiam impellat.

Neque vero disputandum hic est, ut Papistae solent, de satisfactione, quasi requirat Deus satisfactionem pro peccatis, quae sane nulla est. Nam nec Ioseph eam a fratribus exigit, cum quidem summo jure posset eos occidere, propter injuriam sibi illatam, sed non facit, quia scit nullam esse satisfactionem in genere humano pro peccatis, nisi civilem, quam magistratus requirit, verum ea nihil ad theologiam pertinet, in qua unica victima est Christus Dominus noster, qua irae Dei satisfactum est. Ceterum longe majora sunt peccata, quam ut ulla satisfactione expiari et deleri queant, ideo tollendum erat ex Ecclesia vocabulum satisfactionis, aut prudentius eo utendum, quam a Cypriano et aliis magno malo Ecclesiae factum est; remissio peccatorum multo excellentior

est, quam nostra satisfactio, quia hac etiam servata tamen manet peccatum.

Proinde exercet Ioseph fratres suos durius, ut ad poenitentiam et agnitionem delicti eos adigat et occidat securitatem et ad desperationem impellat, mortem et omnis generis supplicia minitando, non ut hac ratione satisfaciant pro peccato, sicut Papistae nugantur, sed ut excitet dolorem et contritionem et quaerant ipsi sanitatem et purgationem.

Sic Deus affligit nos variis calamitatibus, non ut puniat, quamquam revera poena est, sed non delectatur ea. Quid igitur sibi vult cum tot aerumnis, vexationibus, morbis etc. Hoc agit ut perducaris ad cognitionem tui peccati, scit te non posse satisfacere, nec reddit mala pro meritis nostris, quia nihil aliud, quam mortem et infernum meremur, verum peccatum haerens in natura absconditum est ab oculis nostris, id ipse profert in lucem, ut habet oratio Mosi Psalm 90, 8. „Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, errores nostros ad lumen vultus tui, tu nostra mala perspicis, quae nos non videmus, in conspectu tuo sumus immundi et polluti foedissime.“ Nobis vero deformitas et foeditas naturae vitiosae ignota est, itaque ad manifestandam et purgandam eam utitur Deus remediis violentis et acerbis. Soll er das malum ausfegen, so mufs er nehmen ein Strohwisch, und ein scharpfen Sand, und scheuren, dafs Blut hernach gehet. Huc pertinent poenae et calamitates generis humani, pestis, bella, fames, ut peccatum in nobis arguatur et manifestetur palpabiliter, donec sentiamus quid simus in oculis Dei, quin etiam labi nos oportet foedissime, ut miseriam et imbecillitatem nostram agnoscamus.

Sic David horribiliter lapsus est propter securitatem et superbiam, ut erudiretur, quid sit peccatum et ex animo posset dicere: Tibi soli peccavi etc. video nos omnes accusari et damnari in lege tua, verum nemo hominum hoc intelligit, ego autem fateor me tantum esse peccatorem, meritum iram et dignum morte aeterna, breviter nihil aliud esse, quam peccatum, ut vincas cum judicaris ab aliis, qui volunt esse justi.

Discamus igitur retinere hanc consolationem, quod etsi culpa nostram conscientiam mordet, stimulus legis et mortis nos exagitat, non tamen id fieri in perditionem, sed eruditionem potius et expurgationem, ut veniamus ad cognitionem nostri et corruptionis nostrae. Feramus ergo manum Dei purgantis nos, hoc est, ridentis et ludentis nobiscum, nam eam qui recusant ferre, illi disputant de satisfactione, quae cum nequeat sufficere, necessario desperant. Purgat quidem Deus etiam hypocritas et impios, verum instar vitri, antequam perficiatur purgátio, franguntur.

Sic olim Sophistae docuerunt tantisper laborandum et sudandum esse, donec sufficiens esset contritio, verum quid prodest conteri de peccatis et non intelligere vel minimam scintillam misericordiae divinae? Sic enim Saul et Iudas tentantur, vexantur, purgantur, sed solo sensu contritionis, ideo franguntur, quia ibi solum officium legis dominatur. Diabolus etiam habet contritionem et contremiscit, ut ait Iacobus, verum non est poenitentia ad salutem. Accedat igitur hoc, quod apud Ezechielem dicit Dominus: „Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat." Oportet in omni tribulatione et terrore infixam animis esse parvam illam scintillam misericordiae divinae, qua erigatur animus contritus, sicut Manasses ea se sustentat, cum

ait: Tu non posuisti poenitentiam justis, Abraham, Isaac, Iacob, sed peccatoribus etc.

Haec in praesenti exemplo diligenter meditanda sunt, ut causam afflictionum nostrarum intelligere possimus. Etsi enim factis et operibus non delinquimus et utcunque retinemus disciplinam externam, tamen caro quam circumferimus est impura, et nos magnitudinem peccati et miseriam nostram non intelligimus, quam oportet tolli. Remissa quidem et tecta sunt peccata omnia, sed nondum expurgata, ac haeret in nobis non tantum libidinis, superbiae, odii, iracundiae et aliarum cupiditatum crassior fex, sed etiam interiora illa mala, et occultae maculae, dubitatio de Deo, diffidentia, impatientia, murmuratio, quae tum demum se aperiunt, quando vexatur conscientia lege et terroribus peccati, ac nos quidem ea non curamus, nec gemimus propter tam foedam labem, Deus autem videt, ideo conatur naturam immundam purgare, sic cogitans: Tu quidem illuminatus et baptizatus es, sed adhuc foetes et multis magnis vitiis plena est caro tua, ideo mundare eam me oportet, nam quod immundum et inquinatum est, non intrabit regnum coelorum. Ibi tum incipit ludus Dei, non ut perdamur, sed ut exploret et ad agnitionem nostrae foeditatis nos perducat, ita tamen ne desperemus, sed potius ut clamemus et invocemus misericordiam ejus, et discamus esse ipsum mirificatorem misericordiae suae (Psalm. 16,) id enim sibi voluit ludo suo.

Haec ut supra dixi, Sophistae non intellexerunt, sic enim docuerunt: Si fueris contritus perfecte, Deus infundit gratiam de congruo, atque ita per solam poenam voluerunt mereri gratiam, sed oportet accedere fidem et invocationem et sensum divinae bonitatis et

promissionis, unde oritur clamor et gemitus in angustiis et vexationibus conscientiae, ut simul incipiat gustus aeternae vitae.

Sed quid clamem, inquies, actio me mortificat? Ibi respondet Deus: Nolo mortem peccatoris. Quid igitur? clamorem, ut mirificem te, et tu intelligas tuam immunditiem, quam tollam hac ratione, quae mihi quidem ludus, tibi vero mors est, sed expedit tibi nosse, quod opus habeas purgatione, das Scitote muſs also gelernet sein. Eorum vero cum quibus non ludo alia conditio est nam hi quoque exagitantur, exercentur et affliguntur, sed non clamant, nec cogitant me ludere cum ipsis.

Hoc igitur spectaculum in exemplo Ioseph pulchre videbimus, sicut enim Deus erga Sanctos suos affectus est, ita ipse plenus est misericordia, caritate, στόργῃ et dulcissimis affectibus erga fratres, quaerit purissimo corde eorum salutem, corporis et animae, ideo primum terret eos, ut in memoriam redigat horribile scelus, quo grandaevum patrem ingenti dolore affecerant, fratrem vero in discrimen vitae adduxerant, ac metuit fortassis, ne et frater Benjamin improbitate eorum sublatus, aut pater jamdudum moerore animi confectus esset, itaque ludit cum eis ludum divinum et asperum, sed longe saluberrimum ac Deo honorificum: ducuntur enim ad agnitionem peccati sui, sed citra desperationem et ad veram pietatem et sanctitatem perveniunt. Nam post purgationem emendati et molliores redditi sunt, cum antea vellent abscondere et silentio ac oblivione obruere peccatum et perdurare in perpetua miseria et damnatione, ibi igitur remediis paulo violentioribus opus fuit, cujusmodi in Prophetis describuntur, ut Hoseae 6, 5. „Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi

eos in verbis oris mei.“ Et Ezechielis 24. appellat Deus Hierosolimam ollam obductam rubigine, quae non possit purgari, nisi confletur denuo. Ibi describitur ludus iste Dei quo vexamur, mortificamur, donec in terram unde sumti sumus redimus et sepelimur.

Cur autem tam inclementer nobiscum agit Deus? Respondet ipse in Ezechiele: Quia rubigo ollae non exiit de ea, es ist zu hart angebrennt, ideo dicit se conflaturum eam in ignem, quo excoqui et purificari possit.

Sic in Malachia de adventu Christi dicit: Sedebit excoquens et repurgans argentum, filios Levi emundabit, expurgabitque eos, ut aurum et argentum. Ideo addit Propheta: Adventum ejus quis sustinebit? Ludit igitur Deus nobiscum paternum ludum, quando immittit pestem, famem, morbos, tristitiam spiritus, casum filii et universa mala in tota hac vita, ut conflet et purget. Hoc autem quis feret? Talem Messiam Iudaei non exspectabant, sed qui constitueret eos reges et dominos totius mundi. Fallentur inquit Malachias, quia purgabit acriter et, ut apparebit, crudeliter, et tamen hac purgatione quantumvis saeva ludit nobiscum Salvator noster, non ut perdamur, sed ut emendemur.

Sic Ioseph placidissimus et mitissimus est erga fratres, aliquoties enim aversus illacrimat et fletu testatur se promptissimum esse ad ignoscendum et tamen inclementer eos tractat, fremit, irascitur tanquam exploratoribus, conjicit Simeonem in vincula, et quibuscunque potest rationibus eos terret.

Mirabile igitur hoc exemplum est, prae nimia enim caritate et misericordia non potest continere la-

erimus, sed si verba et gestus spectes, duriorem se quovis silice et adamante praebet.

Eadem ratione mirificat Deus Sanctos suos, quin etiam praeceptores et parentes liberos virga et verberibus castigant, ut ad frugem aliquam perveniant, sicut germanico proverbio dicitur: Ie lieber Kind, je schärpfer Ruthen, quo ardentior est amor parentum erga liberos, hoc disciplina est severior; et tamen hic ludus est divinae majestatis, piorum item parentum, et praeceptorum, quid haud dubie non volunt exstinctos liberos, non enim sinit hoc στόργη mentibus eorum divinitus indita, sed amor et misericordia paterna requirit verbera, flagra et vibices, ut emendentur pueri, quamquam id sine offensione et dolore nequeat fieri. Perinde ut Ioseph simulat se alienissimum esse a fratribus, ac duriter eos increpat, mortem et exitium minitans et tamen cor ejus suavissimum est et blandissimum, et nihil minus cogitat quam supplicium aut vindictam, imo id agit, ut eos exaltet, glorificet et modis omnibus ornet.

Meminerimus igitur hoc symbolum et figuram esse ex sacris literis, quomodo Deus ducat et regat pios, ne despondeamus animum, cum sentimus nos a Deo affligi vel etiam abjici aut negligi, sicut queritur David Psalmo 30, 23. „Ego autem dixi in excessu mentis meae, projectus sum a facie oculorum tuorum." Revera enim Deus cum impiis non sic ludit, sed ducunt in bonis dies suos, et in puncto, sive absque afflictione ad inferna descendunt, Hiob 21, 13. Non sic lusit cum Sodoma et Gomorra, ubi erat otium, superbia, abundantia et saturitas panis, Loth vero et Abraham duriter exercebantur, die müssen sich leiden.

Ita demum cognoscemus Deum et discemus bonam

voluntatem ejus. Non enim hoc agitur quod Papistae stulta sua poenitentia volunt, ut placetur Deus satisfactionibus. Nesciunt illi quid sit peccatum, nesciunt Deum sic ludere cum sanctis, non ut pereant, sed ut agnoscatur in eo hoc, quod de se praedicat Ier. 3, 12. „Quia sanctus ego sum dicit Dominus, et non irascar in perpetuum:“ deinde alterum quoque quod addit: „veruntamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum praevaricatus es etc.“ Item Thren. 3, 32. „Quia si abjecit, miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum,“ non enim humiliavit et abjecit filios hominum ex corde suo.

Et Hiob 10, 8. Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente praecipitas me? Memento quaeso quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me et vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum, licet haec celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris, das weisst du, wie stellst du dich denn dazu? du wirst mich ja für deine Creatur halten. Non abjicies me quasi non sim ego creatura, et tu creator, utut dissimiles te haec nosse et aliter quam creatorem te geras.

Haec vero sapientia et ludus Dei pertinet ad eos qui gemunt et clamant, ad cor contritum et humiliatum, ad linum fumigans, die sinds die es fühlen, illis est consolatio proponenda, ne desperent, sed sint fortes, sicut monent Psalmi: Viriliter age et confortetur cor tuum, quia certum signum vitae est sensus irae divinae. Papa, Episcopi, Cardinales non sentiunt, neque Turci et omnes impii, adulteri, fornicatores, avari etc. igitur non vivunt, illis autem qui sentiunt Deum iratum dicendum est: Scito Deum non ex corde humi-

liare aut abjicere filios hominum, cujus rei habes hic dulcissimum exemplum. Ioseph durissime tractat fratres, conjicit in carcerem et postea cum adducitur Benjamin, multo crudeliorem se praebet, sed scias eum non serio id agere quod prae se fert, es ist sein Meinung gar nicht, ita ut dici queat: non ex corde haec dicit aut facit. Ja wers glauben künnt,

Disce ergo et assuesce ut perdures in tentationibus, et senties Deum suavissimum ac tui amantissimum esse; sed cur tam acerbe ludit? an vero sic simulando mentitur? Nequaquam, sicut nec Ioseph mendacii arguendus est. Disputat enim ea de re Augustinus et alii, sed quaere ex parente corripiente filium an mentiatur? verberat is filium, non ut perdat, sed ut emendet, et tamen non mentitur; amat filium tenerrime, quamquam severissime eum castigat, stultitia enim colligata est in corde pueri et virga disciplinae fugabit eam. Sic haeret in nobis malum originis contractum in paradiso, fermentum illud Diaboli, quo natura infecta est, haec est stultitia cordis et voluntatis, oscitantia nimirum et securitas et contemtus Dei, quod somniamus nos puros et mundos ab omnibus inquinamentis, ibi necessaria est virga disciplinae et eruditio pueri, ut agnoscat suum peccatum et errorem, quod non timeat, nec redamet patrem tantopere ipsum diligentem, non ut satisfiat pro peccato, sicut Papistae nugantur, sed ut corrigatur et aboleatur stultitia.

Quia nascitur nobiscum horribilis caligo, ignorantia et aversio a Deo: ibi dicit Dominus: Ego ignosco tibi gratuito, sine ullis meritis tuis, neque propter contritionem, neque propter satisfactionem, non enim est expiabile, aut ut ita dicam, satisfactibile pecca-

tum per nos, sed per filium Dei, sed hoc faciam, ubi remisero tibi peccatum, faciam te haeredem et filium regni Dei, ut meum erga te amorem declarem, ita tamen ut prius eluam sordes tuas, ich mufs dich vor wischen und waschen, sicut mater infantem non collocat in cunas, nisi prius lotum et mundatum, nec movetur ejulatu et fletu, quo minus eum purget.

Sic nos vocati sumus ad regnum Dei, habemus remissionem peccatorum, sumus filii et haeredes Dei, sed haeret adhuc in nobis ignavia et veternus corporis et animi, quam luem cogitat Deus tollere in universa vita nostra.

Haec vero doctrina olim sub Papatu plane ignota fuit Sophistis et eorum auditoribus, et cum initio propositionibus editis docerem totam vitam fidelium esse poenitentiam, paene in rabiem acti sunt Papistae, quia docuerunt ipsi, peccatum originale esse remissum et ablatum in baptismo et nihil reliquum esse, nisi fomitem, id est, naturalem quandam infirmitatem, ideo nihil cogitabant nec docebant de expurgando peccato, actualia vero, ut furta, scortationes et similia jubebant expiare operibus bonis et satisfactionibus, vigiliis, orationibus, votis monasticis etc. Haec fuit illorum doctrina de poenitentia, pro peccatis satisfaciendum esse nostris meritis et virtutibus, cum tamen longe major expiatio et satisfactio requiratur, videlicet filius Dei. Verum ipsi cum nescirent quid esset peccatum, extenuaverunt id et imbecillitatem quandam sive defectum et languorem naturae esse somniarunt, de expurgatione parum solliciti. Ita miserabili caligine et depravatione sanae doctrinae homines horribiliter seducti fuerunt, paucis servatis, quibus lux illa divinitus affulsit, sola fide justificari hominem.

Nos igitur diligenter hoc tradimus de repurgatione fermenti, per totam vitam, nihil vero docemus de dignitate nostrarum virium et satisfactionis, quibus tolli posse peccata augati sunt Papistae, originali peccato per sanguinem Christi et baptismum sublato, eoque accommodarunt dictum Hieronymi, lapsis veluti naufragio facto secundam tabulam poenitentiae, hoc est contritionis et satisfactionis arripiendam esse.

Haec est ignorantia peccati et impuritas doctrinae monasticae, qua persuaserunt hominibus, nihil peccati in ipsis esse reliquum, praeter fomitem quendam, qui sane pessimus et teterrimus error, ac merum mendacium est; sumus enim recepti in gratiam per baptismum non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ad expurgationem; remissio est gratuita, quae contingit propter solum filium Dei, sine ulla dignitate, merito et contritione nostra. Hanc remissionem sequitur vexatio, angustia, tribulatio, mortificatio, quae omnia eo pertinent, ut aboleatur peccatum, ita ut non solum sit remissum et condonatum divina gratia et misericordia, sed etiam dono Spiritus sancti expurgetur et ut discas intelligere, quanta sit malitia et depravatio humanae naturae. Caligo enim et caecitas illa nobis innata nec miseriam nostram nec misericordiam Dei immensam nos sinit agnoscere, sed est stupor quidam, qui penitus oppressit corpus et animam nostram; ad hunc tollendum opus est vexationibus vehementioribus, quae excutiant veternum et ignaviam hanc, es gehört ein scharpfer Igelskolb dazu, ut excitent in nobis cooperante Spiritu sancto agnitionem et admirationem infinitae Dei benignitatis et immensi quo nos complexus est amoris. Nam Iudas et Saul non sustinent purgationem istam, sed desperant ac clamitant

se abjectos interim, propterea quod affliguntur, cruciantur, mortificantur.

Afflictis igitur diligenter hoc inculcandum est, non irasci ipsis Deum et quod ipsi desertionem interpretantur, esse acceptationem et certissimum argumentum gratiae divinae, siquidem omnem filium quem recipit, flagellat, ne pereat in stupore et caecitate peccati originalis, quod suopte ingenio nec videre, nec intelligere possunt.

Ad hunc modum Ioseph nihil aliud agit, quam ut revelet peccatum fratrum hoc durissimo opere et sermone. Descendunt enim in Aegyptum una cum aliis emtum frumentum, securi et negligentes tam atrocis delicti, cujus sibi erant conscii, quasi nihil unquam deliquissent contra patrem decrepitum aut fratrem innocentem, cogitant Ioseph jam diu exemtum esse rebus humanis, patrem vero rerum omnium ignarum esse. Quid ad nos? die groben Gesellen non agunt poenitentiam. Hi silices et adamantes frangendi et conterendi sunt, ac aperiendi oculi eorum, ut videant atrocitatem sceleris sui, idque ubi perfecit Ioseph statim verbis et gestibus humaniorem se praebet, eosque honorifice tractat.

Fuit autem haec quoque causa tentandi animos eorum, quod veritus est, ne forte in patrem et fratrem minorem amplius deliquerint, cum enim ipse in Aegyptum ab eis esset venditus, nec videret eos poenitere facti, metuit ne securitate et impoenitentia illa in alia graviora scelera prolapsi, et in alterum filium Rahelis, cui primogenitura debebatur, cupiditate dominandi grassati essent. De aliis rebus parum est sollicitus, tantum de patre et fratre quaerit, cum enim sciat eos per suam mortem primogenituram expetivisse,

veretur ne uterque malitia et ambitione eorum exstinctus sit, ac tota domus patria confusa et perturbata. Ob hanc causam supra videtur dixisse se familiae paternae oblitum, nec cogitasse de reditu in patriam.

Haec igitur sollicitudo et atrocitas scelerum movit Ioseph ad explorandos animos fratrum accuratius, ita ut non solum priorum delictorum, sed et cogitationum pravarum memoriam renovaret, ac fuit sane inquisitio satis ingrata et acerba et tamen ab animo placidissimo profecta. Ego durius eos tractassem. Sed haec acerbitas quam prae se fert, non pertinet ad vindicandam injuriam, sed ad salutarem eorum poenitentiam, ut humilientur et illud Psalmi sonent: „Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei." (Ps. 31, 5.)

Itaque ad doctrinam de poenitentia haec accommodanda diximus, quae contritione et seria agnitione peccati constat et apprehensione promissionis. Horum neutrum in Iudae poenitentia fuit, non enim vere de peccato doluit, sed magis poenam odit quam culpam, doluit se rejectum esse, nec apprehendit misericordiam Dei. Deinde omnes poenae, vexationes et calamitates eodem referendae sunt, id enim efficiunt, ut ducantur homines ad cognitionem sui et Dei, item pugnant adversus carnem et peccatum, non satisfactione expiandum, sed purgandum, monentque ut benignitatem Dei agnoscamus, qui flagellando non rejicit aut perdit, sed emendat: non enim ira est, sed disciplina, non exhaeredatio, sed purgatio. Haec si animo tuo diligenter meditata et infixa habueris, facile feres et sustinebis quamlibet castigationem, quin etiam exoptabis, ut secet, urat, purget Deus reliquias fermenti originalis; da werden die rechten Kinder aus, tales

veri et legitimi filii sunt, qui non deficiunt, sed perdurant in tentatione et aerumnis.

Haec propter asinos pontificios diligenter inculcanda sunt, qui dignitatem contritionis et confessionis extollere soliti sunt, quasi de congruo et condigno satisfacerent pro peccatis. Verum haec propria scientia Christianorum est, scire se in peccatis natum esse, idque in carne haerere usque ad mortem, nec posse nos ab eo perfecte liberari et mundari nisi per mortem, vermes, et ignem extremum. Interea tamen tolerat nos immensa misericordia, non abjicit, nec perdit, sed purgat nos sua manu quotidie.

Atque haec est doctrina hujus totius historiae, quae profecto sublimior est, quam a me comprehendi, nedum tractari et explicari pro dignitate queat. Ioseph erga fratres mirabiliter durus et asper est, ea tamen suavitate, ut sit mollior cera, quantumvis ferro duriorem se praebeat, ideo ut emendet et salvet eos anima et corpore.

Non enim trahendum est in exemplum hoc factum, quasi licitum sit punire et ulcisci illatam injuriam; nulla enim hic cupiditas vindictae est, sed dulcissimus ludus cum fratribus, sicut postea abscondet cyphum in sacco Benjamin. An non is ludus jucundissimus est et suavissimus? Verum ea hora cum luditur non sic apparet, sed ipsissima mors est, finita autem tentatione perspiciunt summam benevolentiam et caritatem, ei wie hat es Ioseph unser Bruder so freundlich mit uns gemeint. Idem de deo post liberationem sentimus, qui propterea sinit nos tentari et affligi, ut probemus quae sit voluntas ejus bona et beneplacens.

Disputatio de mendacio hoc loco supervacanea est: alii enim quaerunt an mentiatur Ioseph, cum simulet se fratres non nosse aut alienum ab iis esse? Sed

non mentitur, sicut nec parens castigans filium, ut supra dictum est; eadem enim ratione quaeri posset, an Deus mentiatur, quando affligit nos omnis generis malis et calamitatibus? Sicut Hiob inquit: Vitam et misericordiam tribuisti mihi, licet celes haec in corde tuo, quod sane est mendacii Deum arguere. Idem de patre irato et corripiente filium dici posset.

Respondeo. Nos ipsi sumus mendaces, punire autem et corripere non est mentiri, sed ostendere et manifestare, qui et quales simus: nos enim occultamus delicta nostra, non volumus esse rei peccatorum quae designavimus, imo fingimus nos nunquam offendisse Deum aut parentes; quod si fateremur peccata et diceremus: Ah pater peccavi, ignosce, non judicaremur et plecteremur a Domino, sed quia dissimulo et mentior, quasi nihil unquam deliquerim quin etiam delector peccato et ignorantia patris, qui non est conscius meorum scelerum, sicut fratres Ioseph de eo sibi gratulabantur, ideo confundit Deus et profert hanc hypocrisim in lucem.

Ioseph igitur non mentitur, sed conatur fratres purgare a peccato, nec Deus mentitur, sed ego, qui securus sterto, non aliter ac si nihil in me esset mali. Ludit autem nobiscum et dicit: quia tu hypocrisi tua pulchre tibi places et blandiris et somnias te mundum esse ab omni delicto, aperiam tibi et ostendam qualis sis in conspectu meo, et exuam te larva illa securitatis et hypocrisis.

Mendacium igitur est, culpam non agnoscere et cum eo conjuncta stultitia non intelligere poenam, disciplinam et medicinam. Medicus tamen nihilominus pergit purgando, urendo, secando, etiamsi non sine dolore id fiat, sed quia tu non intelligis Dei consilium

et insuper mentiris, non agnoscendo culpam, ideo ejusmodi remedio opus est ad aperiendam et manifestandam stultitiam tuam.

Et cognovit Ioseph fratres, ipsi vero non cognoverunt eum.

Moses hoc annotavit miraculi loco, jam enim viginti duo anni abierant, ex quo fratribus non erat visus Ioseph et tamen singulos agnoscit, nemine illorum ipsum agnoscente. Obstitit autem eis non tantum aetas et habitus corporis, qui tanto tempore mutatus erat, verum etiam majestas ac pompa regia, qua ornatum eum aspiciebant.

Deinde malum illud caecitatis accessit, quo supra Sodomitas afflictos fuisse audivimus, ideo nihil minus cogitant, quam hunc principem esse fratrem Ioseph, quem olim vendiderant, quin etiam animis persuasum habent jam dudum sublatum eum e medio.

Tertio per interpretem loquitur, ne forte vocem agnoscant, ideo non mirum est, quod non cognoverunt eum, sic enim Melancholici saepe peregrinantes animis, aut seria cogitatione intenti nec vident, nec audiunt visa et audita. Nihil itaque opus erat simulare se alienum, cum adhuc lateret sub illo splendore, et potestate, verum ad affectum simulatio haec pertinuit, noluit enim declarare animum benevolum et fraternum, ideo gestibus et verbis duriorem se praestitit erga fratres, quam erga peregrinos. Ipse enim praeest venditioni frumenti, et loco regis inquirit in singulos emtores, qui sint, quid agant, unde veniant, an ex Canaan, an vero ex Idumaea, ac fuit sane pulcherrima ordinatio, nostris quoque rebuspublicis necessaria, ne quibusvis temere pateret aditus ad civitates

sine exploratione: ea enim negligentia multorum malorum causa est. Ibi singulos oportuit prodire in conspectum Ioseph, et rationem reddere suae negotiationis, et eodem modo inquisivit etiam in fratres: Unde venitis vos?

Et recordatus Ioseph somniorum quae de eis somniaverat ait ad eos: Exploratores estis, venistisque ut nuditatem terrae videatis. Ad quem illi dixerunt: Non Domine, sed servi tui escam emtum venerunt, nos omnes filii sumus unius viri, probi sumus, nec unquam servi tui exploratores fuerunt.

מְרַגְּלִים venit a nomine רֶגֶל quod peditem significat, itaque quod nos exploratores vertimus, proprie peditem, vel pedestrem sonat, sed lingua Hebraea utitur hac voce pro exploratoribus et proditoribus, quod tamen ex etymologia sive grammatica non potuissemus colligere, nisi circumstantiae et exempla docerent; ideo multarum vocum vim in hac lingua ignoramus, quia magna ex parte grammatica positiva periit Hebraeis. Ego cursorem exposuissem, sed ipsi sic appellant exploratores, qui discursant ad videndas munitiones aut nuditatem terrae, haec enim vis est vocis עֶרְוַת qua saepe usus est Moses, ut Lev. 18 et alibi, ac proprie significat nudum, sed quia homo non dicitur nudus, nisi revelentur pudenda ejus, remotis foliis ficus, aut perizomate, ideo Moses usurpat pro turpitudine aut verendis. Sic oculos non velamus, quia non sunt nudi, sicut nec alias partes corporis honestiores, peccatum autem originis facit nos nudos, quando membra generationi destinata deteguntur. Hic

igitur per translationem vocat nuditatem terrae, hoc est loca non satis munita, aut splendida, sic in Prophetis minatur Deus se nudaturum turpitudinem gentium, hoc est, vastaturum et redditurum terram eorum squalidam, incultam, turpem et desolatam.

Deinde apparet hinc studium observandorum exploratorum, quod fuit illis temporibus. Non igitur videtur Ioseph pacis tantum, sed et belli dux fuisse, qui habuit potestatem defendendi et alendi subditos, ac grave admodum onus sustinuit, itaque magna sapientia, industria et gratia Dei opus fuit ad gubernationem amplissimi et florentissimi regni.

Porro haec duritia et asperitas illa est qua exercet fratres suos, cum insimulat eos proditionis, quasi non frumentandi, sed explorandi causa venerint in Aegyptum. Ac in alios quidem ignotos recte hoc modo potuit inquirere, verum hic nulla causa erat inquisitionis, norat enim qui essent et unde venissent, sciebat eos fame coactos quaerere alimenta, neque quidquam mali machinari. Num igitur peccat aut mentitur, falsum crimen objiciens fratribus et contumeliam faciens innocentibus? Supra etiam respondimus eadem ratione quaeri posse, an Deus peccet, quando dicit nobis: Tu es reus mortis aeternae, es damnatus. Ibi sane nihil fingit, sed est manifestissima veritas, verum meum cor est mendax et hypocriticum, quod dissimulat et tegit meam vanitatem et stultitiam, itaque non potest nec debet reprehendi haec simulatio Ioseph, quia suavissima et jucundissima est et nihil aliud quaerit quam salutem animae et corporis in fratribus, non est noxium, sed salutare ac vere officiosum mendacium.

Deinde altera causa tam acerbae expostulationis

est, quam addit Moses, quia recordatus est somniorum quae somniaverat de eis. Ea enim vult impleri pure et perfecte, vult ex animo ab eis coli et adorari, non tantum ut princeps Aegypti, verum etiam ut Ioseph frater, sicut infra honorem hunc ei exhibebunt defuncto parente. Norat enim somnia divinitus exhibita et prophetica esse, itaque vere et non hypocritice ea impleri cupiebat.

Postremo justam causam suspicionis habuit Ioseph, ut ex historia apparet. Reliquit enim domi undecim fratres et tantum decem adveniunt, videt abesse minimum fratrem Benjamin, quem maxime videre exoptabat; haec fuit naturalis suspicio sine omni peccato, ideo voluit veritatem experiri an essent superstites Benjamin et Iacob, an vero uterque periisset ipsorum scelere. Ibi res seria geritur, et cuilibet in mentem venire posset vereri, ne majores turbas homines tam scelerati dedissent, nam de improbis ac malis etiam pessima suspicari non est peccatum, sicut supra Abraham jussit Saram negare se uxorem ipsius esse, quod erat figmentum turpissimum, sed respondet ipse et excusat mendacium, cum ait: Fortasse non est timor Dei in isto loco, expertus enim fuerat in Babylone et Haran, ubique regnare peccatum originis in omnibus hominibus, cur igitur Ioseph de homicidis bene sentiret?

Non quod judicandum et pronuntiandum temere sit, sed suspicari de aperte malis non est impium, sed optimum et justissimum, et de Christo ipso, inquit Evangelista: „Multi crediderunt in nomen ejus, videntes signa ejus quae edebat, ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes et sciebat quid esset in homine.“ Quin etiam boni et

sancti et prudentes viri non semper ab omni suspicione absunt, multo minus fieri potest, ut de Papa, Cardinalibus aut Episcopo Moguntino aliquid boni cogitem, tametsi nonnunquam honesta et utilia videantur proponere, tamen fraudem subesse, nihil est dubium, quia scio esse proditores, homicidas et pessimos nebulones, ac bona conscientia et plena fiducia judico esse damnatos et obsessos a Diabolo.

Bonum itaque et justum est male sentire de hominibus impoenitentibus, praefractis et aperte malis; sin autem fidem eis habuero et aliquid detrimenti accepero, mea culpa periclitabor, cum sciam impiis et malis aeque diffidendum esse, ac Diabolo, etiam si vera et bona polliceantur et prae se ferant. Sic enim in historia Evangelica Christus increpat Diabolos confitentes ipsum filium Dei, et imperat eis silentium, eodem modo aperte mali nisi egerint poenitentiam; tractandi sunt, ac mala potius quam bona de eis suspicari debemus, ne ulla specie aut praetextu pietatis et honestatis nobis imponant.

Sapientissime igitur agit Ioseph cum fratribus, quando malitiam eorum suspectam habet, et explorat quomodo se interea erga parentem et fratrem Benjamin gesserint, et in ea inquisitione, quod praecipuum et principale est in hac historia, cogitat de eorum salute et emendatione. Ideo enim tardius se aperit, ut habeat occasionem monstrandi et expurgandi peccatum, ne sint securi et rem leviculam ducant perdere et occidere fratrem, sed graviter amplificandum et aggravandum id scelus fuit, ut magnitudinem peccati agnoscerent.

Itaque non est de nihilo, quod tam durum et crudelem se praebet erga hospites et peregrinos, imo

fratres suos, quia ipsi res est cum hominibus pessimis, parricidis, fratricidis, matricidis. Et Augustinus et Lyra praeter rem tam anxie disputant de mendacio, quia justissima simulatio est, revocans in memoriam peccatum et ab aeterno exitio ipsos vindicans.

Respondent autem modeste et humiliter: Non sumus exploratores, sed servi tui venerunt emtum escam. Ibi rursus utitur Moses שֶׁבֶר pro fractione. Necesse autem est plures sermones intercessisse, qui hic non describuntur, non enim frustra videntur commemorare se unius viri filios esse; fortassis Ioseph hinc quoque causam suspicionis sumsit, quod plures simul accederent: Quid est, inquit, quod ita catervatim ad me irruitis? Videmini conspirasse ad machinandum malum vel mihi vel universo regno, satis erat unum vel alterum seorsim ingredi, ista conglobatio nescio quid monstri alit, venitis inter alios emtores collecti ex multis furibus et pessimis nebulonibus in unam quandam sentinam, ihr werdet etwas im Sinn haben. Hoc fingit ad terrendos eos et ludit tamen corde suavissimo et fraterno.

Illi contra inquiunt: Non sumus colluvies latrunculorum, qui temere in aliorum perniciem confluxerimus, omnes nos filii unius viri, (hic iterum pronomen loco verbi substantivi ponitur) et sumus כֵּנִים, hoc est perfecti, sinceri.

Ea autem vox in tota Scriptura admodum frequens est et fecimus ejus mentionem in praefatione germanica in Psalterium, ubi rationem reddidimus nostrae versionis. Exstat Psalm 5, 10. „Non est in ore eorum rectum," et 51, 12. „Spiritum rectum innova in visceribus meis," item 1. reg. 3, 1: „Confirmatum regnum in manu Salamonis" hoc est, solidum, firmum,

rectum, quod non sit vanum aut inane, hohl, instar arundinis. Germanice reddidimus fromm, redlich, nos sumus כנים id est, recti, sinceri, integri, perfecti, solidi, non aliud dicimus, aliud corde premimus, non agitamur ut vaga et cassa arundo, sed re vera hoc sumus et sentimus, quod ostendimus verbis et vultu; nulla falsa species, nulla hypocrisis latet, sed est in nobis spiritus rectus, certus, solidus, da man sich darf auf verlassen, cui tuto possis fidere, es stecket nit hohl Ding in uns, du darfst dich nit furchten, sunder magst dich auf uns verlassen. Pulcherrima responsio et excusatio est.

Quibus rursum ait: Non, sed venistis ut nuditatem terrae exploretis. Illi rursus dixerunt: Duodecim fratres servi tui sumus nos, filii unius viri in terra Canaan, et minor natu etiamnum hodie cum patre nostro est, unus vero non exstat.

Urget Ioseph et auget duritiam et exprobrationem sceleris, cujus eos insimulavit, quia nondum confitentur peccatum. Minime, inquit, emtum alimenta venistis, sed potius ad explorandam nuditatem terrae, juncto hoc manipulo furum. Porro haec quoque elliptica et interrupta sunt; interrogavit enim haud dubie amplius: Qui fit quod hoc numero ingressi estis ad me? cur non plures aut pauciores adducitis? Ibi respondent: Nostrum sunt hic decem, sed revera duodecim fratres sumus, unius viri filii, nec sumus errones et vagi, sed pater certo habitat in terra Canaan. Hoc per interrogatoria expressit, et habuit causam inquirendi in hunc numerum, quia Benjamin jam natus est XXIII annos et decem liberorum pater, ita ut non obsta-

ret aetas, quo minus reliquos fratres omnes comitaretur in Aegyptum.

Dicit igitur: Vos estis siliquae fallaces, aliud verbis sonantes, aliud cogitantes, audio vos duodecim fratres esse, sed cur non totidem adsunt? Respondent vero: Ecce parvus adhuc hodie cum patre nostro est. Ita exponunt se in hac causa solidos et integros esse, non vanos aut hypocritas, sed nondum omnia expressa sunt, er muſs noch baſs herausdreschen; addunt igitur: unus non exstat. Ibi videmus eos desperasse de vita et salute Ioseph, non enim putant eum adhuc superstitem esse, ideo non potest iis in mentem venire hunc principem esse fratrem Ioseph, impedientibus praesertim tot circunstantiis, specie illa majestatis et animo occupato cogitatione de interitu ipsius, quae vel sola causa erat hujus ἀορασίας et incogitantiae.

Et dixit ad eos Ioseph: Hoc est quod loquutus sum ad vos, quum dicerem exploratores estis, jam nunc experimentum vestri capiam. Vivit Pharao, hinc vos non exibitis, nisi veniat huc frater vester minor natu. Mittite ex vobis unum, qui adducat fratrem vestrum, vos interim vincti eritis donec probentur quae dixistis, utrum vera an falsa sint: quod si minus, vivit Pharao, exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiae tribus diebus.

Adhuc retinet duritiam. Hoc est quod dixi, inquit, exploratores estis, darauf bleib ich, Verräther seid ihr, modo dixistis vos bonos et integros esse et duodecim filios unius viri et tamen decem tantum ad-

venerunt, certe nugas agitis. Non cessat ludere, donec extorqueat confessionem peccati.

Quid vero hic agant, cum non audiantur nec fides dictis ipsorum habeatur? Vera narrant, sed Ioseph non credit, quia ipsi etiam patri antea mentiti fuerunt, eique illuserunt nuntiantes Ioseph a bestia laniatum esse.

Sic scilicet stupor ille naturae et peccatum originis excutiendum est, quod non sentit se immundum et damnatum, sed justum potius et purum esse in operibus suis, ideo protrahendum est in lucem, ut manifestum et publicum fiat. Instat igitur Ioseph et ait: Vivit Pharao, non exibitis hinc, nisi veniat frater vester minor natu; mortuum illum non requiro, sed cum restet domi parvulus, nec eum adduxeritis vestro indicio, velut sorex voce sua vosmet proditis; cur enim solum illum domi reliquistis? das mufs nit wahr sein.

Hic vero Ioseph agnitam veritatem impugnat: Scit enim eos vera loqui, nisi quod suspicatur et metuit ne parvulum illum etiam occiderint. Cum igitur gloriemini vos esse integros et bonos, age ut satisfaciam officio meo, probabo utrum sitis exploratores an non: si videro venientem fratrem vestrum, fidem vobis habebo, si non apparebit, tunc certo constabit vos vanos et mendaces esse; ita propriis consiliis captos eos et irretitos tenet.

Atque inde aliqua similitudo et exemplum operum et gubernationis divinae sumi potest. Prudenter enim et consulto hoc factum erat patris deliberatione ac voluntate, ut Benjamin domi maneret, ne quid mali ei accideret, et infra repetet Iacob: Non descendet filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est et ipse solus remansit, si mors ei acciderit in terra ad quam pergi-

tis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Sed hoc consilio tam prudenti et expedito, ut videbatur, fratres maximis periculis et difficultatibus implicantur, qui jam unum id exoptant ut liceat adesse fratri, quo praesente facilia et tuta futura sint omnia, sed patris providentia in discrimen vitae et salutis adducti sunt. Also soll es gehn dafs wir anlaufen, wenn wir am aller klügesten sein, ad hunc modum saepe optime cogitata pessime cadere oportet, sicut Iacob magna sapientia et justissima de causa retinet domi filium, securitatem et incolumitatem ejus certissime sibi pollicens, sed Deus fabricat ei ex hoc consilio perniciem et interitum filii.

Non est igitur consilium contra Dominum, quando vult nos affligere, es hilft kein consilium, kein ratio, kein sapientia contra Deum, wenn er uns plagen will. Erat sane hoc consilium Iacob optimum et sapientissimum, sed fuit infelix es hilft nicht, quia Dominus est destructor sapientissimorum consiliorum et aedificator infirmissimorum, desperatissimorum, rejectissimorum, idque requirit a nobis, quod mandavit in Psalmo 50, 15 et alibi: „Invoca me in die tribulationis, et ego exaudiam te,“ item: „Commenda Domino viam tuam, rejice in Dominum curam tuam et ipse faciet. Quando enim desperata et conclamata sunt omnia,“ (et juxta 107. Psalm: „Omnis sapientia eorum devorata est),“ wenns alles verderbt ist, dafs man schreiet wir müssen verderben und zu Grund gehen, ibi adest Deus, et dicit: Nolo te consiliis tuis quantumvis splendidis juvari, aut perire, possum enim destruere pulcherrima consilia et abjectissima excitare et adjuvare.

Sic in praesenti exemplo res erant desperatissimae, ipsi consilii et auxilii inopes, putabant se dam-

natos et jamjam perituros esse, sed mox sequetur illud: Ego sum Ioseph. Ad hanc unicam vocem reviviscunt et instaurantur miserrima et perditissima consilia; antea vero securi erant, neque quidquam periculi metuebant, sed Deus invenit culpam et causam contra eos rebus optime deliberatis et constitutis. Confitendum itaque est Deo, etiam cum sumus instructi consiliis prosperrimis et prudentissimis, neque desperandum est, quando sapientia et ope humana destituimur, sed sic statuamus: Credo in Deum omnipotentem, qui pulcherrima consilia potest redigere in nihilum, et commutare in infernum, et vicissim ex abjectissimis coelum facere, quia est creator omnipotens. Ich kann ihm nicht zu tief fallen, er kann mich heraus heben, ich kann ihm nicht zu hoch sitzen, er kann mich stürzen.

Ergo non est quod praesumamus et superbiamus de sapientia nostra aut de peccatis desperemus. Quia ipse est supra et extra et infra omnia, coram eo omnia sunt nihil et nihil est omnia, vivificat enim mortuos et vocat ea quae non sunt, ut sint.

Idem sane Iacob et filii ejus experti sunt, non enim putabant se posse impingere aut periclitari, verum cum satisfactum jam quaestionibus Ioseph putant, invertit responsum eorum et inde colligit eos vanos et mendaces esse. Fatemini, inquit, vos duodecim fratres unius viri filios esse. Age ubi manet is quem dicitis esse superstitem? Ex ore vestro vos judico, homines leves et mendaces. Haec non potuerunt ipsi prospicere, aut praecavere, imo ne in mentem quidem unquam venit, interrogaturum principem rei frumentariae de fratre Benjamin domi relicto.

Ad hunc modum Deus nobiscum quoque ludit, ut

agnoscamus et credamus eum esse creatorem omnipotentem et misericordem, qui potens sit exaltare oppressos et dejicere superbos, quantumvis causa bona et justa. Humiliemur igitur coram Domino et dicamus: Tu solus altissimus, igitur et mea justitia, sapientia et consiliis, quin etiam toto mundo sublimior es.

Sum et ego non parum periclitatus in vita et doctrina mea quam profiteor, verum aliquoties felicissimos successus et exitus sum expertus, rebus, ut mihi videbantur, afflictissimis et perditissimis; rursus saepe optime cogitata et deliberata fuerunt infelicissima: subjiciamus igitur nos Deo, etiam cum justitia aut sapientia instructi nobis videmur, quia ipse est super omnia, ac demus operam ut media via incedamus, ne vel praesumendo vel desperando peccemus.

Sic filii Iacob pulchre sibi placebant de mentione patris et fratrum facta, neque aliud sperabant, quam acquieturum Ioseph ea commemoratione, sed ipse invertit inversione durissima usque ad mortem, jamque a verbis ad verbera et vincula procedit, cum objicit, eos facta conspiratione finxisse haec omnia, ut sibi fucum facerent et dolos quos machinabantur tegerent. Sie meinen sie habens wohl ausgericht, da kommen sie erst in ein recht Bad, darin sie wohl schwitzen. Per salutem Pharaonis, inquit, aut fratrem illum superstitem adducite, aut omnes peribitis. Sic peccatum eorum paulatim in lucem profertur et ipsi ad agnitionem sui perveniunt.

Quaerit hoc in loco Augustinus, an licuerit Ioseph jurare per salutem Pharaonis, praesertim cum mentiatur, nec servarit hoc juramentum, dimisit enim novem fratres retento uno, verum nihil opus est hac

quaestione. Primum enim licet jurare non solum per Deum, sed per coelum, per animam, per caput, sicut hae formae enumerantur a Christo Math. 5, 34 — 36. Et quia prohibet haec juramenta, significat ea vera esse, sive per caput nostrum, sive per salutem animae juremus. Sic Hebraei dicunt: Vivit Dominus, vivit anima tua, vivit rex, ejusmodi juramenta non sunt falsa, sed Christus damnat libidinem jurandi et vanitatem jurantium. Sic Paulus primo Corinth. 15, 31. „Per gloriam vestram quotidie, inquit, morior." Ibi jurat per Ecclesiam, sicut mos fuit jurandi per Ierusalem, civitatem magni regis, et in Psalm. 63, 12. „Laudabuntur omnes qui jurant in eo."

Licet igitur jurare praesertim in foro et judiciis ad testimonium ferendum veritati, quia nihil aliud est, quam invocatio Dei, sicut Paulus inquit 2. Cor. 11, 31. Invoco Deum testem et in animam meam.

Ioseph vero non peccat jurando per Pharaonem majorem ipso, sicut dicitur in Epistola ad Hebr. 6. Nam homines quidem per eum jurant qui sit major, atque iisdem omnis controversiae finis ad confirmationem est jusjurandum.

Sed cur non servat? Respondeo: Sufficit quod unum retinet, eo enim retento, perinde est, ac si omnes manerent. Eant alii, dixit, adducant fratrem, hic maneat in signum juramenti, donec cognoscam an vivat Benjamin; sin periit, certum est vos esse exploratores, cujus sceleris poenas a vobis exigam. Ibi haud dubie lacrimis et fletibus clementiam ejus et misericordiam implorarunt. Ah clementissime princeps, noli omnes vincire, sine ut aliquibus saltem liceat haec domum ad patrem referre. Sed nondum flectitur, quin tradat eos custodiae toto triduo, satis equidem

duriter, verum non ut ulciscatur injuriam acceptam, sed ut inquirat in patris et fratris uterini salutem maxima sinceritate et candore. Deinde ut revocet in memoriam delictum, eosque ad sui cognitionem perducat et expurget peccatum.

Quid igitur animi eo triduo fuisse ipsis putabimus? Ingens enim miseria et tentatio est, quod vident se avulsos esse a patre, ab uxoribus, liberis et familia, jamque eadem poena haerent impliciti, qua antea fratrem Ioseph affixerunt, imo pejus habent, quia sunt conjuges et anguntur de parente, cui sciunt summum dolorem allaturum hoc nuntium, ubi rescivérit detineri filios suos in carcere apud Aegyptios. Hoc illud est, quod dicitur Dominus mortificare et vivificare, deducere ad inferos et reducere, et geruntur tamen haec omnia suavissimo et summo amore, verum is lusus ipsis mors et infernus fuit, ac haud dubie toto illo triduo in maximo luctu et angustiis fuerunt, soliciti de liberis, uxoribus et patre, ist ihr rechte Marterwochen und Carfreytag gewest in summo moerore et desperatione. Adhuc quidem tenuis aurula spei superest, quod jubet adduci fratrem undecimum, quo adducto sperant se evasuros incolumes, neque tamen eum facile dimissurum patrem sciunt, nisi aliquis ipsorum ablegetur in Hebron. Ibi porro disputarunt quis futurus sit ad hanc legationem obeundam maxime idoneus, qui tantum valeat gratia apud patrem, ut possit hoc ab eo impetrare et similia multa intercesserunt, quae dissimulantur a Mose, lacrimae, gemitus, preces supplices, quibus petiverunt a custode carceris, aut aliis ut pro se intercederent apud principem, ejus animum mitigarent et ostenderent patrem nunquam dimissurum dilectissimum filium, propter periculum, in

quod conjectos reliquos novem auditurus esset, quin etiam auspicaturum omnes jam periisse et huic quoque insidias strui.

Ita sane mortificatur et purificatur caro a peccato, vere enim in inferno et purgatorio tum fuerunt. Porro querelae illae delatae sunt ad Ioseph, qui cum vitae et incolumitatis parentis et reliquae familiae rationem habendam ducat, mitigat sententiam et unum tantum vinciri jubet, donec de fratre et integritate eorum certior fiat.

Tertio demum die dixit ad eos Ioseph: Hoc facite ut vivatis (Deum enim timeo) Si probi estis, frater vester unus vinciatur in carcere vestro, vos autem abite et ferte domibus vestris frumentum contra famem, et frâtrem vestrum minimum ad me adducite, ut probentur verba vestra, ne pereatis. Et fecerunt sic.

In Hebraeo textu rursus occurrit phrasis usitata, fractio famis, cujus rationem et etymologiam Iudaei hanc afferunt, quia famem frangat, atque ita inscitiam suam produnt, homines non solum doctrinae sacrae, sed et sententiae grammaticae ignari. Nihil aliud igitur significat fractio panis, quam escam, nec active accipienda est, sed passive, non quod frangit, sed quod frangitur. Sicut de discipulis dicitur, cognovisse eos Iesum in fractione panis, hoc est, dum frangeretur panis, item Christus jubet colligi fragmenta. Ita hoc loco fractio famis pro fame seu tempore famis ponitur, ut supra aliquoties fractionem saturitatis et fertilitatis passive dixit.

Haec observatio admodum necessaria est in sa-

cris literis, quando vocabula active, quando passive sumenda sint, quia totus sermo mutatur secundum activam aut passivam significationem, ut Rom. 3: „Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.“ Si active ponitur, alia est vis vocabuli et item alia quando passive accipiendum est, ideo in utravis significatione plurimum momenti est ad verum sensum colligendum. Sic justitia Dei, item opus Dei, virtus Dei utroque modo exponi potest; secundum Latinam grammaticam et Graecam, justitia Dei intelligitur, qua ipse justus est, sed haec expositio obscura est et infert caliginem universo textui scripturae sanctae, sin passive accipitur, tum est salus et consolatio nostra, significat enim justitiam Dei, qua ego justificor divina misericordia. Ita si exponas fidem Dei juxta Latinorum phrasin, qua ipse credit, aut qua servat promissa, ea expositio obscurat sententiam Pauli, sed quando accipio pro dono Dei in me, quo ego credo in Deum, ibi longe aliter et melius sonat. Sic opus Dei est, non quod ipse patitur, sed quod operatur in me.

Olim ego cum legendum et orandum esset illud Psalmi: „In justitia tua libera me,“ totus exhorrescebam et ex toto corde vocem illam oderam: Ne me liberes, cogitabam, tua justitia, qua tu justus es, active, passive igitur accipienda est justitia, qua ego justificor.

Ad hunc modum in Hebraea lingua activa et passiva significatio vehementer obscurat textum. Sed qui potest recte distinguere inter utrumque, sciat se non parum profecisse, itaque dictum Pauli: „Omnes egent gloria Dei,“ passive exponendum est, id est, ego non habeo quod glorier de Deo, wir können uns unsers Herr Gotts nit rühmen. Haec magnam lucem

scripturae sanctae afferunt, contra Rabbini suis glossis obscurant omnia, quando exponunt active ea quae passive intelligenda sunt.

Laurentius Vallensis recte dicit Graecam linguam non habere hanc elegantiam in pronominibus mei et meus, tui et tuus, aliud enim est amor mei et amor meus, odium tui, et odium tuum; multo magis vero Hebraei eis carent. Sola Latina lingua elegantissime dicit: Hoc facio amore tui, gratia tui ignosco tibi, hoc est, quo tu a me diligeris, non tuo, quo tu me diligis. Inde facile apparet quantum sit discrimen in passiva et activa illa significatione; ad hoc observandum in Hebraea lingua magna diligentia opus est, quia caret pronominibus illis, ac Paulus propterea obscurus est in epistolis suis, quia multos tales Hebraismos et Graecismos usurpat. Germanica lingua etiam expeditior est propter particulam willen, um deinet willen.

Haec dico non tantum propter praesentem locum, sed ut ista phrasium ambiguitas in multis aliis locis observetur, quia mihi olim multum negotii facessit quando veni ad illas propositiones justitia Dei, opus Dei, opus tuum, justitia tua, quae si active accipiuntur mors sunt, passive autem sunt vita et salus.

Quando orabam, in justitia tua libera me. O nein lieber Herr Gott, non in justitia tua, Latino modo aut philosophice loquendo, sed in misericordia tua. Atque hic sane omnes Patres, Augustinus, Ambrosius, hallucinati sunt et in hoc veluti scandalum impegerunt ut Psalm. 25, 10. „Universae viae Domini misericordia et veritas." Ibi vias Domini exposuerunt active et dixerunt Deum judicare Diabolum cum impiis et damnatis per veritatem, Sanctos vero per misericor-

diam, sed ita prorsus obscurata est sententia Psalmi, neque quidquam intellexerunt, quia constructionem genitivi non recte acceperunt. Psalmus enim loquitur de viis Domini, de operibus Domini, quae in nobis operatur, de fide Domini, qua nos salvat, ita ut sit sententia universae viae Domini, was unser Herr Gott mit uns macht, ist alles Gnad und Barmherzigkeit.

Meminerimus igitur fractionem famis hoc loco dici, non quod frangat panem aut famem, sed distributionem panis, pro vel contra famem: Accipite, inquit Ioseph, fractionem, hoc est, divisionem istam necessariam hoc tempore famis. Iam enim mitiorem se praebet, ut consulat saluti patris et familiae, ne pereant interea, itaque reliquos dimittit satis clementer, uno tantum vincto, sed nondum tamen suspicionem objecti criminis prorsus ab eis amovet, verum timorem et reverentiam Dei prae se fert, quo impulsum se dicit ad moderationem hanc, atque ita ludit cum fratribus suis, ut saepe jam dictum et, amantissime, ludo mirabili et in speciem acerbissimo. Cor ejus suavitate, amore et benevolentia fraterna plenum est, ut nihil possit eo inveniri suavius et amabilius, quia mox aversus a fratribus, profundet lacrimas et tamen dissimulat στοργὴν illam φυσικὴν et minatur eis mortem.

Diligenter igitur observanda et meditanda sunt ejusmodi exempla gratiae Dei erga nos. Ioseph tenerrime amat suos fratres, nec male eis vult et tamen crudelissime eos tractat ac sinit usque ad mortem periclitari. Ipsi longe crudelius se gesserunt erga Ioseph, cogitabant enim illum occidere, ut dictum est supra Cap. 37. verum hic tantum vitam et salutem eorum meditatur, quamquam aliud prae se ferat.

Tale omnino est regnum Christi et rex ipse, op-

tima enim de nobis cogitat, si quis posset intelligere; neque est ei credendum, quando irascitur, revera enim non irascitur Christus, hoc est, Deus incarnatus, sed extra Christum non est disputatio, aut spes ulla de Deo, qualis sane Iudaeorum, Turcarum et Papistarum religio est.

Regnum autem Christi est regnum gratiae et misericordiae. Etsi igitur videtur nos aversari, negligere aut abjicere, quando immittit famem, pestem, mortem et supplicia omnis generis, tamen simul sinit et jubet nos confidere, ac nos idem scire, credere, confiteri bonitatem et gratiam ejus debemus usque ad mortem. Ad hunc modum sinit Ioannem Baptistam decollari propter scortum pessimam, matrem suam miserrime affligi, martyres exquisitis suppliciis excruciari. An non videtur irasci? Non equidem irascitur, nec sinas tibi hoc persuaderi, non enim vera, sed simulata ira est. Sic Augustinus de se et matre sua narrat: Quando vapulabam in scholis et domum reversus conquerebar apud matrem, ridebat ipsa plagas meas, quae tamen mihi non male cupiebat. At quomodo potest pater aut mater ridere, quando filius vapulat? Profecto sic solet fieri, parentes castigant liberos, praeceptores discipulos, magistratus punit sontes et est minister irae et gladii, ut suspendat fures, capite plectat latrones, neque tamen delectatur ejusmodi suppliciis, mallet enim singulos facere officium, neque ullam poenam commereri.

Atque haec sane in regno irae et mortis fieri solent, itaque alia ratio est regni oeconomici et Scholastici. Non enim volunt hoc parentes aut praeceptores, quod sentit is qui castigatur plagis et verberibus, non quaerunt perniciem ejus, aut ut satisfiat pro pec-

cato, quo errore insulsissimo Papistae hanc doctrinam contaminarunt, sed idem agunt quod Ioseph, qui exercet fratres suos durius, ut erudiantur et admoneantur de admisso scelere, sine qua cognitione nulla salus est.

Sic Deus dedit legem, ut revelet peccatum, ut operetur iram, itaque disciplina et virga seu (ut Paulus loquitur) paedagogus noster est, sine quo caro non intelligit peccatum, quemadmodum discipulus cui parcit praeceptor, haud unquam proficiet, sed manebit stipes et truncus, non enim novit, nec intelligit stoliditatem et mala sua absque disciplina et castigatione magistri; necessaria itaque est cognitio illa peccati, quamquam sola non sufficit, sed Deus non solet dare gratiam, aut iuvare nos, nisi stultitia quae colligata est in tergo pueri et malitia quae est in corde viri reveletur, ut fiant capaces gratiae.

Hic modus ac finis est omnium poenarum et vexationum, sicut parentes castigant liberos, ut emendentur et redeant in viam, non quod perdere, aut exhaeredare eos cogitent, id enim alienum esset a στοργῄ divinitus animis ipsorum indita, et Paulus diligenter monet Eph. 6, 4 et Coll. 3, 21 ne provocent filios suos ad iram, ne despondeant animum. Et talis debet esse castigatio ut maneat amor et fiducia filialis erga parentes et praeceptores et intelligant liberi se non pati correctionem in perniciem suam, sed magis, ut maneant in officio, neque causam exhaeredandi patri sua improbitate praebeant, quod illis solet evenire, qui nec verbis nec verberibus corrigi possunt et postea propter furta, latrocinia, aut alia flagitia poenam judicis et carnificis incurrunt, postquam excusserunt imperium paternum.

Ad hunc modum applicandum est exemplum Ioseph ad regnum Christi, qui punit, non ut abjiciat aut exhaeredet, sed ut servet haereditatem, quam acquisivit nobis sanguine suo, quia stultitia colligata est in corde nostro, in peccatis concepti et nati sumus et in iisdem haeremus per omnem vitam, nec possumus ea peste prorsus liberari. Stupor quidam Diabolicus regnat in nobis, friget invocatio et in aliis exercitiis pietatis plane tepidi sumus, non sic ardemus studio et amore Christi, sicut rerum praesentium. Haec ignavia et oscitantia oritur a carne nostra maledicta et a Diabolo, hinc adeo exclamat Paulus, Rom. 7, 24. „Quis liberabit me de corpore mortis hujus? Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.“

Hic stupor et stultitia peccati originalis non in pueris tantum, sed etiam in adultis corrigendus est, ideo immittit Deus plagas per magistratum, famem, pestem, gladium, Turcam, Pontificem, Diabolum etc. Quare? ut nos clamemus cum vapulamus; atqui non audit, aut certe ridet clamorem et lacrimas, sicut parentes Augustini ridebant plagas filii sui. Sic quando Diabolus per Diocletianum aut per Turcam grassatur in Christianos, gemunt illi et clamant: Ah Domine Deus audi clamorem meum, vide afflictionem nostram, cur rides afflictionem et aerumnas nostras? Respondet Deus: Propterea hoc facio, ut purgeris, purgo autem ut salveris et pervenias ad haereditatem promissam. Ich kann dich sunst nit selig machen, oportet me te occidere et sepelire, ut putrefias et corrumparis; venenum enim diffusum est per totum corpus. quod non possum tollere, nisi per Diocletianum et Arrianos haereticos, quibus utor tanquam virgis.

Meminerimus igitur hoc exemplum accommodandum esse ad totam vitam nostram, multa enim admodum suaviter et utiliter monet. Christus est Ioseph noster dulcissimus; qui pro nobis mortuus, fudit sanguinem suum in remissionem peccatorum, non igitur potest alienus a nobis esse, nec pater nos odit, quia mittit filium; multo minus vero Spiritus sanctus, quia docet haec et consolatur et tamen dissimulat et tegit hunc amorem saepe horribilibus objectis irae.

Ita hos Patres admodum duriter castigat Deus propter peccatum non originale tantum, sed etiam actuale, sunt enim patricidae, matricidae, fratricidae, quantum in ipsis est. Et nisi Deus servasset Iacob mirabiliter, sine ulla dubitatione fuisset confectus moerore animi, alia calamitate aliam subinde excipiente: uno anno viderat stuprum Bilhae, mortem Rahelis, Deborae nutricis, ac tandem interitum Ioseph, auctoribus Simeone et Levi, zu solchen groben Knoten gehört fortis medicina, dafs sie unten und oben ausspeien. Ut igitur medeatur Ioseph tantis malis, non temporalibus, sed infernali et originali veneno utitur purgatione vehementiore per periculum et timorem mortis ac inferni, sunst wird nicht draus. Non enim cogitant de ulla poenitentia, propterea quod incrassatum et dilatatum est cor eorum, sind dick und faul worden, ut non angantur de admisso scelere; atqui peccatum neglectum non reddit homines bonos et probos, gratia non habet ibi locum, nisi agnoscamus peccatum et humiliemur, atque adeo in nihilum redigamur, ut sentiamus nos esse damnatos. Sunst hält mans für kein Sünde.

Verissima sane ac optima sententia est. Peccatum sine lege non est peccatum, sicut inquit Paulus:

que fratri suo delicta eorum." Sumus quidem justi et declarati filii regni, sed peccatum originis manet adhuc rebellans in nobis, unser Herr Gott hat noch ein Kerbholz, ein Register wider uns, non sumus puri ab omnibus vitiis et inquinamentis. Hic est reatus, das wir unserm Herr Gott noch schuldig sein. Iam si addideris superbiam, ingratitudinem, inclementiam erga fratrem, reviviscit totum peccatum et debitum tibi non est remissum, tum autem remittitur, cum tu remiseris conservo tuo, so soll das debitum nit schaden.

Servus debet decies mille talenta, sed Dominus remittit, schadet ihm nu nicht, non tenetur solvere aut satisfacere, debitum jam non est debitum. Per quid? per remissionem. Sed ubi ille conservo centum denarios non remittit, rursus universum debitum exigit paterfamilias. Sic nos non sumus absque debitis, si Deus jure et non secundum misericordiam vult nobiscum agere, sed si petiverimus nobis ignosci ac crediderimus, fratrique remiserimus, condonantur omnia delicta nostra, etiam si sint debita. Wenn ich aber will stolzirn und pochen, so stehet das debitum wieder da.

Haec est vis vocis illius אָשָׁם quam Christus sapientia patris, qui est optimus Grammaticus et Hebraeus reddidit debitum in oratione Dominica. Ita hi fratres inquiunt: Nos sumus debitores, rei, obnoxij turpissimo flagitio, quod designavimus adversus Ioseph, id jam retegitur et nos dignas factis nostris poenas luimus, da findet sich unser peccatum, und geschieht uns recht. Certe humilis confessio est, fatentur se debitores, agnoscunt crudelitatem, qua fratris miserabilem deprecationem contempserunt.

Supra autem silentio praeteriit Moses, quod hoc loco narrat, Ioseph supplicem factum fuisse fratribus,

sed Simeon et Levi durissimae cervicis crudelissime tractarunt fratrem, nullam aliam ob noxam, quam quod parenti prae ceteris carus esset, ac somnia haberet significantia ipsi futuram dignitatem. Tam duri et implacabiles fuerunt, ut non audierint supplicantem, flentem, laborantem in summa tribulatione et angustia.

Tantum igitur scelus, nimirum abjicere et occidere fratrem supplicantem in extremo discrimine vitae, agnoscere eos oportet, ac sane si conferas haec inter se accuratius, longe mitior est poena, quae exigitur a Ioseph, quam facinus ipsorum in vendendo fratre. An non enim alienum est ab omni sensu humanitatis et pietatis, non flecti, nec moveri commiseratione hominis innocentis, porrigentis supplices manus, clamantis et implorantis misericordiam non alienorum hominum, sed fratrum germanorum. Atrox equidem facinus fuit, quo in parentem grandaevum et Ioseph gravissime deliquerunt, cujus atrocitatem ipsi nondum penitus perspectam et cognitam habent.

Respondit eis Ruben dicens: An non dicebam vobis: Nolite peccare in puerum et non audiebatis me? Ecce sanguis ejus exquiritur. Nesciebant autem quod Ioseph intelligeret, eo quod per interpretem loqueretur ad eos. Et aversus ab eis Ioseph flevit, reversusque ad eos, loquutus est cum eis.

Ruben videtur melior fuisse ceteris et non tam graviter peccasse quam Simeon et Levi, supra enim audivimus eum vehementer consternatum, scidisse vestimenta, cum reversus ad cisternam non inveniret Ioseph, quamquam propter incestum et gratia patris et

primogenitura exciderat. Ait ergo: Quid nunc fiet? En sanguis ejus exquiritur. Haec vero vox penetrat in cor Ioseph, eumque cogit ad lacrimas et commiserationem, da wird er weich, und geht ihm das Herz über. Simeon et Levi nondum fatentur peccatum, sentiunt enim eum jamdudum esse exstinctum, itaque mentione ejus parum moventur, Ruben vero cum reliquis agnoscit vindictam divinam; videt se haerere in poenis, ac miserabiliter trepidat, itaque Ioseph non potest se continere amplius, quin ad hanc confessionem et desperationem totus commoveatur στόργῃ fraterna, et aversus ab eis illacrimet. Er kann über das Herz nit bringen, sicut nec nostrum aliquis posset sibi a lacrimis temperare.

Vides ergo quo animo Christus puniat suos, quam sit ibi ardens caminus caritatis, non tantum spiritualis, sed etiam carnalis, sicut Ioseph verbis Ruben ita afficitur, ut nequeat vincere commotionem istam viscerum, er kann sein Herz nit mehr halten; habent me pro mortuo, cogitat, et ego vivo in tanta dignitate et splendore.

Nesciebant autem illi, ut habet textus, quod Ioseph haec audiret, id est, intelligeret, erat enim מֵלִיץ interpres inter eos. לֵץ significat derisorem Psal. 1, 1, praeposita vero Mem interpretem exponunt Hebraei, neque tamen rationem sciunt hujus expositionis. Psalm. 1, 1 non potest לֵצִים pro interpretibus accipi, nam et alibi derisorem significat, ein Spötter, vel hypocritam, qui aliud loquitur, aliud cogitat, vel interpretatur, quam sonant verba Scripturae sanctae. An vero sit ratio nominis quod interpres aliena lingua utitur, non possum statuere. Hoc loco recte redditur interpres, Ioseph enim dissimulavit se nosse Hebraeam

linguam, ideo usus est interprete, quo certe opus habuit in tanta varietate et multitudine peregrinorum confluentium ad emendum frumentum.

Sed Rabbini more suo nugantur, Manassen filium Ioseph fuisse interpretem illum, cum tamen ad summum eo tempore octo tantum annos haberet. Quis igitur puero potuit usus esse in rebus tam arduis? Necesse est fuisse virum gravem et multiplici rerum et linguarum cognitione instructum, qui tum id munus obiit apud principem Aegypti.

Hoc autem in primis notandum est, quod Ioseph describitur plenus caritate et affectibus naturalibus ac fraterna benevolentia; quamquam enim duriter compellat et tractat fratres, tamen ardet cor ejus στοργῇ φυσικῇ et amore spirituali, quia fides et Spiritus sanctus non corrumpit, aut destruit naturam, sed corruptam et destructam sanat et reparat. Manent itaque naturalissimi affectus in parentibus, fratribus, uxoribus, qui non tolluntur per gratiam, sed excitantur.

Monachi olim ex hominibus truncos et saxa insensibilia fecerunt, ac singulare hoc praeconium de sanctis suis voluit celebrari Satan, quod non commoverentur ullo genere affectuum, homines stolidi, ac septies Stoici, gratia vero et Spiritus sanctus non sic exuit humanam naturam suis motibus, ut pater Iacob non defleat filii interitum, hoc enim pugnaret cum natura sic condita a Deo cum affectibus.

Vidimus autem ante aliquot annos fanaticos spiritus conari ejusmodi ἀπάθειαν invehere in Ecclesiam, sicut Monetarius eam vita et moribus studebat exprimere, tanquam singularem sanctimoniam. Cum enim nunciata ei esset nativitas filii, stetit ante aram qua-

si mutus et surdus, non laetatus est nec gratias egit, neque quidquam respondit, ut ostenderet se truncum et stipitem esse et postea jactaverat naturam suam prorsus esse mutatam et mortificatam. Id revera fanaticum fuit longe deterius Stoicorum delirio, Deus enim vult servatam naturam, non exstinctam, sed jubet eam corrigi, ut fiat purior et affectus magis sint compositi in piis, quam in gentilibus, qui non regunt eos timore et fiducia Dei, sed temere et sine certa lege verbi Dei iis rapiuntur.

Vides igitur descriptam in hoc exemplo sanctimoniam sanctissimorum Patrum, qui eosdem affectus, licet pauciores et moderatiores, suas item passiones et infirmitates habent sicut ceteri homines.

Scribit Marcus Christum circumspexisse Pharisaeos cum ira et conturbatum super caecitate cordis eorum, propterea quod disputabant an liceret Sabbatho curare. At quomodo irascitur aut contristatur Christus, qui est sine peccato? Quare tribuit ei Evangelista dolorem, tristitiam, indignationem, iram? Respondeo. Ira, si accedit moderatio et manet in vero et legitimo usu, est affectus naturalis, insitus hominis naturae divinitus, sicut amor et appetitus conjugis ab initio cum aliis naturalibus appetitionibus est conditus, cum autem hi affectus sint corrupti peccato originis, id porro agitur ut corrigantur.

Manifestus igitur furor Satanae est ejusmodi sanctimoniam jactare, ubi homines fiunt trunci et saxa et desinunt esse homines. Negant eos esse Sanctos qui ira commoventur, cum tamen nec Stoici illi hominem iracundia et aliis affectibus prorsus possint exuere, aut enim fingunt se non irasci, aut fugiunt occasionem irascendi et consuetudinem cum hominibus, qui

possint eos commovere. Sic sane ego quoque reprimerem iram, si nemo esset qui me irritaret, atqui indenata sunt tot agminast olidissimorum Sanctorum, qui concesserunt in loca deserta, fugientes coetus et societatem hominum, ut viderentur alieni ab omni affectu et sensu humano, sicut describuntur studia et mores eorum in vitis Patrum. Monachi vero cujusdam exemplum alicubi recitatur, quo ego in primis delectari soleo. Cum enim morositate et impatientia victus, relicto monasterio in locum desertum sese contulisset, ubi tranquille et ab omni offensione et peccato immunem se degere posse sperabat, forte accidit ut prodiret ad fontem aquam allaturus vasculo Samio, id vero cum incautus superfusa aquae copia everteret, arreptum vasculum iratus solo illidit et frangit. Ibi tum ad se rediens agnovit non hominum culpa cum quibus vixisset, se toties ad iram concitatum fuisse, sed suae naturae et carnis vitio, quae ad iracundiam esset pronior. Reversus igitur in monasterium moderationi affectuum et patientiae studuit.

Sic nos in hac communi hominum societate manere et conversari decet, ut peccata libidinis, irae, ac similium affectuum frenare et frangere discamus, adeoque recte utamur iracundia et appetitione sexus, ut purgetur superbia, ambitio, odium, libido etc. quod non potest fieri sine ingenti labore et dolore. In Sanctis igitur non solum cernitur natura humana sic condita cum suis affectibus, quos Spiritus sanctus non exstinguit, sed etiam infirmitas et corruptio, contra quam veluti in procinctu stantes assiduo dimicant, et laborant ut mortificent vitiosos motus.

Sic Iacob et Moses multa passi sunt non sine dolore, cum quo interdum et indignatio, fremitus,

murmuratio, quin etiam blasphemia quandoque conjuncta fuit, sed represserunt tamen se et compescuerunt motus illos.

Ioseph haud dubie sensit naturalem immunditiem, verum non laxavit ei frenum, sed fregit iram et impatientiam et alias cupiditates, audiens et obtemperans Spiritui sancto, qui suggessit ne murmuraret, neve malum pro malo redderet. Etsi igitur justissimam causam irascendi et vindicandi injuriam illatam a fratribus habet, tamen non exsequitur jus suum, sed vertit in ludum quendam suavissimum et cum videt eos angi et dolere, flet una cum ipsis.

Nondum tamen vere agnoscunt peccatum, quamquam clanculum inter se id confitentur, haud dubie enim reticuissent et celassent, si scivissent adesse qui adverteret aut intelligeret sermones ipsorum, quia peccatum natura sua facit surdos et mutos, neque quisquam est, qui velit sua delicta publicari ac propterea male audire apud alios.

Ita tegunt hi fratres scelus suum et ornant se coram principe terrae. Ibi peccatum mutum est et surdum, ac sperant perpetuo id posse latere; quia vero nondum pacaverant patrem, neque etiam facinus suum ipsi aperuerant, necesse erat proferri illud, eosque ad cognitionem et confessionem tantorum scelerum adigi.

Ioseph vero plorat, cum haberet justissimam causam ulciscendi se, et simul de fratre Benjamin est sollicitus, motus στοργῇ fraterna, angitur enim de salute ejus ne forte perierit. Necdum fidem habet dictis ipsorum, nec tenetur eis credere, donec contrarium experiatur, sicut Abraham supra simili de causa

negavit Saram suam uxorem esse, veritus non esse timorem Dei in loco illo.

Sic Ioseph sciebat fratres esse parricidas et fratricidas, itaque non statim fidem eis habet, donec videat fratrem Benjamin, interea eos exercet mirabiliter, ut exploret veritatem et ut memoriam inveterati illius peccati, quod latuerat annis circiter viginti duobus, renovet. Nam tanto tempore viderant miserrimum patrem gravissimo dolore et luctu consumi propter commentitiam mortem dilectissimi filii.

Non igitur deerant causae et occasiones pro merito puniendi fratres, sed longe mitius eos tractat, quam ipse ab eis acceptus fuerat, tantum de medicina et sanando malo cogitans.

In eo vero colloquio, quod Moses obiter tantum perstringit, non dubito Ioseph singula diligenter sciscitatum esse de parente, de fratre, de nomine et vita utriusque, quae non recensentur hic, sed ex circumstantiis et historia ipsa facile possunt colligi. Verisimile etiam est, eum de aetate, ingenio et moribus singulorum qui aderant inquisivisse, quo facilius quae vellet de admisso scelere et fratre aut parente expiscaretur.

Tulit autem ex eis Simeonem, vinxitque eum ipsis cernentibus.

Hic locus testatur Simeonem fuisse principalem fratricidam et pessimum inter reliquos fratres; postquam enim Ruben amisit primogenituram propter incestum cum noverca sive matre potius, propterea quod una caro cum patre erat, simul etiam gloriam et dignitatem omnem abjicere atque deponere eum oportuit, ac postea sane non ipso tantum, sed et

tota ejus posteritas ac tribus valde obscura et contemta fuit, neque quidquam memorabile gessit, ut videre est in lib. Regum et passim in Scriptura sancta.

Sic vero ratiocinatus fuit Simeon: En jacet Ruben, ac pro nihilo est propter crimen stupratae novercae, jam igitur ad me redit primogenitura. Da wird der Esel stolz, geht auf das Eis, und bricht ein Bein, ibi coepit insolenter et superbe se gerere, atque adeo auctor et fax hujus tragoediae exstitit, nam illa verba quae supra recitantur: Ecce somniator venit, etc. Hebraei attribuunt Simeoni, neque enim omnes simul hanc vocem edere potuerunt, ideo consentaneum est Simeonem non tantum in haec verba prorupisse conspecto Ioseph, sed et reliquos incitasse ad tantum scelus perpetrandum; ita reliquos omnes longe vicit inclementia et crudelitate et absque eo fuisset, forte supplicanti fratri pepercissent ceteri. Verum hic propter primogenituram atrocius in Ioseph grassatus est et quod a patre diligeretur plurimum et quod cupiditati suae obstaret, ideo tutissimum fore putavit si e medio tolleretur.

Haec admodum verisimilia sunt, ac facile ex historia ipsa colligi possunt: sicut enim ab initio mundi primogenitura atrocissimorum odiorum et certaminum causa fuit, ita hunc quoque studium et cupiditas ejus incendit, et nos hodie nullam aliam ob causam pugnamus contra Papam, quam propter primogenituram, hoc est Ecclesiam. Nam eam dignitatem sibi vendicant Papistae, volunt esse Ecclesia et proximi Deo, nos contra abjectos eos et damnatos esse statuimus, ac nobis populi et electorum Dei gloriam et nomen usurpamus. Haec enim est primogenitura, esse Ecclesiam et regere ac docere homines ad salutem, esse in populo

Dei et in numero Abelis et servorum Dei. Ibi tum opponit sese haereticus aut fanaticus aliquis, ac se doctorem Ecclesiae jactitat, reliquis omnibus damnatis et conculcatis. Hinc illa certamina et pugnae verae Ecclesiae, et hostium ipsius omnibus temporibus exstiterunt.

Ligatur igitur Simeon ut auctor et caput istius mali, dimissis aliis, non ut cupiditati vindictae indulgeat Ioseph, sed ut ad cognitionem peccati eum perducat. Ruben et Iuda cum reliquis aliquantulum dolent de admisso scelere, sed Simeon praefractus est et superbus, neque cogitat deponere spem primogeniturae, quia certus est Ruben abjectum et Ioseph exstinctum esse, quod cum intelligat Ioseph, conjicit eum in vincula, ut superbia et praesumtio illa contundatur per carcerem, jamque adeo non primogenitum, sed vinctum et captivum se perpetuo fore cogitet.

Postea Levi eam dignitatem sibi promittere potuit, sed uterque falletur, sicut infra patebit ex maledictione patris. Quartus filius Iuda regnum adeptus est, primogenita autem quae amiserat Ruben data sunt Ioseph, ac cessit ei sacerdoti et regi duplex portio per duos filios Ephraim et Manasse, a quibus duae tribus ortae sunt.

Et praecepit Ioseph, ut impletis vasis illorum frumento, restituerent pecuniam illorum, cujusque in saccum suum, darentque eis viaticum pro itinere, factumque est eis sic.

Saccus commune vocabulum est quatuor linguis, ut supra annotavimus; hic כְּלִי usurpat Moses pro sacco, estque generale nomen ad omnia instrumenta,

ut vasa belli pro armatura et infra 49. „Simeon et Levi vasa iniquitatis, etc." Deinde aliud sequetur, quod περιφραστικῶς saccum significat אַמְתַּחַת a מָתַח hoc est, expandendo, ut cum albis apud nos sinum facit, appellamus nostra lingua ein Sack, item nubes aquosa aut vela navium, cum perflat ea ventus, speciem quandam sacci habent: sic saccus quando impletur, expanditur et ab illa extensione aut tumore sic dictus est, quia turget et sinuosus est.

Sed cur jubet eis restitui pecuniam? Non solum reverentia patris, quem vult hoc munere donare, sed etiam στοργῇ erga parentem et fratres motus, quos diligit ardentissime. Iste amor suavissimus et justissimus causa est hujus donationis, revera enim στοργή φυσική est, et tamen pergit, simulando duritiam et crudelitatem, quia vult eos in metu et terrore esse, ne putent donatam esse hanc pecuniam quadam benevolentia et misericordia, sed ut metuant suspicionem et actionem furti contra ipsos instituendam. Non quod serio haec agat Ioseph, sed simulat omnia, ut humilientur et mortificetur peccatum originis, quod corroboratum et auctum est per actuale, per fratricidium tectum jam et inveteratum viginti duobus annis. Fingit igitur se hac calumnia et dolo eos sibi perpetuo obnoxios facere, inque servitutem redigere velle, sicut ipsi eum in servitutem vendiderant, haec fuit causa simulationis, quae ipsos sane in magnum metum conjecit, ut timeant se non sine suo magno malo et periculo huc reverti posse.

Addit vero ad frumentum et pecuniam viaticum quoque et pabulum pro itinere, ut clausis saccis perveniant ad patrem Iacob. Hebraea vox צֵידָה hic ad-

[illegible] significat, ein Zugab, a צוד, hoc est venari, ut de Nimrod Genesis. 10, 8. 9 dicitur: „Fuit potens in terra, et robustus venator.“ Moses hoc loco utitur pro esca vel pabulo, sicut Psalm. 132, 15: Benedicens benedicam eis cibum, ubi Hieronymus vertit venationem. Vulgata translatio habet viduam, sed puto vitium id librariorum esse, qui pro ϑήραν scripserunt χήραν.

Mirabilis autem etymologia et significatio hujus vocabuli est, cum a צוד deducatur, et tamen cibum significet, sicut de שֶׁבֶר fractione aliquoties diximus, ac saepe dico Hebraeos non intelligere omnia vocabula suae linguae, quia contra naturam grammaticae est, si fractionem exponas pro cibo, alimento aut frumento.

Nos hanc rationem attulimus, quod Iudaei soliti sunt panem frangere, non scindere cultellis, atque ea melior etymologia est, quam Hebraeorum, quod famem frangat, habuerunt enim panes instar placentarum, wie Kuchen und Fladen, quas nos quoque frangere consuevimus. Sic panes propositionis fuerunt sex placentae, sechs Kuchen auf einander gelegt, haec Iudaei non cogitant et tamen satis commoda explicatio est.

Ita nesciunt quoque quare צֵידָה venatio cibum designet. Ea autem non bonorum tantum virorum, sed etiam latronum, imo bestiarum, luporum, leonum, vulpium est, et quamquam nihil ausim affirmare, tamen puto eam rationem nominis esse, quod venatio nullum alium finem habet, quam escam animantium, ideo enim venamur feras, ut suppetat cibus et alimen-

tum, idem etiam quaerunt vultures, milvii et quidquid ex rapto et praeda victitat.

Atque hinc iterum apparet Hebraeam linguam non prorsus exeultam esse, sed plurimas phrases, figuras, etymologias ab ipsis ignorari. Hic vero primus actus est hujus historiae, cum veniunt filii Iacob in Aegyptum emtum frumentum, fratre Ioseph nondum agnito; sequitur jam altera pars.

Imponentes igitur frumentum suum asinis suis recesserunt inde, et aperiens unus saccum suum, ut daret pabulum asino suo in diversorio, vidit pecuniam suam: fuit enim in ore sacci sui. Et dixit ad fratres suos: Reddita est pecunia mea, en est in sacco meo.

מָלוֹן Hebraeis est locus morae aut pernoctationis, hoc est, hospitium aut diversorium, disputant autem hoc loco, qui fuerit unus ille, qui aperuit saccum, sed nihil refert sive Levi, sive Iuda, sive alius quispiam id fecisse dicatur. Ac vel inde apparet magnam omnium rerum difficultatem et famem fuisse, cum asini commune pabulum habuerint cum hominibus, sine dubio non foenum aut paleas, sed frumentum, quo impleverunt saccos in Aegypto, in quos argentum repositum fuit.

מִסְפּוֹא diversum vocabulum est a בָּר quod supra habuimus, dicunt id designare pabulum non herbaceum, aut frumentitium, sed granatum, ut avenae, viciarum et similium.

Quaeritur etiam quare infra coram Ioseph dicant filii Iacob: Cum venissemus ad hospitium, aperuimus saccos nostros, cum hic unus tantum aperuisse dica-

tur, utrobique autem dicitur omnes esse exterritos. Lyra respondet in Scriptura sancta quaedam dici per anticipationem seu recapitulationem, qui canon necessarius est ac diligenter observandus in theologia, imo in omnibus historiis. Sumtus autem est ex Libro 2. de doctrina Christiana Augustini, qui narrat se eam una cum aliis a Ticonio quodam haeretico et Donatista accepisse. Sic enim ait: Dicuntur quaedam quasi sequantur in ordine temporis vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quae praetermissa fuerant, latenter narratio revocetur, ut Gen. 11, 32. scriptum est: Vixit Thare CCV annos et mortuus est in Haran; sequenti capite dicitur: LXXV annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran. Ibi numerus annorum Tharae magnam confusionem et errorem parit, si non recte attendatur ordo narrationis. Itaque magna vis est eo in loco hujus canonis; si quis enim juxta seriem narrationis migrationem Abrae accipiat, sicut videntur verba Stephani Act. 6, 4. sonare, sequetur Abram egressum fuisse post mortem Tharae, anno septuagesimo quinto, quod est impossibile.

Hic igitur ordo est: Moses cum vellet finire narrationem de Thare, sic dicit: „Thare vixit annos CCV et mortuus est," nihil vero eorum commemorat quae ante obitum ipsius gesta fuerant, postea igitur revertitur ad illa et recitat ea quae acciderunt illis ducentis et quinque annis, antequam moreretur Thare, nimirum Abram filium cum haberet LXXV annos egressum esse, patre adhuc superstite, alioqui intercidunt LX anni, quibus antevertisse Abram verum tempus migrationis necesse esset.

Ergo per recapitulationem sonant verba, quasi post obitum patris egressus sit, cum fere sexaginta

annis ante migraverit, Stephanus vero videtur sequutus narrationem vulgarem imperitorum, non disputasse accuratius de ordine rerum, sed verborum serie et vulgi opinione contentus fuisse.

Aliud exemplum habuimus Cap. 38, 1. ubi describitur descensio Iudae a fratribus, postquam venditionem Ioseph recitavit, cum hanc circiter novem annos antecessisset; narrat igitur Iudam descendisse per recapitulationem, redeundo ad illa quae contigerant ante venditionem Ioseph, id enim fuit consilium Mose, ut una serie et contextu absolveret historiam Ioseph, omissis aut dilatis iis, quae ante aut post gesta essent.

Ad eundem modum Isaac Cap. 33. scribitur mortuus cum venisset Iacob ex Mesopotamia in Hebron, et tamen adhuc superstes est, et videt stuprum Ruben, venditum Ioseph, ac vivit usque ad annum proxime praecedentem exaltationem Ioseph.

Haec itaque regula diligenter observanda est in omnibus historiis, alius enim ordo est sermonis, alius temporis vel rei gestae, et solent Historici, cum narrationem alicujus facti instituerunt, unam quandam et continuatam seriem orationis sequi, sicut hic Moses recitat fratres invenisse pecuniam in saccis cum redirent ex Aegypto et tamen unius tantum mentionem facit per anticipationem, donec postea plures numeret. Et verisimile omnino est, inventa pecunia in unius sacco reliquos consternatos fuisse et singulos suos saccos aperuisse et quaesivisse argentum.

Consentaneum quoque est, eos plures asinos habuisse quam decem, unus enim asinus praeter duos saccos non potuit portare, quod pondus non suffecisset vel in mensem in familia tam ampla et numerosa filiorum, filiarum, uxorum, famulorum, ancillarum et

jumentorum; credo igitur singulos tres aut quatuor asinos onerasse frumento, ne statim redeundum esset, fuit enim iter satis longum a Canaan ad Heliopolim aut Memphin, et puto fuisse intervallum circiter 50 milliarium Germanicorum, quod non potuit subito confici asinis lente progredientibus. Itaque tantum emerunt, quantum in plures menses satis esset ad pascendam familiam et jumenta. Hoc jam posito, non absurdum esset sentire quod divina dispositione singuli saccos suos aperuerint et tamen unus tantum invenerit argentum, reliqui vero omnes casu quodam unum tantum, aut plures explorarint, in quibus nihil fuerit praeter frumentum: non enim tantum otii eis fuit in progressu, ut universos saccos exquirerent accuratius.

Et inprimis hoc argumento moveor, quod hic quidem expavescunt, infra autem rursus dicet Moses ipsos cum parente metu perculsos esse, non enim denuo fuissent exterriti, si antea in diversorio omnes pecuniam sibi redditam vidissent.

Et egressum est cor illorum et obstupefacti dixerunt inter se: Cur hoc fecit nobis Deus?

Haec nova phrasis est, exivit cor eorum, quae proprie redditur germanico idiotismo, das Herz ist ihnen entfallen, elapsum est eis cor. Significat autem fiduciam, sapientiam et fortitudinem omnem excidisse, non solum enim viso argento in sacco, verum etiam conspectu peccati quod commiserunt, exhorruerunt. Hactenus enim conati sunt id tegere et occultare, ac stultam quandam fiduciam animo conceperunt, quod perpetua oblivione posset obrui, nisi quantum Ioseph eam spem ludendo paulatim in dubium vocavit.

Nondum tamen dolent, nondum agnoscunt delictum. Illud igitur cor, sive fiducia de peccato tradito oblivioni excutitur, quamquam nondum confitentur scelus, sed mussitando et silendo etiamnum se evasuros putant, non tamen sine metu et sollicitudine, ideo inquit Moses: Turbati sunt et obstupefacti inter se, hat einer den andern angesehen, und gedacht: Das geht nit recht zu. Sed imputant hoc Deo judici, quid hoc, inquiunt, fecit Deus? Idque ortum est ex terrore et angustiis conscientiae, quae solent sequi peccatum ingenti dolore et cruciatu animi; so ein mala bestia, ein böser Teufel ist umb die conscientia, omnes enim auctores et sacri et profani horribiliter pinxerunt hoc monstrum, ut apparet in Oreste et aliis flagitiosis, ac poëtae tragicas illas personas Erynnium sive furiarum finxerunt, sagen all von dem Unglück und Herzenleid, das da heyſst: Mens sibi male conscia. Sacrae literae breviter dicunt: „Non est pax impiis," nihil est implacabilius et inquietum magis, quam cor pavidum, et ad quodvis fulmen, quin etiam folii strepitum pallescens.

Sic in filiis Iacob conscientia mala, propterea horribiliter trepidant et metuunt vindictam divinam, forchten er werde mit Donner und Blitz darein schlagen, et tamen non confitentur peccatum. Mira vero res est, sentit conscientia judicium et iram Dei et pudet tamen poenitere, aut fateri delictum, etiamsi in perpetua damnatione et cruciatibus haerendum sit, idque fit vitio originalis mali, sicut apparet in Adam, qui cum esset convictus et fugeret Deum propter conscientiam lapsus, tamen mutum erat in eo peccatum originis, nec patiebatur sibi aures aperiri, tametsi vox Dei sonaret in auribus ejus: Adam ubi es?

Erasmus alicubi scribit de virgine Lacena, quae cum ex stupro concepisset, maluit infantem editum in lucem interficere, quam peccatum fateri, quod factum ipse fortitudinem interpretatur, cum potius infirmitas sit, qua periculum mortis et damnationis incurrere maluit, quam confiteri. Tantus est stupor sive furor et vesania originalis mali, quod non vult dehonestari nec turpitudinem suam conspici, ac prorsus contra naturam peccati est, fateri se peccasse.

Sic ferunt S. Martinum Diabolo respondisse, cum illuderet ei, ac repraehenderet facilitatem illam in remittendis peccatis pessimorum et sceleratissimorum hominum: Si tu quoque posses dicere poenitet me peccati, etiam te absolvere vellem, esset enim salvus Diabolus, sicut nos omnes, si posset sincero corde dicere: Miserere mei Deus.

Absolutio et remissio peccatorum certa est, tantum agnoscas et fatearis te peccasse, aber da kumpt der Teufel nit hin. Adam et Heva hoc non potuerunt, sic enim inquit Adam: Vocem tuam audivi in paradiso et timui, eo quod nudus essem. Non ait: Quia transgressus sum tuum praeceptum, donec Deus ipse urgeat eum et quaerat amplius: Quis tibi indicavit quod nudus esses? nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti. Noch will er nicht stinken, neque tamen objectum crimen agnoscit aut fatetur, sed transfert in uxorem: Mulier inquit, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi; etiam territus, pavens, tremens, sentiens se peccasse, tamen non fatetur peccatum.

Simile exemplum est Saulis quoque, qui ait: Peccavi coram Deo, sed honora me coram principibus Israel, tege peccatum, hilf zudecken. Hoc nihil va-

Discamus igitur uti malis et peccatis in bonum nostrum et experiemur quam misericors et suavis sit Dominus. Si lapsus es et potes ex animo dicere: Peccavi, tum ipse etiam potest dicere: Remisi; econtra vero, si tu defenderis et celaveris peccatum, dicet se id non posse remittere, ideo melius est imitari et sequi verba Davidis: Tibi soli peccavi, ut justificeris etc. Nam id coram mundo etiam laudabile est et facillime veniam meretur, quia hoc exigit Deus a nobis: Tribue tu mihi justitiam, ut justificer et vincam in sermonibus meis, tum tibi ignoscam, sin minus, tamen vincam et tu peribis. Nos meriti sumus iram et mortem ac damnationem aeternam, sed Deus est misericors, longanimis et facillimus ad ignoscendum, si modo nostram immunditiem et indignitatem agnoscére et confiteri possemus, wenn wir mit kunnten das Maul aufthun.

Ac sane magna miseria est, quod peccato originali excussum est cor, atque omnis fiducia dignitatis et meriti ademta, pallescit enim et trepidat ad quodlibet fulmen et tamen superbit, nec vult humiliari coram Deo. Age igitur gratias Deo, quando hanc lucem habes, quod velit Deus remittere peccata agnoscentibus ea, neque enim exigit vindictam aut satisfactionem ullam, post seriam confessionem, nisi quantum opus est pro exemplo et emendatione, sicut testatur Psalm. 32, 3. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti impietatem peccati mei.

Sed hanc confessionem defugiunt filii Iacob, mors Ioseph est in corde eorum, et excutit eis omnem fiduciam, ac quidquid adversi accidit, hoc sentiunt a Deo irato et vindice oriri, quia lex intus in corde est,

quae terret et est lex Dei, ideo omnis consternatio et pavor conscientiae fit cooperante Deo. Non igitur potes excutere legem, sed ipsa excutit tibi cor, quia est Dei judicium aeternum et immutabile, cujus accusationem et impetum haud facile sustinebis; sicut Iudas et alii eo perculsi perierunt, cum non possent vincere horribiles cruciatus animi, et furiam illam conscientiae, agitantem et insectantem per legem Dei, quae et omnipotens, ut auctor ipse, qui eam tulit et indidit mentibus hominum. Neque unquam liberaberis terroribus illis, nisi per remedium divinitus monstratum Psalm. 32, 5 cum inquit Deus: Confitere injustitiam tuam contra te et ego remittam tibi. Dic tu prior: Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis et delebo ego omnem iniquitatem tuam.

Haec est salus et pax omnium Sanctorum ab initio mundi Adae, Abrahae, Davidis, in quibus omnibus fuit peccatum originis terrens et damnans, sed hoc remedio, quod est agnitio peccati, salvati sunt et liberati a terroribus legis.

Ad hunc modum incipiunt hi fratres sentire stimulos conscientiae et iram Dei punientis, ideo inquiunt: Quid hoc fecit nobis Deus? was hat Gott im Sinn? Est vox excussi cordis et ademtae fiduciae ac securitatis prostratae, cujusmodi solent esse voces territorum ac dolentium de admisso scelere, ah Gott was hab ich gethan. Sic vident illi hoc non a Ioseph ortum esse, cui norant persolutam esse pecuniam omnem, neque quidquam a se furto ablatum, ideo cogitant a Deo aliquem subornatum esse, sive hominem sive spiritum, qui reos ipsos faceret furti apud principem Aegypti. Quid agimus? cogitant, jam aderunt missi ab eo, qui nos insequantur et in vincula retra-

hant. Ita nec Aegyptum, nec terram Canaan ubi degebant, satis tutam fore vident.

Et auget hanc trepidationem, non tam periculum propter peccati suspicionem, quam imaginatio et cogitatio de priore delicto et aliis; quae metu exanimati aut fingebant, aut perpetrata olim in memoriam reducebant. Nam hoc diligenter observandum est, quod mala et rea conscientia quando judicatur et arguitur, non solum de veris peccatis, quae novit se admisisse cruciatus et morsus Diaboli sentit, verum etiam ex uno aliquo peccato fingit infinita alia, colligit item innumerabiles suspiciones, quibus augetur terror et tamen mera figmenta sunt.

Fit autem hoc ideo, quia Scriptura dicit Levitici 26, 36. Terrebit eos sonitus folii volantis, ein dürr Blatt soll conscientiam malam so erschrecken, daſs es mein es sei eitel Donner und Blitz. Haec profecto ingens miseria est, ad levissimum quemque folii strepitum non secus atque ad fulminis ictum pavere et exhorrescere. Ego sane cum hoc monstro saepe non sine acri certamine conflictatus sum. Et in Deuteronomio 28, 65 sqq. additur amplius: Dabit tibi Dominus cor pavidum et deficientes oculos et animam consumtam moerore et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die et non credes vitae tuae. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis. In hunc modum describit Spiritus sanctus horribiles illos cruciatus et Erynnias malae conscientiae, qua fit ut tota vita nostra pendula, dubia et incerta sit, quolibet momento temporis plena angustiis et pavoribus, exhorrens vesperum et mane, singulas denique horas.

Ita hi fratres Ioseph non solum anguntur de peccato cujus sibi erant conscii, quamquam sedulo id tegerent et dissimularent, verum etiam omnia dicta et facta sua verentur et in singulis actionibus aut cogitationibus fingunt novam culpam, et tamen in tanta perturbatione et confusione adhuc muti sunt nec confitentur peccatum.

Sic Adam in paradiso cum paene exanimatus esset metu vocis et irae divinae, tamen non aperit os, nec potest dicere: Peccavi. Eadem vero stultitia et perversitas comitatur peccatum in omnibus filiis Adae, qualis initio statim in primo parente deprehensa est, donec spiritualis usus accedit per Christi vocem. Interea manet vinculum linguae, quo obturavit Diabolus os, ut licet terreatur, tamen non quaerat remedium, Diabolus enim non sinit peccatorem ex animo diceret: Domine Deus tibi peccavi, ignosce mihi, poenitet me peccati.

Diligenter igitur observanda est haec descriptio peccati terrentis hosce fratres, ita ut exclament: Quid hoc facit Deus? quasi vero nesciant illi quare Deus hoc fecerit. Scit cor vestrum occidisse vos patrem, fratrem, matres, Rahel enim si fuisset superstes, sine ulla dubitatione moerore animi fuisset exstincta, pater vero mirabiliter a Deo servatus est, ne et ipse dolore et luctu conficeretur, haec scilicet nescitis. At pudet nos confiteri et admissum scelus patri manifestare; nam haec perversa verecundia obstitit ipsis. Ferte ergo hanc crucem, ut gematis et clametis: Quid hoc fecit nobis Deus? an enim censetis hoc vobis impune fore, aut Deum excusaturum aut laudaturum peccatum vestrum? Nunquam faciet, quaeritis quare Deus hoc faciat? At cur non potius dicitis: Quare nos fecimus

hoc Deo, aut quare vos non fatemini peccatum? Iam quia non libet vobis hanc confessionem edere, timete sane, trepidate, exhorrescite singulis momentis ad sonitum cujuslibet folii aridi et mane quaerite: quis mihi det vesperam et vespere, quis mihi det mane etc.

Ad hunc modum exemplum sanctorum patrum docet nos quam horribilis res sit mala conscientia, estque admodum insignis locus et dignus luculenta tractatione, cui ego sane par esse non possum. Cum autem non fateantur se peccasse, nec veniam petant a Deo aut a patre aut a Ioseph, nondum cessat vexatio et tentatio, donec extorqueatur eis agnitio et confessio peccati, Ioseph mufs noch besser auf den Sack dreschen.

Venerunt itaque ad Iacob patrem suum in terram Canaan et indicaverunt ei omnia quae illis acciderant, dicentes: Vir ille dominus terrae acerbe loquutus est nobiscum, tractavitque nos, ac si fuissemus exploratores terrae; cui respondimus: Probi sumus, non exploratores, sumus enim duodecim fratres filii patris nostri, unus autem non exstat, minor natu etiamnum hodie est apud patrem nostrum in terra Canaan. Rursus dixit ad nos vir ille Dominus terrae: In hoc experiar probine sitis: relinquite apud me unum aliquem ex fratribus vestris et annonam tollite pro domibus vestris et abite adduciteque fratrem vestrum natu minorem ad me, ut sciam vos non speculatores, sed probos esse, tum da-

bo vobis fratrem vestrum et in hac terra negotiabimini.

Haec quoque ad descriptionem superiorem pertinent, qua diximus Mosen bellissime pingere naturam peccati et mali illius originalis, quod non vult esse peccatum. Ac apud Papistas sane praevaluit in hoc Diabolus, quod vitium originis prorsus exstinctum est, neque amplius pro re damnata habetur. Ignorantia autem peccati necessario secum trahit ignorantiam Dei, Christi et Spiritus sancti et omnium rerum, nemo enim putet se fore theologum vel lectorem vel auditorem Scripturae sanctae, qui malum illud originale extenuat, aut non recte intelligit, imo nemo hominum vim ejus satis cogitare aut assequi potest; non enim rem leviculam esse putabimus, propter quam misit Deus filium suum, ut fieret victima ad redimendos nos.

Papistae docent in baptismo sublatum esse peccatum originis et manere tantum fomitem et infirmitatem carnis, sive pronitatem quandam ad peccandum, proinde neque quid gratia sive remissio peccati, neque quid Spiritus sanctus et Deus sit intelligunt. Hoc autem capite memorabilis descriptio est horribilis istius mali seu peccati, quod est profundum venenum in anima et corpore, ita ut etiam velit pro justitia haberi, sicut significat David, cum ait: Ut justificeris in sermonibus tuis.

Quare enim sic loquitur? an non Deus mundus est et justus? Recte sane, sed apud nos non est talis; nos potius justi sumus, Deus vero injustus est, adeo scilicet ornat se peccatum, et tegit impuritatem suam, ut apparet in hisce fratribus, qui non volunt culpari aut damnari, quamquam dicunt: merito ista patimur? et quid hoc facit nobis Deus etc. tamen te-

gunt et dissimulant scelus suum, et hic coram parente neutiquam peccasse videri volunt.

Atqui Deus non potest esse mundus aut justus, nisi nos injusti et immundi simus, hoc est, Deus non cognoscitur esse justus, nisi agnoscamus nostram immunditiem. Non quod nunc demum me injustum fieri oporteat, nam antea immundus sum, sed haec est quaestio, an etiam in spiritu velim fieri immundus, hoc est, agnoscere et fateri peccatum.

Sicut enim initio malum illud originis tegi et ornari voluit, ita sequuntur etiam actualia peccata, veluti proles suam matrem et patrem, ac mordicus hoc retinent, quod dici solet: Si fecisti nega. Qui enim negat aut dissimulat peccatum coram hominibus, is jam justificatus est, sed est revera Diabolus transfigurans se in angelum lucis, es will alles rein sein, und was Gott thut das soll unrein sein. Ad extremum vero stabiliri hanc sententiam tamen oportet: Domine Deus tu es justus, tu es mundus, ego sum injustus, sum immundus, atque illud cum Davide sonandum est: Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis.

Sed hic locus egregie tractatus est a Paulo Rom. 3. atque inde apparet quam absurda et horribilis haec doctrina sit in auribus hominum carnalium; sic enim dicebant quidam, Apostolos docere, peccandum esse et facienda esse mala, ut veniant bona: si nostra injustitia commendat justitiam Dei, so will ich getrost drauf sündigen, verum haec non est philosophica doctrina, sed spiritualis et divina. Tunc enim fies injustus, quando senties, agnosces et confiteberis te vere peccatorem esse et dices, peccavi, ignosce.

Hanc metaphysicam, seu potius ὑπερμεταφυσικὴν requirimus, nam hos fratres vide, quanto dolore

et luctu affecerint patrem suum, et tamen non possunt adduci, ut conjunctim fateantur scelus suum, non hortantur se invicem, ut adeant patrem, ostendant se esse fratricidas, qua confessione et Deus et pater ipsis fuisset placatus.

Necesse igitur est, ut sciens et volens dicas: Ego sum peccator et injustus. Quare? ut justificeris in sermonibus tuis. Tantum oculos in terram dejicito, et dicas: Miserere mei Deus, quoniam in peccatis natus sum et tota natura mea corrupta est, plena caecitate, concupiscentia et ignorantia sui et peccati.

Ac si vultis feliciter versari in theologia, ac sacrarum literarum studiis, neque impingere in Scripturam clausam, seu obsignatam, ante omnia discatis peccatum recte intelligere, ac epistola ad Romanos sit vobis janua et clavis ad Scripturam sanctam, alioqui ad ejus intellectum et cognitionem nunquam penetrabitis. Tum vero intelligetis quantum malum sit peccatum, propter quod Deus misit filium suum, ut purgaretur sanguine filii Dei et ineffabili illa victima, ideo enim et malum ipsum inenarrabile esse necesse est.

Sicut autem fratres hi obstinati scelus suum tegere pergunt, ita horribilis illa plaga et miseria per totum mundum grassatur, quod peccatum non vult nudari et hoc esse quod est, vult enim purum et mundum esse contra suam naturam, es will schön sein.

Idem videmus usu venire in oeconomia et politia, quidquid enim delinquitur, hoc in neminem rejicitur, quia nemo facile patitur argui et reprehendi malefacta sua, sind alle fromm, es will niemands Unrecht gethan haben; ita etiam in actualibus peccatis conspicitur vitiata et corrupta natura. Quis igitur peccavit? quis

luet? Solus filius Dei est peccator, nemo alius, solus ipse fert peccatum et dicit: Miserere mei, quia peccavi tibi, item: Multiplicatae sunt iniquitates meae, super capillos capitis mei. Ille serio agnoscit et confitetur peccatum (non de sua persona quae sancta et justa est, sed tanquam patronus aut advocatus coram judice) et satisfacit pro nobis.

Ideo diligenter discite locum de peccato originali neque disputetis quare Deus id permiserit, quod solent inquirere ingenia curiosa, sed potius quomodo eripiamur et liberemur ab hoc malo et sciamus Deum nobiscum loqui, ut excitet nos ad agnoscendum illud, quo agnito dicit: Remissa sunt tibi peccata, confide fili, quia dedi filium meum, agnum immaculatum ab initio; si agnoveris et confessus fueris iniquitatem et delicta tua, tum erit filius meus propitiatio pro peccatis tuis, erit sanctificatio, redemtio, justitia, sapientia. 1. Cor. 1, 30.

Ibi tum aperta est Scriptura sancta et videbis eam nihil aliud docere, quam quod proponit Deus filium suum crucifixum, resuscitatum, et pro peccatis nostris traditum, neque tamen ingredietur id cor tuum, nec assequeris quid sit Christus, nisi Scriptura monitrice intelligas quid sis coram Deo. Id vero disces ex Capit. 3. Genesis, ubi docetur poenam mortis inflictam esse universo generi humano propter peccatum originis, cujus quanta sit malitia et perversitas, monstrant fructus. Quanta enim rebellio et contumacia est in prima aetate? Qui furores et flammae libidinum, odiorum, avaritiae, invidiae in adolescentia et tota vita? Nascimur quidem sine peccatis actualibus, sed postea successu temporis erumpit infinita multitudo vitiorum. Unde haec tam tetra monstra?

Philosophi, Socrates et Cicero ignorant, Scriptura autem dicit, nos nasci filios irae et obnoxios originali corruptioni ac quanto saniores, doctiores, prudentiores sumus, tanto plus est superbiae et aliorum peccatorum, quia natura est vitiata; sed objiciunt Papistae, esse sanatam per baptismum et peccata remissa. Recte sane, sed nondum sunt ablata, ut inquit Augustinus, hoc quia ignorant illi, nunquam ad veram lucem Scripturae, regni Christi et universae theologiae penetrant.

Vulnera quidem semivivi sunt ligata, ut habet parabola Lucae 10, 34. infusum est vinum et oleum, donum Spiritus sancti coepit et tamen vulnera adhuc sunt letalia; susceptus est in curam ut sanetur, nondum vero prorsus restitutus est. Quod si velis dicere, non esse vulnus, non esse periculum, experire an semivivus possit ingredi, laborare et facere officium hominis sani; ipse portatur a jumento cui est impositus, non laborat, non ambulat, sic per baptismum sumus suscepti in jumentum Dei, hoc est pretiosissimum sacrificium pro nobis sive humanitatem Christi, qua portamur et semel quidem recepti, de die vero in diem, curamur et sanamur.

Sed redeamus ad exemplum horum patrum, es seind rechte verzweifelte Buben, occiderunt fratrem cum parentibus, quantum in ipsis fuit et perstant tamen in impoenitentia, adeo ut etiam convicti et confusi nolint agnoscere se peccasse; si confessi essent se vendidisse Ioseph, longe clementius accepti essent, sed peccatum adhuc sanctum, justum et superbum est et nemo est qui deliquerit. Ideo mirifice se ornant et narrationem illam, quomodo in Aegypto sint tractati, elevant, atque ea de re haud dubie in itinere ce-

perunt consilium, quomodo narrarent patri quam fieri posset lenissime, omissa mentione carceris, ne haberet occasionem accuratius causam illius crudelitatis in hospites inquirendi, neque tamen prorsus dissimulare possunt Simeonis absentiam, cum vellent sibi adjungi comitem Benjamin.

Sic igitur recitant quae acciderant (loquutus est nobiscum dure vir ille domini terrae): incidimus in gravem et difficilem tentationem, nos sancti et innocentes, experti sumus miram acerbitatem et duritiam. Quare? Non equidem nostra culpa, sed forte tu pater hanc crucem aliquo tuo delicto meritus es; (et dedit nos, hoc est, habuit, reputavit sicut exploratores terrae) ipsi fuerunt triduo traditi custodiae in carcere et tamen nolunt carceris meminisse, alioqui interrogasset pater quamobrem in vincula conjecti fuissent, ideo singulari consilio mollissime singula commemorant, ne pater inusitato facto offensus, causam ejus inquirat. Sic peccatum perpetuo sui simile est, vult esse mundum, castum, formosum, sanctum, econtra vero Deum accusat et damnat iniquitatis et injustitiae.

Sed commodius hoc interpretemur, nimirum ideo eos dissimulasse mentionem carceris, ne patrem conturbarent. Ibi vero haerent incerti quomodo ei hoc insinuent, quod cupiunt, auferre secum Benjamin, itaque ut aditum sibi faciant ad eam petitionem, persuadere hoc ipsi summo studio conantur immeritis et innocentibus sibi haec accidisse, ne alicubi impingat peccatum originale.

Sed cur vocat Moses Ioseph אֲדֹנֵי Dominos terrae plurali numero? Talibus enim locis eludunt Iudaei pluralitatem personarum in Divinitate, quam inde colligere et probare solemus, quod Deus saepe numero

plurali appellatur אֱלוֹהִים quem morem soli principes Germaniae et Papa imitantur. Sciamus igitur Hebraeam linguam plurale nomen jungere solere verbo singulari, ut Graeci neutris pluralibus saepe subjiciunt verbum est. Ita hoc in loco Dominus vel Domini terrae loquutus est; supra eandem phrasim habuimus, ubi adultera deponit vestem, usque ad adventum dominorum sui, cum de uno Potiphare domino Ioseph loquatur Moses. Ibi singulare pronomen jungitur cum nomine plurali, non est satis concinna loquutio, sed habet suum modum Hebraea lingua, cujus non potest reddi ratio, ut et in aliis linguis non omnium phrasium causae ostendi possunt; satis est nos scire hunc esse morem istius linguae, sicut Germani articulum neutrius generis addunt foeminino substantivo sine ulla ratione, das ist die Iungfrau, das ist die Stadt. Tales enim sunt idiotismi et proprietates hujus linguae.

Pergunt vero commemorare responsionem suam, quomodo excusarint se viro illi, quod essent boni et integri, quod nihil mali molirentur, atque omnia illa pertinent ad ornandos se, ne suspicetur pater ipsos aliquo scelere sibi hanc poenam carceris aut acerbitatis qua accepti sunt accersivisse, ejusque inquisitionem instituat. Dicunt igitur haec sine sua culpa evenisse, ac suam innocentiam palam testatos esse apud principem terrae, tantum vero ea commemorant, quae valent ad extenuationem peccati, quin etiam ad sanctitatis et justitiae opinionem sibi conciliandam.

Quia autem aberat Simeon vinctus a Ioseph, brevissime narrant quare relictus sit in Aegypto; cum haberet nos (inquiunt) pro exploratoribus, nec acquiesceret excusationi nostrae, jussit unum ex fratribus apud se manere, donec adduceremus fratrem mi-

norem natu. Sed haec omittunt, quod triduo fuerint inclusi carceri, item quod juravit princeps terrae per salutem Pharaonis se ipsos non dimissuros, neque hoc addunt, Simeonem jussu principis vinctum esse et traditum custodiae, haec enim essent duriora et plena periculo, ideo non exprimunt, sed tegunt et mitigant quantum possunt.

Vides igitur quanta sit calliditas peccati originalis, quam artificiose ornet deformitatem suam, ac tales sane rhetores sunt omnes homines in extenuandis et purgandis delictis suis, inde adeo tot testibus, judicibus ac toto strepitu juris opus est in foro et politia, quibus convincantur homines et adigantur ad confessionem scelerum suorum, et nihil aliud significant, quam indomitam cervicem peccati. Nisi enim tegeretur et ornaretur, nihil opus esset judiciis, legibus, lictoribus, suppliciis, sed quia peccatum sanctum et justum est, retegenda est illa gloria et innocentia per gladium, crucem, ignem etc.

Ad hunc modum filii Iacob admodum molli verbo utuntur, ac si animo amico et benigno petivisset princeps relinqui apud se unum ex fratribus, qui satis tranquille et quiete ibi degeret, sine omni metu et periculo, quia sunt hypocritae et justiciarii, qui aegre ferunt justitiam et sanctitatem peccati confundi. Iustitia et veritas Dei ibi nullum locum habent, solum peccatum est justum et sanctum; non dicunt Simeonem captum et incarceratum esse, sed humanissime tractari a principe terrae, qui eum tanquam obsidem detinuerit, ne quid mali machinarentur adversus Aegyptios, facillime vero eum dimissum iri, si adduceretur Benjamin.

Porro hoc in loco Moses crucem fixit Grammati-

cis in vocabulo רַעֲבוֹן, quare frumentum ita appellet, cum alias famem significet et in Hebraeo sic sonat: Accipite famem, non alimentum, domorum vestrarum, quae est ista grammatica, quod famem vocat frumentum? Valde sudant Hebraei et praecipue Rabbini, et hinc quoque apparet eos et rerum et grammaticae cognitione privatos esse, neque quisquam potest restituere Hebraeam grammaticam, nisi Christiani, qui tenent rem Scripturae sanctae, hoc est, Christum filium Dei, quo cognito, reliqua omnia fiunt plana et perspicua. Facilis autem explicatio est, si phrasium et figurarum vim observemus, non enim alia ulla lingua plus figurarum habet, quam Hebraea: usitata autem figura est non solum Hebraeis, sed etiam Latinis, et Germanis antiphrasis, ut cum bonum virum vocamus insignem aliquem nebulonem, praecipue vero in oeconomia ejus usus est erga famulos, aut liberos: Lieber Juncker, liebes Frummichen etc. ubi per ironiam aliquid jubemus aut concedimus et contrarium significamus etc., et quid aliud est ironia, aut sarcasmus, quam antiphrasis? Nisi quod haec in verbo, illa vero in oratione est.

Sicut autem supra fractionem panis figurate dixit Moses, eo quod non esset apud ipsos usus cultrorum, sed panis frangeretur, quo vesci vellent, ita hic inquit: Afferte רַעֲבוֹן, hoc est famem per antiphrasin pro saturitate, aut copia contra famem, sicut medici solent vocare pillulas pestilentiales, non quod inferant, sed quod tollant pestem.

Sic חֶסֶד pulcherrimum vocabulum est ut Math. 9, 13. Hoseae. 6, 6: „Misericordiam volo et non sacrificium.“ Item Psalm. 4, 4. „Dominus mirificat חָסִיד sanctum.“ Item Jesajae 40, 6. „Omnis caro foenum et

omnis misericordia sive beneficentia velut flos." Ibi proprie sonat gloriam, bonitatem, sapientiam et quidquid in carne boni est; eadem vero vox usurpatur a Mose in Levitico pro nefario scelere, aut incestu, ein Laster, ein Blutschand, et tamen proprie misericordiam, beneficium vel bonum opus significat, ut 1. Timoth. 6, 2. Quia beneficii participes sunt, hoc est, gratiae seu beneficentiae divinae. Cum igitur, inquit Moses ultimo supplicio dignos esse, qui designarunt חֶסֶד non bonum opus, sed grande flagitium et morte expiandum intelligit.

Sic Christus vocatur delictum, cum sit hostia pro delicto[1], qua expiatur peccatum, quia hic est usus hujus linguae, quem penes arbitrium est et vis et norma loquendi, nec potest reddi ratio talium figurarum, quas usus introducit, sed regulae coguntur ei caedere et quaerendae sunt figurae grammaticae, quibus explicentur et excusentur. Et haec libertas sive licentia in phrasibus alienis a communi consuetudine loquendi concedenda est omnibus linguis; eodem modo ex hac cruce nos expediemus.

Quod autem sequitur: terram circumibitis negotiando, etiam singularem vim habet, nam verbum סָחַר proprie est circumire, mercari, negotiari et supra eo usus est Moses 23, 16 de Abrahamo emente agrum sepulturae et expendente quadringentos siclos argenti, publicae et probatae monetae, quod est in Hebraeo, argenti transeuntis per mercatores, das geng und gäb ist. Inde enim nomen habent apud Hebraeos, quod solent hinc inde vagari et discurrere, de loco in locum circumvolitantes instar muscarum. Dicit ergo Ioseph se daturum eis potestatem peragrandi totam terram et negotiandi, modo adducant fratrem

minorem natu, nam ad Benjamin omnia spectant, ut perducatur in Aegyptum.

Cumque saccos suos effunderent, quisque reperit fasciculum pecuniae suae in sacco suo, et videntes fasciculos pecuniarum suarum, tam ipsi, quam pater illorum extimuerunt.

ריק evacuare, unde Racha Math. 5, 22 pro vano, vacuo aut nihili homine. Hic omnes saccos aperiunt, supra enim diximus plures eos habuisse, sed non omnes aperuisse in diversorio, jam vero singuli suos saccos effundunt, et reponitur frumentum in penum communem sub potestatem patris, qui inde promat ad quotidianos usus.

Cumque invenirent pecuniam in saccis, suspicati sunt haec a Joseph subornata esse, aut alicunde per Angelum aut Diabolum divina ordinatione redditam pecuniam, itaque vehementer perturbantur et anguntur de suspicione furti. Adhuc tamen celant patrem venditionem Ioseph, neque aliud ipse persuasum habet, quam Ioseph esse mortuum et vicissim Ioseph de incolumitate patris et Benjamin dubitat, atque ea est causa cur non desinat exercere ipsos variis terroribus et angoribus, hoc consilio, ut adducat eos ad poenitentiam et confessionem.

Simul autem grandaevus parens in metu est, der mufs auch mit tragen; sic enim fieri oportet, ut cum impii plectuntur, pii quoque aliquam partem aerumnarum ferant. Omnes igitur metu perculsi sunt, tam ipsi, quam pater, quia Simeon erat in vinculis, quem sperabant se sine omni negotio liberaturum, adducto Benjamin, sed jam apertis saccis haerent attoniti, ac

metuunt sibi structas esse insidias et si redirent ad principem terrae propter furtum omnibus ultimum supplicium exspectandum fore. Haec omnia pertinent ad humiliationem ipsorum, non enim vult eis nocere Ioseph, sed potius benefacere, ornare et humiliatos evehere ad summam dignitatem.

Dixitque ad eos Iacob pater illorum: Orbastis me, Ioseph non exstat, nec Simeon adest et Benjamin quoque tollitis, contra me sunt haec omnia.

Audivimus antea filios Iacob argute rhetoricari et sibi prorsus persuadere ea ratione se elabi et patri imponere posse, nam praeter meritum se acerbius tractatos a principe dixerunt, et fratrem retentum esse, non in vinculis, sed obsidis loco sine ullo periculo, de carcere vero tacuerunt, ne conturbarent patrem, neve daretur ei occasio diligentius singula explorandi.

Sed apparet dicta filiorum parum ponderis et fidei apud ipsum habuisse, ait enim: Orbatis me filiis meis, ihr bringt mich um alle meine Kinder, neque hyperbolica querela est, sed ex paterno affectu et sollicitudine loquitur per indicativum potentialem, quasi dicat: Iam scilicet Benjamin vultis abducere, dicitis Simeonem illic retentum esse bono consilio principis, Ioseph cum missus esset ad vos in agrum, nuntiastis eum a bestia laniatum esse; quid aliud mihi in mentem venire queat, quam vos nebulones hoc agere, ut iis, quos habui carissimos, orbetis? Ioseph ex primaria conjuge Rahele periit, nunc fratrem ejus uterinum conamini eripere, ut nihil reliquum maneat Raheli, sed tota ejus posteritas intereat, fresset nur einen nach dem andern.

Hae sunt paternae cogitationes et suspiciones, quae me quoque sollicitum redderent, atque ita exercet Deus Patriarcham Iacob, per filios suos, ut nihil ausit eis credere, sed suspicari cogatur composito geri omnia, ut orbetur carissimis liberis.

Hieronymus hujus loci historicum sensum prorsus obscuravit et corrupit versione liberiore: Simeon tenetur in vinculis et Benjamin auferetis. Non enim sic habet Hebraeus textus et reliqui fratres studio dissimularunt vincula Simeonis, ne augerent dolorem patris, ideo Iacob nihil scit de carcere, alioqui non dimisisset Benjamin, quin etiam jam constituit Simeonem potius in Aegypto relinquere, quam concedere ut Benjamin descendat cum fratribus, si dixissent nos triduo fuimus traditi custodiae carceris, et Simeon etiamnum tenetur in vinculis, nec poterit liberari, nisi misso Benjamin, nihil unquam a parente impetrassent; itaque dicunt bono consilio factum esse, ut Simeon relinqueretur in Aegypto, tanquam pignus, ut liceat redire et probare principi, se non esse exploratores.

Hac rhetorica putant se persuasuros parenti ut mittet filium Benjamin, sed occurrit eis Iacob brevi dialectica. Iam toties ictus, inquit, sapiam, nec temere vobis fidem habebo: Simeon et Ioseph non exstant, sentit utrumque periisse, nec patitur sibi persuaderi relictum Simeonem obsidis loco, sed ait, quotiescunque vos mitto vel in agrum vel in loca ignota, reditis uno amisso, vel occiso a vobis, ihr Buben ihr wert selbs aneinander erwürgen.

Ita satis duriter exercetur optimus senex a filiis suis, nec sine ingenti dolore animi hanc querelam effundit de absentia duorum filiorum. Quod si Benjamin descenderit in Aegyptum, inquit, etiam ipsi per-

eundum erit vestro scelere, est sane horribile exemplum impietatis erga patrem. Cumque hosce tam sceleratos nebulones salvarit Deus, etiam nos salvabit. Tandem tamen satis tristes poenas improbitatis dederunt, sed Ruben continuat coeptam rhetoricam.

Respondit Ruben patri suo: Si hunc tibi non reduxero, interfice duos filios meos: trade illum in manum meam, et ego tibi eum restituam.

Ruben vult inire gratiam, tanquam primogenitus et offert patri obsides duos filios, sed admodum inepte et imprudenter; quid enim est stultius, quam oppignerare avo suos nepotes, in quos ipse animadvertat, ubi tu fidem datam non servaveris? aut unde scis te rediturum? Quid si una cum Simeone et Benjamin in carcerem mittaris? Ita amisit omnem intellectum, et sensum communem, nam longe aliam oppignerationem et sponsionem esse oportet; contemnit igitur Iacob ipsum cum duobus filiis, quia Benjamin plus diligit quam Ruben cum tota sua sobole, imo solus restat ipse de Rahele, in quo spes omnis primogeniturae patri sita erat, ideo mavult servare Benjamin, quam Ruben et Simeonem et hunc quidem pro perdito eum habuisse apparet.

Et ait: Filius meus non descendet vobiscum, nam frater ejus est mortuus et ipse solus reliquus est: si illi accideret pernicies in itinere quo proficiscemini, deducetis canos meos cum dolore in foveam.

Obfirmavit Iacob animum, non dimissurus filium:

eant, inquit, qui velent ex vobis, hunc ego non patiar a me avelli; reliquos filios negligit, ac sorti et fortunae committit, tacet etiam de redemtione Simeonis, utcunque illi bene de eo sperare parentem jusserint, non enim habet eis fidem, sed arbitratur eum e medio sublatum esse.

Omnis vero cura in uno Benjamin est, huic uni ceteros postponit et habet ejus rei gravissimam et necessariam rationem, quod filius Rahelis erat, eique dignitas primogeniturae debebatur. De aliis omnibus nihil boni suspicatur. Video, inquit, infausta et infelicia esse consilia et studia vestra, ideo non temere in has angustias et discrimen conjiciam Benjamin, vos vero non impediam quo minus una omnes aut aliqui ex vobis eant.

Hic metus et suspiciones Iacob humanae et naturales fuerunt; qui enim haerent in tentatione, pessima et tristissima quaeque animo colligunt, sicut nihil boni de Deo cogitant afflicti et calamitosi, tantum enim ea in mentem veniunt, quae faciunt ad calamitatem aggravandam, quin etiam singulae circumstantiae et singula accidentia infausta et periculosissima videntur.

Idque est opus Diaboli, quod inprimis exercet in conscientia rea coram Deo, quam morsibus et telis suis ignitis horribiliter impetit, sicut econtra rebus laetis et ad voluntatem nostram fluentibus, nemo cogitat quam sit propinqua mors, Diabolus et pericula omnis generis, ut sapienter senex apud comicum inquit: Quamobrem omnes cum secundae res sunt, maxime meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant, pericula, damna, exilia. Peraegre rediens semper cogitet, aut filii peccatum, aut uxoris mortem aut morbum filiae, communia esse haec fieri

posse, ut ne quid animo, sit novum, quidquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

Sed haec non veniunt nobis in mentem, dum nihil adversi objicitur, quin securi in utramvis aurem dormire solemus, sicut in tentatione et poenis trepidamus. Ita enim fert humana natura, ideoque in utramque partem sumus miserrimi: saepe ex uno delicto, cujus ultionem sustinere nos sentimus, alia infinita fingimus, rursus in securitate etiam obruti peccatis, ne unum quidem cogitamus, nec ullum periculum formidamus.

Haec infirmitas in nobis agnoscenda est, qua conscientia hilaris innumera gaudia, tristis vero et perturbata nihil nisi calamitates et aerumnas colligit. Id enim et Scripturae sanctae exempla, et uniuscujusque experientia testatur: Quando animus meus tristitia, aut ira occupatus est, multae cogitationes videntur verissimae, postea vero cum ad me redeo, facile errorem deprehendo.

Praeter spem autem filii Iacob diutius domi detinentur, cum quidem statim redituros se in Aegyptum putarent, ut satisfacerent promissis et fratrem redimerent, ac satis justam causam maturandi reditum habebant, sed obstat pater conatibus eorum, qui mavult periclitari Simeonem, quam Benjamin, et affert ejus rei argumentum dialecticum, quod concludit contra omnem rhetoricam ipsorum, si enim, inquit, occurret aliqua calamitas Benjamin, certe occidetis me.

אָסוֹן significat laesionem, sive ea letalis sit sive non. Cogitate, inquit, filii quantum mali sit, si vestra culpa, dolore et luctu conficiar, quod posset fieri, si Benjamin abduceretis, atque is in periculum aliquod conjiceretur, sicut Ioseph et Simeon nobis perierunt. Ibi mihi quoque gravissima et indigna morte pe-

reundum foret, quin et canitiem suam allegat, admodum παθητικῶς; Deducetis, inquit, canos meos cum dolore ad inferos; libenter ego moriar, ac senio et curis confectus, mortem vehementer exopto, sed hoc miserrimum est; quod filiorum meorum culpa jam senex moerore et tristitia moriar, tot malis exercitato et consumto, etiam vita ingentibus curis, luctu et dolore finienda erit.

Haec profecto gravia argumenta sunt, quae opponit rhetoricae illorum, qua finxerunt Simeonem benigne et amanter tractari apud principem terrae, propitium et clementem.

Sed respondet Iacob: Quidquid est, non sine causa solus ille ex filiis meis retentus est, cum nihil simile aliis acciderit; video vos colludere et componere technam hanc, ut auferatis Benjamin, meque orbetis.

Ejusmodi argumenta valde insignia sunt, ducta a necessario, impossibili, abhonesto et conscientia, ingens enim scelus est, conjicere patrem grandaevum in luctum et moerorem, quo conficiatur et pereat.

Postremo disputant hoc loco Hebraistae de voce שְׁאוֹלָה quam accipiunt pro sepulcro et foveam interpretantur, nos vero rident, qui gehennam exponimus. Sed nihil moramur indoctos istos asinos, qui traditi sunt in sensum reprobum, et tenebras exteriores, ita ut linguam, quae ipsis vernacula est, non intelligant.

Necesse autem est, aliud esse קֶבֶר et aliud שְׁאוֹלָה sicut autem sepulcrum קֶבֶר commune est tam piis, quam impiis, ita et שְׁאוֹלָה. Haec certa res est et petita ex usu sacrarum literarum, nisi quod haec est differentia: sepulcrum, קֶבֶר, proprie terra est, quae effoditur et in qua conditur corpus mortuum.

multi enim moriuntur, qui non humantur, ut qui laniantur a bestiis, aut in crucem aguntur, aut cremantur, illis non conceditur sepultura et tamen omnes dicuntur descendere ad infernum ex hac vita.

Recte igitur haec distinguuntur, ita ut sepulcrum sit locus in quo corpus, ossaque demortuorum reconduntur, certo tempore, certa persona et loco. שְׁאֹלָה autem commune quoddam receptaculum, non corporum tantum, sed et animarum, ubi omnes mortui congregantur, Augustinus vocat abdita receptacula animarum in Enchiridio ad Laurentium. Est igitur chaos illud nobis quidem incognitum, in quo non est differentia locorum, temporum, personarum, quo descendunt etiam hi qui carent sepulcris, est locus communis, si modo locus dici debet, non pro corpore sed pro anima.

In Symbolo Apostolico dicimus: Christus mortuus, passus et sepultus descendit ad infernum, ubi haec duo juxta Hebraeam phrasim discernuntur sepultura et descensus ad infernum, et Psalm. 16, 10 inquit Christus: Non derelinques animam meam in inferno.

Proprie igitur et definitive שְׁאֹלָה locus vel receptaculum est animarum; qualis autem ille locus sit, infinitis quaestionibus a veteribus disputatum et quaesitum est, nobis haec differentia sufficiat, quod sicut corpus servatur in terra, ita anima resoluta venit in suum שְׁאֹלָה, nec traduntur diversae שְׁאֹלָה piorum et impiorum. Alii acute sane disputant et sunt varia argumenta in utramque partem, quae me parum movent.

In parabola de divite et Lazaro dicitur dives sepultus esse in inferno, non corporis, sed animae se-

pulcro et tamen de piis aliter sentiendum est, quam de impiis in eadem שְׁאוֹלָה exsistentibus.

Sicut hic inquit Iacob et supra etiam: „Descendam lugens ad filium meum in infernum,“ item: „Deducetis canos meos in infernum.“ Et de morte piorum certus et clarissimus locus est apud Iesajam, cum inquit: „Intrant pii in pacem, requiescunt in cubiculis suis.“ Item Genesis 15, 15: „Tu autem ibis ad patres tuos, in pace et sepelieris in senectute bona.“ Et Cap. 25, 8. „Abraham collectus est ad populos suos.“ Hic est שְׁאוֹלָה, id est, locus quidam in quem colliguntur pii, quem appellat Iesajas pacem Cap. 57, 2. Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua, ibi sane loquitur de mortuis. Sic ad Iosiam dicitur 2. Paral. „Iam enim colligam te ad patres tuos et insereris in sepulcrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod inducturus sum super locum istum.“

Haec omnia ex Scriptura sancta manifesta et certa sunt, quod Sancti secundum corpus vadunt in קֶבֶר sicut Abraham in agro Ephron, e regione Mambre sepelitur, secundum animam vero ingrediuntur cubicula sua, in שְׁאוֹלָה, ubi congregantur cum patribus suis, ac habent quidem pii infernum, in quem descendunt, sed ut requiescant in eo, et quamquam cum moerore descendunt, tamen ad quietem et pacem transeunt, atque adeo nihil aliud est descensus iste piorum, quam mutatio hujus vitae in alium statum, ubi amplius non vivitur sub sole et super terram, sed relicta vita hac intrant in cubiculum, sive stratum suum, in quo dormiunt et requiescunt, donec corpus et anima rursus copulentur in futura et aeterna vita.

Itaque Scriptura prorsus nihil habet de purgato-

rio, sed ait sanctos et justos transire in suum שְׁאֹלָה, ubi suavissima pace et quiete fruuntur.

Justus autem est, qui licet sit peccator, tamen si credit in filium Dei et accipit absolutionem a peccatis per ministerium verbi, baptizatus est et sacramento altaris participavit, vere absolutus et justus est. Huic vero non est paratum purgatorium, sed sepulcrum animae, שְׁאֹלָה piorum, pax et quies in cubili suo.

Ante Christum dictus est sinus Abrahae, et eadem appellatione ipse quoque utitur, quam haud dubie ex sermonibus piorum et patrum mutuatus est, cum dicit Lazarum translatum esse in sinum Abrahae. שְׁאֹלָה autem divitis erant flammae, atque is status et conditio impiorum soli Deo cognitus est, qui a nobis comprehendi non potest, corpus vero divitis repositum fuit in קֶבֶר. Haec mea sententia est de hisce appellationibus.

Porro de anima Christi, quae descendit ad inferna unita divinitati, alia quaestio est, atque ejus descensus qui fuerit modus, nos sane nescimus, nam id singulare in eo fuit, quod dicit in Psalmo 16, 10. „Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem." Neque enim infernus tenuit animam ejus dormientem et quiescentem, nec sepulcrum tenuit corpus ejus ut computresceret, sicut Martha de Lazaro dicit: Domine jam foetet, quatriduanus enim est. Ideo dicitur primogenitus ex mortuis.

Resuscitati vero a Christo nihil aliud potuerunt testari, quam se dormivisse et decubuisse in lecto et servatos esse in sinu Abrahae, ut nunc in sinu Christi servantur.

Ac tantum quidem nos de receptaculis corporum et animarum cognitum habemus, קֶבֶר esse locum pro corpore, שְׁאוֹלָה vero pro anima dormiente, sive piorum sive impiorum, sed diversa conditione, et qualis ea quies sit nos nescimus.

Saepe autem mihi in mentem venit, non posse nos haec assequi et intelligere, cum nequeamus capere quomodo vivat homo in hac vita, quando dormit. Nisi enim assiduitate et usu quotidiano assuevissemus somno, aeque ac mortem ipsum exhorresceremus, siquidem nihil aliud est somnus, quam quaedam veluti migratio ex hac vita, ut nescias ubi, aut qui sis. Dum vivo, non dormio, sed animo praesenti sum et incedo vigilans et erectus, cum vero somnum capio, me ipsum et locum ubi sim ignoro et videor in aliud vitae genus translatus. Iam quia usitata res est somnus, nemo ab eo abhorret, sicut ad conspectum, aut mentionem alicujus inusitati et horribilis morbi expavescere solemus, qualis est epilepsia, qua correpti homines, etiam omni sensu et motu hujus vitae destituuntur, imo in aliam vitam descendisse videntur, adeo ut sive igne adusti, sive in undas mersi, prorsus nihil sentiant, nihil videant neque audiant, ideoque epileptici viventes mortui sunt.

Ad hunc modum infantes in utero materno perpetuo dormiunt, quae miracula nemo aut cogitatione aut verbis potest consequi, ac nisi sciremus somnum esse utilem et salutarem et sine omni incommodo, non minus atque mortem aversaremur. Multo vero mirabilior est quies illa defunctorum, quam Scriptura sancta somnum appellat.

Cum igitur in hoc mundo viventes quandoque nihil minus, quam vivere nos sentiamus, et servat ta-

mea Deus vitam dormientibus et expertibus omnium actionum, quare non tantam sapientiam et potentiam ei tribuemus, ut possit animam quoque servare in morte? Ea quidem dum adhuc in corpore habitat, varie in somnis luditur objectis speciebus inanibus somniorum, quae non sunt res verae, sed tamen vivit, quamquam oppressa somno, ut non possit exercere actiones et operationes suas. Corpus vero velut truncus jacet sine omni sensu, ideo nemo facile dixerit quid sit somnus, quid vigilia, quid anima, etc.

Hactenus vero de inferno sanctorum et impiorum, de quibus quidem difficile est aliquid certi affirmare, neque magnopere nostra interest scire, qualis sit status impiorum, cum oporteat nos credere et assentiri verbis Christi dicentis de puella defuncta: Non est mortua puella. Ea cognitio et fides sufficit piis.

Theologi scholastici faciunt quatuor sphaeras inferorum: primam appellant limbum Patrum, in quem collocarunt defunctos ante Christi nativitatem, passionem et resurrectionem, exspectantes redemtionem Christi et descensum ex hac vita ad infernum, quia coelum nondum erat apertum; sed non intelligunt illi quid dicant, aut sentiant. Nos vocamus sinum Abrahae ex doctrina Evangelii, quod ipsi limbum Patrum, in quem translati sunt omnes sancti et pii ante Christi adventum, nec pugno de nomine, cum de re constet fuisse sinum Abrahae, qui nunc Christi sinus est.

Quia Moses et Elias cum Christo in monte colloquuntur, unde apparet eum omnes istos Sanctos habere in manu et potestate sua et esse Deum ipsorum, dormiunt vero et quiescunt, sicut de omnibus piis constat, ita ut possit eos Christus excitare, quandocunque

ipsi libitum fuerit, itaque non est necessaria oratio pro iis, multo minus profusio illa pecuniarum ad redimendas animas ex purgatorio.

Quod si Augustinus aut alii ex Patribus aliter sentiunt, sciamus eos legendos esse cum judicio, nec articulos fidei ex Patrum dictis et sententiis faciendos, sicut superioribus seculis ea dementia horribiles tenebrae in Ecclesiam invectae sunt.

Unus Gregorius fons et auctor est fabularum de purgatorio et missarum pro defunctis; narrat alicubi fuisse oeconomum quendam in monasterio suo, qui fortuito et negligentia quadam inter chartas reliquerat tres aureos, quos cum post mortem invenisset Gregorius, miras tragoedias egerat in demortuum, et propter scelus furti maledictum et aeternis poenis obnoxium fore clamitarat, cum quidem verisimile esset monachum illum majorem copiam furandi habuisse in aliis, neque quidquam tamen ab eo surreptum fuisse, sed hanc pecuniam ipso nescio inter chartas latuisse. Eo tamen exemplo et clamoribus Gregorii reliquos ita consternatos esse affirmat, ut nemo eorum ne teruncium quidem deinceps retinere vellet, tandem vero jussit pro eo recitari triginta missas, quibus peractis scribit sibi apparuisse oeconomum illum et maximas gratias egisse pro tanto beneficio, quo poenis et maledictione divina liberatus esset.

Haec nimirum *ἐνέϱγεια* seu efficacia erroris fuit. 2. Thess. 2, 3. Et ab eo exemplo Gregorii manavit in totum orbem terrarum infinita illa multitudo abominationum et oblationis sacramenti pro mortuis, fuit autem spectrum illud quod apparuit ei nequissimus Diabolus, exortus ab inferno ad illudendum toti generi humano; nam horribile et temerarium commentum

purgatorii et missarum pro defunctis superat omnem sensum et eloquentiam.

Longa fabula, longae ambages nundinationum, quibus infinitas opes acquisiverunt Papa et Cardinales, fuerunt enim innumerabilia monstra, sacrilegia et rapinae, quin omnia monasteria et templa vide, quae non aliis sumtibus exstructa sunt, quam pecunia in redimendas oblationes pro defunctis impensa. In eum usum totus mundus suas opes congessit, ad liberandas animas ex cruciatibus purgatorii.

Nec dubium est Christum praecipue et singulariter loqui de profanatione coenae Domini, qua fecerunt ex missa sacrificium pro vivis et mortuis, quando inquit Math. 24, 15. „Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat, etc.“ Fuit enim id delubrum ac monstrum diabolicum, sed ipsis ad quaestum, ad parandas opes, regnum et potentiam super omnia regna terrae accommodatissimum.

Totam autem impietatem hanc de oblatione corporis et sanguinis Christi facienda pro mortuis, refutat et tollit doctrina Evangelii, quae testatur pios dormire et quiescere in Christo. Non igitur ullas poenas purgatorii metuunt, quas vivi auro et argento pro ipsis possint redimere.

Scriptum est enim Iesa. 57, 2. „Qui ambulavit in directione sua, requiescat in cubili suo.“ Item Apocal. 14, 13. „Beati mortui qui in Domino moriuntur, a modo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis;“ quam sententiam ipsi quoque crebro allegant, et tamen ad redemtionem animarum ex purgatorio detorserunt. Satanae igitur ingens malitia in Pontifice et

Apostolis ipsius fuit, et deploranda caecitas hominum fatuorum, ac omni sensu carentium, qui nimis faciles ad credendum et erogandam pecuniam ad abusus tam foedos et incredibiles fuerunt.

Muniendi vero sunt animi adversus haec portenta opinionum testimoniis Scripturae sanctae, quod non haereant in poenis Sanctorum animae post hanc vitam, sed requiescant a laboribus suis, sicut inquit Christus: „Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. „Item: „Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, non morietur in aeternum." Dominus ipse creator coeli et terrae missus est a patre in hunc mundum, ut doceret ista, quae firmiter apprehendenda et retinenda sunt; sin fallimur, bene equidem nobis erit, cum per Salvatorem et credendo in filium Dei, fallamur.

Haec monenda sunt propter adolescentes, qui nesciunt quantum caliginis et miseriarum fuerit in religione papistica, quam adhuc quidem tueri et defendere cogitant, ac inprimis purgatorium et abominationem missae mordicus retinent, propter quaestum uberiorem omnibus regnis Europae.

Tertium locum attribuunt Scholastici damnatis, qui nihil ad nos attinet, quia Christus suos tantum Sanctos liberat a gustu mortis, reliquos vero nos non volumus, nec possumus liberare, sed permittimus eos judicio divino. Non est autem שְׁאוֹלָה piorum, sed infernus impiorum, de quorum conditione etiam nihil affirmare licet, et hunc locum proprie gehennam vocant, quod vocabulum Hieronymus inventum dicit ab ipso Salvatore, etymologia autem est a valle aut prato in suburbano Hierosolimitano amoenissimo et nemo-

roso ad Orientem, cujus mentio fit Jere. 7, 31. vallis filii Hinnom.

Ibi enim Iudaei crebro et libenter sacrificabant, neglecto sacerdotio et templo, quod erat in urbe et habebat verbum et promissionem, Deum velle acceptare oblationes et vota hujus populi, sed magis delectabantur valle illa amoena et consita arboribus, qui perpetuus furor est omnium temporum et gentium, extra templum et ordinationem divinam sectari amoenitatem lucorum, fontium, fluminum, quasi gratiores ibi Deo sint oblationes, quam eo in loco, ad quem ipse cultum suum verbo alligavit.

Ibidem vero et altaria et sacella aedificabant, sicut videre est in Prophetarum concionibus passim. Et ante haec tempora contemtis parochiis et ministerio verbi currebatur ad lucos et relliquias divorum, et Papistae etiamnum doctrinam verbi persequuntur et ab Evangelio, a vocatione domestica cursitant ad S. Iacobum, ad Mariam, etc.

Ita nemo nostrum acquievit suo baptismo, aut templo, ubi habebat verbum Christi et Sacramenta, ubi erat vocatus, baptizatus, absolutus, ubi habebat, audiebat, sentiebat in verbo Deum cum ipso loquentem, sed ubique locorum exstruebantur sacella et altaria, relicto verbo et Sacramentis, perinde ut Iudaei vallem illam praeferebant templo Hierosolimitano et ad eam confluebant, rex, regina, principes, sacerdotes, Prophetae, populus magno numero.

Tanta est potentia Satanae, cui hoc permittitur a Deo, ut ludibrio habeat templum, cultum et populum Dei, nec sane mirum est multos homines ita offendi hac confusione, ut aut negent esse Deum, aut clamitent eum ignarum, et negligentem esse rerum

humanarum, quod tamdiu indulget Satanae, nec vindicat tantam abominationem et profanationem sui nominis et cultus.

Vide enim Pontificum impudentiam et impietatem, quanta audacia adhuc tueantur missas, peregrinationes, monachatum, etc. quibus omnibus Deum horribiliter offendi nihil est dubium, et tamen sinit Diabolum infinita illa petulantia et rabie ludere in sui contumeliam et ludibrium.

Talis igitur fuit vallis illa, quam habuerunt Iudaei, pro vera ecclesia et vocarunt Topheth, filiorum Hinnam, et prope eam fuit mons Oliveti, et vallis Repbaim fertilissima, qualis in Thuringia levis est qui appellatur die gulden Awe. Condiderunt autem ibi templum, quod revera fuit prostibulum ad fallendas animas aptissimum, atque ita insanierunt in cultum illum, ut non pecudes, capras, oves, boves, sicut in templo Hierosolimitano solebat fieri et tum pro nihilo ducebantur, sed tanquam loco sacratiore victimas humanas offerrent, adeoque filios et filias suas mactarent.

Narrant etiam Lyra et alii fuisse in templo ibi condito idolum Moloch, quod colebant tanquam Deum, aut regem suum, sive judicem severum, qui placandus esset filiis et filiabus oblatis, sicut Achas obtulit aut traduxit per ignem omnes filios suos, ne haerede quidem regni relicto. Fuit autem idolum aeneum et concavum, factum ad imaginem humanam, ac retro repletum igni, donec totum incalesceret, ac veluti arderet; in ejus manus ponebatur puer idolo consecratus, et sacerdotes crepitacula, tintinabula et tympana pulsabant, ne parentes pueri morientis clamorem ex-

audirent et addebant acclamationes, quibus parentibus gratulabantur et gratias agebant, quod Deus suscepisset puerum, sine dolore et cruciatu. Horrendam vero et immanem crudelitatem, et tamen certa res est, fuisse eis haec sacrificia usitatissima, sicut testatur Psalmus 106, 37. 38. Et immolaverunt filios suos et filias suas Daemoniis, et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Canaan.

Ideo minatur Deus se locum illum funditus excisurum, sicut inquit Ierem. 7, 31. Aedificaverunt filii Israel excelsa Topheth, quae est in valle filii Hinnom, ut incenderent filios suos et filias suas igni, quae nec praecepi, nec cogitavi in corde meo; ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius Topheth et vallis filii Hinnom, sed vallis occisionis, sepelient enim in Topheth, eo quod locus alius non sit, etc. es soll heifsen ein Todtenthal, ein Würgethal, ut locus ille sacer sit in sepulturam interfectis propter idolatriam.

Topheth vero a תֹּף tympano deducitur, quasi dicas templum tympanorum, quae pulsabantur ad puerorum caedem, ein Trummelkirchen, ein Pfeifenkirchen.

Sic Iesajas cap. 30, 32. poetice depingit poenas et cruciatus impendentes regi Assyriorum in inferno, machet ihm ein Singertanz in der Höll: Et erit transitus virgae fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis, et citharis in bello circumquaque expugnabit eos. Praeparata est praeter ea jam olim Topheth, etc. quod de gehenna fere omnes interpretes intelligunt.

Atque ea appellatione Christus aeternam damna-

tionem significare voluit, sumta a caede corporali, sicut enim fuit ibi gehenna, seu mactatio puerorum, ita postea sanguinem eorum ultus est Deus maxima strage Iudaeorum, qui eodem loco a Chaldaeis interfecti sunt.

Arbitror autem pueros qui perierunt in talibus sacrificiis esse salvatos, siquidem Psalmus inquit: „Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum.“ Et sicut parvuli ab Herode trucidati, ita illi quoque mactati et exusti sunt, vesanos autem parentes* qui ejusmodi victimas obtulerunt, horribiles poenae tandem exceperunt.

Vocabulum חִנָּם significat gratis, ab חָנַן aut חֵן ut Exod. 21, 2. „Servus anno septimo egrediatur liber et gratis, absque pecunia.“ Et Iesa. 52, 3. „Gratis venumdati estis, gratis redimemini.“ Item Psalm. 69, 5. „Oderunt me gratis sine caussa.“ Inde חֵן aut חֲנִינָה gratia et misericordia, a quo Ioannes nomen sortitus est. Arbitror autem ideo hanc vallem sic dictam esse, quod esset locus publicus, in quem cuivis liberum esset gratuito expaciari, sicut sunt apud nos nemora, quae nemo sibi privatim vendicat, praeter principem terrae et patent omnibus ejus subditis.

Iosua vero Cap. 15, 8. cum assignat terminos tribui Iudae, ducit limitem per vallem filii Hinnam, prope Hierosolimam, ea tamen exclusa et relicta in aquilone, quia non in tribu Iuda, sed Benjamin sita est. Alii Hinnom dicunt nomen esse viri, sed haec relinquo Grammaticis.

Ego malim exponere בֵּן pro filio non hominis alicujus, sed juxta consuetudinem Scripturae sanctae, quae peculiari phrasi solet dicere filium mortis, filium pharetrae pro sagitta, filium vitae, item filias carmi-

nis, Eccl. 12. pro auribus, Psalm. 80, 15. 16. „Visita vineam istam et perfice eam quam plantavit dextera tua et super filium hominis, quem confirmasti tibi." Ibi loquitur non de homine, sed de loco. Item Iesa. 5, 1. „Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, hoc est, in colle editiore et fertili sive pingui, nam filius olei nihil sonat, neque nos ea figura uti solemus." Exponitur itaque pro loco pinguedinis, ein Schmalzgrub, darinnen alles wohl wächst. Idem significat Gethsemane, locus ubi Christus traditus et prehensus est, quod reddidit Hieronymus vallem adipeam, sive pinguissimam et scribit fuisse ibi miras delicias hortorum et meminit eum Iosephus quoque.

Arbitror autem Christum loco illo amoenissimo sustinuisse dolores inferni, ideo eum odit et vocavit gehennam; cum enim oraret in horto, fuit in gehenna et inferno, fortassis etiam ibidem stetit arbor scientiae boni et mali. Ad illam igitur vallem oportuit Salvatorem accedere et sanguinem sudare, qui sudor abunde testatur eum gustasse mortem, quae est infernus, ideo non vocat vallem pinguedinis, sed invertit, ut Ieremias et appellat gehennam seu vallem occisionis.

Ita Christus Dominus et liberator noster pro nobis omnibus fuit in ipsissimo inferno, vere enim sensit mortem et infernum in corpore suo, post egressum autem ex corpore quid egerit aut senserit, nos sane nescimus, sed in vita et corpore gustavit vere infernum.

Nec opinor passionem in cruce tantam fuisse, quanta haec fuit in horto, quia natura non potuisset sustinere, et illud sane magnum fuit, quod potuit ferre tantum agonem, qui sanguinem ex corpore ejus

eliceret, sicut inquit Lucas: „Erat sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram,“ non fuit aqua tantum, sed purus sanguis, manans de corpore in terram.

Qualis autem fuerit tentatio nemo scit, ac orandum est, ne unquam ejusmodi terroribus et angustiis conflictandum nobis sit, non enim possemus sustinere, quin anima cum corpore subito exstingueretur.

Sciamus igitur Christum tum oportuisse ferre poenam gehennae, sed tamen in carne; nam quid anima fecerit in inferno, multi multa disputant, an spoliaverit inferos et liberaverit suos, qui ante ipsum in sinum Abrahae congregati fuerant, nihil attinet quaerere et rimari curiosius. De hoc nobis certo constat, omnes Sanctos in aeternum liberatos esse a potestate inferni et illam gratiam revelavit nobis in Evangelio, interea vero manet שְׁאוֹלָה pro piis defunctis. Gehenna autem non est piorum, sed impiorum receptaculum, ubi Tophet seu locus ille tympanorum vertetur in fletum et stridorem dentium, sicut inquit Christus. Impiorum infernus non est שְׁאוֹלָה, non dicitur pax, quies, cubiculum, nec scimus an vel quomodo dormiant post mortem. Haec de differentia sepulcri et gehennae hoc in loco dicere volui, ne alias singulari aut uberiore tractatione opus esset.

Redeamus ad Patriarcham Iacob, cujus exemplo pulcherrima doctrina proponitur, quod sanctissimi viri homines fuerunt, non saxa, non trunci aut stipites, Iacob enim hic obliviscitur omnium praeclarissimarum promissionum et humana infirmitate labitur et fit ex Israele homo abjectissimus, disputat et angitur de filiorum salute, aut morte ac prorsus pueriliter et muliebriter se gerit, ziert sich so kindisch und so wei-

bisch als irgend ein Mensch, non aliter ac si Ciceronem videas Tulliolam suam flentem, aut Davidem filios Ammon et Absalon, ubi veros et puros homines vides.

Talis sane Iacob quoque describitur et idem saepe in Scriptura sancta commemoratur de summis et sanctissimis viris, qui habuerunt proprias ac ad se pertinentes promissiones, perinde ut nos habemus baptismum, coenam Domini, promissionem Evangelii nobis donatam, qua debemus firmiter niti et acquiescere, ita ut nunquam animis dejiciamur, sive secundae sive adversae res sunt. Cur enim metuo pestem, Turcam, periculum, mortem filii? quare sic insanio, cum habeam Deum propitium, protegentem, faventem, consolantem?

Iacob vero prorsus pueriliter hic querulatur: Orbastis me filiis, etc. Nihil posset dici carnalius et magis alienum a promissione data, in qua clarissime inquit Deus: Multiplicare, cresce, ego ero Deus tuus. Haec omnia tamen et se ipsum nescit, nihil cogitans de certitudine et veritate promissionis divinae, hats gar aus dem Sinn geschlagen, und wird zu einen lautern Kind.

Hoc est quod saepe dicimus et quod Scriptura testatur, nos esse adhuc in carne, quamquam sumus justi, habemus Spiritum sanctum et remissionem peccatorum, siquidem confitemur Christum, quod impossibile esset, nisi Spiritus sanctus esset in nobis, qui est clarificator Christi. Itaque qui Christum celebrat serio et bona conscientia, is habet propitium Deum, sicut testantur scripta et voces Apostolorum et ipsius filii Dei, qui non possunt nos fallere aut mentiri. Quare igitur lugemus et tristamur? quare luget Iacob,

qui etiam habet promissiones et tamen earum obliviscitur? Totus est carnalis, peccatum in membris ejus non solum pugnat, sed militat et captivat eum. An non indignum est nos ita exerceri et infirmari a nostra carne? Et accedit insuper Diabolus, qui occasione accepta a carne auget incredulitatem, diffidentiam et oblivionem Dei.

Haec itaque in nostram consolationem scripta sunt, quod Iacob contra promissionem suam tam graviter peccavit, sic enim debuisset dicere: Quid mea, sive moriatur, sive vivat filius, es ist um ein Sohn zu thun, habeo Deum promittentem, consolantem, defendentem, beneficum et largum, qui multo pluribus et majoribus beneficiis me potest cumulare; quare igitur lugeo? quare contristor? Sed contra haec omnia inquit: Cum moerore descendam in infernum. Tantus vir tam muliebriter et pueriliter luget, omniumque promissionum obliviscitur; nam quod filii peccant, nihil mirum est, quia sunt impoenitentes et securi de gravissimo scelere annos XXII quod celant adhuc, nec volunt confiteri, es sind recht böse Buben, sed ipso parente indigna est haec trepidatio.

Ea igitur doctrina Spiritus sancti in hoc exemplo proponitur, quae in omnibus historiis Patrum admodum celebris est et alibi quoque traditur, quod στοϱγας φυσικάς quae efficiunt hunc luctum et dolorem, maneant in Sanctis, et quod Deus non sit auctor destruendae naturae, sed sanandae. Spiritus sanctus non facit ex hominibus truncos et insensatos, quando infundit fidem, sed conservat, et auget quidquid in natura boni est, στοϱγὰς paternas, filiales, etc., sunt enim creaturae Dei, infirmantur quidem in multis, et tolluntur per Diabolum, sed Deus non tol-

lit eas, sicut monachi et fanatici faciunt, nam et Ioseph vir est fortis, et sanctus, tamen plorat, sicut audivimus supra.

Haec vero infirmitas Iacob, quamquam est peccatum, tamen prodest ei ad humiliationem, ad timorem, fidem et invocationem et majus gaudium animi, ut in sequentibus apparebit.

QUADRAGESIMUM TERTIUM CAPUT GENESIS.

Interea fames omnem terram vehementer premebat, cumque absumsissent in cibo annonam, quam ex Aegypto advexerant, dixit pater eorum ad eos: Revertimini, et emite nobis paululum alimenti. Iuda respondit ei et dixit: Contestando contestatus est nos vir ille et dixit: Non videbitis faciem meam, nisi frater vester veniat vobiscum: si ergo miseris fratrem nostrum nobiscum, descendemus et ememus tibi alimentum, si vero non miseris, non descendemus, nam vir ille dixit ad nos: Non videbitis faciem meam, nisi frater vester fuerit vobiscum.

Postquam respondit Iacob ad petitionem filiorum de mittendo Benjamin in Aegyptum, eorumque rationes rhetoricas gravissimis argumentis refutavit, alia jam et commodior occasio offertur exorandi patris et extorquendi filium, quem animo obstinato retinere apud se cogitabat; fames enim usque adeo in tota

terra invaluerat, ut universae familiae pereundum esset inedia, nisi redirent in Aegyptum et frumentum inde afferrent; nec dubito complures alios in terra Canaan et aliis locis fame periisse.

Itaque hoc uno argumento concludunt et expugnant parentem pertinacissimum in sua sententia; nimirum ipsum cum parvulis et tota domo interiturum, neque etiam Benjamin salvum et superstitem fore, tametsi domi cum patre maneat, nisi hoc tempore incertae fortunae et arbitrio principis Aegypti eum committat. Vide enim, mi pater, quid agas, dixerunt, ne omnes nos, teque ipsum perdas, dum vereris unicum filium in periculum adducere, quod tamen leve admodum, aut nullum prorsus futurum est, ubi venerimus in Aegyptum. Hoc igitur durissimo et extremo telo necessitatis victus pater mutabit sententiam, filiumque unice dilectum a se abduci patietur.

Quare autem permittit Deus ista fieri? An non enim habebat Iacob promissionem divinam: Ego ero protector tuus, cresce et multiplicare. Item: Dilataberis in quatuor partes terrae, etc. et majoribus ejus Abrahamo et Isaac similiter promissum erat, duraturum semen ipsorum in aeternum, sed contra haec omnia in summas angustias adducitur Iacob, ut certissimum periculum vitae ipsi et familiae ejus immineat. Ubi jam est fides in promissionem? Cur non facit miracula et oratione a Deo impetrat ut domus et liberi serventur in diebus famis? Non videtur sane eventus et res ipsa cum promissionibus tam amplis et opulentis, quibus ipsum obruit Deus, congruere, oportuit certe miraculum fieri in tantis angustiis et necessitate extrema, sed in eodem periculo est, eademque premitur fame qua reliqui gentiles et idolatrae premuntur.

Saepe autem dictum est fuisse quidem Patriarcharum vitam sanctissimam, plenam fide et irreprehensibilem, adeoque multa praeclare gessisse et magno animo ac fide promissionum quas habuerunt gravissima quaeque pericula superasse, sed hoc longe maximum miraculum fuit, quod vixerunt in fide promissionis, cum quidem prorsus evanuisse et irritae esse viderentur, sicut hic Iacob et filii cum uxoribus et tota familia de vita periclitantur, non secus ac si a Deo deserti et abjecti essent.

Itaque non videmus in historiis horum Patriarcharum jejunia certorum dierum, abstinentiam ab oeconomia, politia, macerationem carnis, quae in Francisco et Bernhardo admirantur alii, neque nos sane eos damnamus, sed de fide et tentationibus disputamus, an etiam Antonius, Bernhardus, Dionysius constituti in summis periculis tantam fidem habuissent in monasteriis suis, quam habuit Iacob in sua domo; nam extrema quaeque perfert, nihilo secius atque alii impii et idolatrae, nihil est discriminis inter domum Iacob et vicinorum Cananaeorum familias.

Quid igitur facit? Hoc quod omnes Sancti solent, quorum exempla nos docent, ut saepe alias dixi, non esse judicandum Deum secundum praedestinationem divinam, nec contemnenda media ordinata ad hanc vitam sustentandam, et pericula cavenda, sicut multi temere disputant de fatali necessitate: Si volet me Deus servare, tempore famis aut pestis ero superstes, etiam sine cibo aut medicina, sin fuerit pereundum, nihil proderunt illa omnia.

Haec cogitationes impiae et prohibitae sunt a Deo, non enim patefecit nobis arcana consilia, quomodo aut quando te velit juvare. Neque est ipsi

praefigendus locus, tempus, persona, non enim feret sibi haec vincula rationis et sapientiae humanae injici, sed vult te servire vocationi tuae ac propterea condidit coelum et terram et omnia quae continent, ut te alat et sustentet. Illis igitur mediis noveris tibi utendum esse, nec inquirendum curiosius in arcanam ejus gubernationem.

Quia vita haec consistit in providentia ipsius et tua fide, siquidem promisit se fore Deum tuum, teque sustentaturum et salvaturum; non est igitur quod dicas: Quidquid fecero, non tamen impediam voluntatem Dei, quo minus fiat hoc, quod definivit, ea enim Diaboli vox est et damnata in aeternum, quin potius simplici fide incede et quando es in periculo et angustia, utere mediis quibuscunque potes, ne tentes Deum. Quod si nihil auxilii aut remedii est in iis, quae condidit Deus ad propulsandum periculum aut morbum, tum rejice in Dominum curam vitamque tuam et ipsius sapientiae et bonitati gubernationem tui permitte.

Qui vero contemnunt media et periculum sibi temere accersunt, illi graviter peccant contra promissionem et tentant Deum, sicut Psalm. 78, 18. 19. de Iudaeis, qui praefiniebant certam rationem auxilii divini, dicit: „Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis, et male loquuti sunt de Deo: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto. etc.?“ Verum non feret Deus se captivari et cogi intra metas sapientiae tuae, ac praescientia et praedestinatio ejus nihil ad te pertinet, quin potius ut ne tentes Deum, audias eum promittentem, eique firma fide adhaere: hoc enim docet exemplum Patriarchae Iacob, qui quamquam versatur in periculo mortis, consumtis alimentis omnibus, quae ex Aegypto advexe-

rant filii, tamen non negligit medium quo antea quoque usus fuerat, jubet redire filios in Aegyptum et emere frumentum, ne se et familiam universam fame enecet.

Ita retinet promissionem et fide invocat, non tentat Deum, statuit firmiter se non desertum iri nec irritas fore promissiones, et tamen non excludit medium quod offertur, sicut supra quoque Abrahamum audivimus descendisse in Aegyptum cum fame laboraret.

Haec diligenter observanda sunt ad refutandos fanaticos illos, qui putant magnam sapientiam et fortitudinem esse, quidvis audere et tentare extra verbum Dei, quod in speciem magnificum, insolens et inusitatum est; quemadmodum ferunt de duobus fratribus peregrinantibus in terra gentilium, qui cum esurirent et porrigeretur eis panis ab incolis illorum locorum, alter eo noluit vesci, propterea quod homines impii, et ethnici obtulerant, ac nisi coelitus pasceretur, mortem potius oppetendam censuit, periit igitur fame et sepultus est in infernum, alter vero fuit sanior, qui sumto cibo suppeditato a gentilibus servatus est.

Sic magna stultitia fuisset abstinere a frumento et cibo allato ex Aegypto, propterea quod essent ibi homines impii et increduli. Annon enim panis Aegyptiorum creatura est, aeque ac alii cibi et alimenta? Sic nos eodem foro, terra, aqua, coelo, sole fruimur, quo et impios scimus uti; non mittet tibi Deus angelum coelitus, qui te singulari modo alat, cum abunde suppetat in terra unde vivas. Ad hunc modum Christus respondet Satanae: Scriptum est: „Non tentabis Dominum Deum tuum," quasi dicat, nihil mihi opus est

angelorum subsidio, qui e fastigio templi me deducant, cum non desint gradus per quos descendam.

Haec opponenda sunt illis qui disputant de providentia Dei et necessitate praescientiae divinae, cum tamen nihil ad eos pertineant, neque enim ipsis hoc est necessarium, quod apud Deum necessarium est, sed promissiones et praecepta Dei amplecti debebant et uti creaturis conditis ad hujus vitae conservationem, quibus si juvantur, bene est, sin minus, tamen sciant Deo obtemperandum esse, qui si opus fuerit, etiam miracula faciet ac fidem et spem eorum cumulatissime ornabit.

Rursus vero in responsione Iudae occurrit verbum יֵשׁ si est, si adest, hinc vocabulum תּוּשִׁיָּה, Prov. 8, 14. „Meum est consilium *et* successus, ut fiat aliqua res, non solum do consilium, sed etiam factum." Et Proverb. 3, 28. „Ne dicas proximo tuo: Abi et redi, cras dabo, quum modo sit apud te, quum sit res, quum sit unde dones." Non est verbum substantivum, quod Dialectici copulam vocant, sed significat exstare, adesse; si adest tibi, ut nobiscum mittas Benjamin, si est apud te in promtu et conclusum, tunc descendemus.

Atque inde apparet Iudam plus valuisse auctoritate apud patrem, quam reliquos filios: Ioseph enim jam sublatus erat, Simeon, Levi et Ruben offenderant patrem; quamquam Iuda quoque incestum cum Thamar commiserat, tamen ignorans fecit et postea abstinuit ab ea, ideo arbitror Iudam prae ceteris carum fuisse patri, siquidem sermones ejus plus ponderis habent, quam Ruben aut aliorum qui eandem causam apud parentem egerunt.

Deinde videmus quam mirifice regat Deus Sanctos

suos: Iacob enim erat orbatus dilectissimo filio et uxoribus omnibus jam vita functis, nulla enim earum descendit in Aegyptum, sed cum solis nurubus gubernat domum, Dinam vero puto fuisse loco matrisfamilias et successisse quatuor uxoribus; ac fuerunt haec quoque sine ulla dubitatione honestissimae matronae, quae rem familiarem Iacob tanta industria et fide administrarunt et auxerunt, non fuerunt desides et ignavae, magnam enim diligentiam et curam requirit res pecuaria.

Iuda vero firmissimum argumentum affert a necessario et impossibili, quod reliqua omnia vincit, quae ducuntur ab utili, honesto, decoro, etc. his tamen adhuc repugnat pater; ita humanis consiliis et eventibus geruntur omnia, sicut apud nos, et quaeri potest quare Spiritus sanctus tam vilia, puerilia, servilia, muliebria, secularia et carnalia de hominibus sanctissimis habentibus promissiones luculentissimas commemoret, quae cum alio quovis etiam impio ipsis sunt communia; cur non alia graviora et sublimiora scribit? Quid enim hoc magnum est, quod in istis sordibus rerum domesticarum desudandum ipsis fuit?

Respondeo. Tollatur impius ne videat gloriam Dei, Deus abscondit Sanctos sub istis larvis et rebus carnalibus, ut nihil iis videatur abjectius. Quid igitur interest inter Davidem et Scipionem, vel Iulium Caesarem? Si externam manum, gladium et sanguinem spectes, nihil prorsus discriminis est, non enim delectatur David electitiis illis cultibus, religionibus et devotionibus Monachorum, sed sustinet communes aerumnas et afflictiones, quae solent comitari administrationem oeconomicam et politicam.

Sed haec est differentia: David vivit in promis-

sione et praeceptis Dei, Iulius Caesar nec Deum habet, nec Diabolum, imo mancipium Satanae est, non enim regitur praeceptis Dei, nec credit promissionibus, sed fortuito gerit omnia.

Monachi hoc discrimen non norunt, nec sanctitatem Patriarcharum intelligunt, quia offenduntur externa illa specie operum, quod paterfamilias gubernat et curat liberos, filias, nurus, ancillas, pecudes, quod numerat pecuniam, emit, vendit et vivit inter gentiles. Ibi nulla admodum sanctitas conspicitur, quod autem incedunt in fide et obedientia Dei, hoc non observant Papistae.

Atqui prima et praecipua cura nobis esse debebat de promissionibus et praeceptis Dei, juxta quae tota vita nostra instituenda erat, ea enim vera sanctitas est piorum; huc accedit Sacramentorum usus, qui si fuerit integer et sincerus, multiplicia exercitia et cultus sese offerent, quibus fidem et dilectionem Deo et hominibus probemus, nec deerunt insidiae et insultus Diaboli, cum quo dies noctesque fuerit conflictandum.

Sed haec omnia ex alto despiciunt Papistae; quid Decalogus, quid fides? inquiunt, illa omnia vulgo tradita sunt, ego meliora et sublimiora eligam, abstinebo ab oeconomia, politia, Ecclesia, secedam in locum desertum, etc.

Tales igitur historiae sanctissimorum patrum omni rhetorica et dialectica defendendae et ornandae sunt, ut discamus id genus vitae Deo gratissimum et acceptissimum esse, quod regitur promissione et defensione divina: quod si non omnia ad voluntatem tuam fluent in rebus gerendis, non propterea despondebis animam, aut si infirmitate quadam lapsus fueris, revertere, et

noli defendere peccatum et nihil erit periculi, quia patet reditus ad promissionem.

Ad hunc modum legendae sanctorum patrum longe superant stultas illas nugas et fabulas quas in Papatu admirati sumus. Quid enim ad nos Antonius, qui contra conscientiam, cum sciret nihil suscipiendum esse in vita, aut doctrina extra mandatum Dei, tamen in eremum sese abdidit? Scimus esse tres ordines vitae hujus, oeconomiam, politiam et Ecclesiam, quibus posthabitis si velint omnes sua studia et vias electitias persequi, quis erit pastor animarum, quis baptisabit, absolvet, consolabitur oneratos peccatis? quis rempublicam geret, aut tuebitur communem societatem hominum? quis educabit prolem, aut agrum colet? Et tamen haec officia divinitus mandata et approbata, in Papatu spreta et abjecta fuerunt et portenta illa Monachorum horribili furore Diabolus obtrusit hominibus.

Ista igitur saepe dicenda et inculcanda sunt, ut discamus Deum non offendi, sed delectari potius hisce ordinibus, tantum maneant intra limites mandatorum suorum. Si non potes imperare aut docere, tamen non minus pie parebis, aut disces ab aliis, modo in tribus hisce hierarchiis servias Deo, nec inveniaris cum Antonio, Hilarione aut Malcho in deserto.

Inprimis vero adolescentibus et imperitis haec proponenda sunt, qui nondum norunt quid sit peccatum, quid Diabolus, quid caro, et monstranda sunt exempla Patrum, Prophetarum, Apostolorum, qui non contemserunt oeconomiam, politiam, Ecclesiam, nec ab operibus rusticis et servilibus abhorruerunt et nihilominus tamen potuerunt vivere in fide et praeceptis Dei. Sic autem se gesserunt in communi vita, ut nulla differentia appareret oculis carnalibus inter Abraam,

Isaac et alios Patres amicos Dei et principes profanos, qui ignorabant et oderant Deum, quia caro promissionem et caritatem Sanctorum non cernit, sicut nec Papistae, nec Iuristae ea perspiciunt, qui vitam suam dirigunt ad sanctimoniae et justitiae normam electitiam.

Ad hunc modum audivimus sanctos Patres et hunc Iacob loqui et querulari in modum rusticorum, et civium abjectissimorum, sicut mox sequetur: ut quid malefecistis mihi? Ah quare tam indigne mecum egistis? wie habt ihr so übel an mir gethan? das geht alles über mich. Propemodum ita sonant verba, ac si non amplius crederet promissioni, tantus vir, tam sanctus, abundans opulentissimis promissionibus sic luget filium adhuc superstitem, nondum amissum; cur non potius dicit: Age eat vobiscum Benjamin in nomine Domini? cui sic placuit, quem merito pluris facio, quam totam meam familiam. Verum omnia dicta et cogitata carnalia sunt et secularia, er stellt sich nicht anders als läg ihm Leib und Leben an dem Sohn, et tamen adhuc lucet ibi fides et caritas, non enim vult temere in periculum conjicere filium, ideo tam duriter expostulat cum reliquis filiis.

Dixit ergo Israel: Cur tam inique mecum egistis, ut indicaretis viro illi quod superesset vobis adhuc frater?

Manet adhuc suspicio Patriarchae Iacob de occiso Ioseph et Simeone in Aegypto relicto, ac nunc veretur eos novam fallaciam fingere, ut Benjamin quoque e medio tollatur. Haec sunt πάθη humanissima et carnalissima, quae tribuuntur viro cumulato promissionibus divinis, sed laboranti infirmitate et circumfe-

renti peccatum militans, repugnans, captivans, ita tamen ut maneat sanctus, quia non deficit a Deo, non blasphemat, sed tantum miseriam suam deplorat.

Quod nobis in consolationem proponitur, ut licet simus infirmi, et vehementer angamur de nostris aerumnis, ita tamen moderemur dolorem, ne desperemus, fides enim exercetur et impugnatur maximis telis et arietibus, laborat in peccatis, calamitatibus, infirmitate carnis et tamen superat et vincit.

Hanc luctam et victoriam fidei Papistae et Monachi non vident, qui suis devotionibus absorpti et excaecati sunt, sicut memini me olim monachum non solitum acquiescere animo, nisi quotidie celebrarem missam. Quod mandaverat Deus omittebamus, ad ea vero quae ab hominibus inventa et tradita erant, toto impetu et furore quodam ferebamur, sicut Achas omnes suos filios mactabat contra voluntatem Dei, quae aperte significatur Ieremiae. 7, 31 ubi inquit: Nunquam ascendit in cor meum, etc.

Ea enim imbecillitas est sive furor potius humanae naturae, quam celebravit etiam ethnicus poeta elegantissimo versiculo:

Quod licet, hoc fugio, quod non licet acrius urit.

Papistae igitur non intelligunt tam praeclaras historias, quia nec promissiones nec praecepta Dei curant, quomodo ergo sciant quae sint bona opera? Nam haec in vita Patriarcharum tecta et obscurata latent actionibus et sermonibus carnalibus, sicut hic videmus Iacob omnia quae homini carnali in mentem venire possunt cogitare et dicere.

Sciamus igitur paulo altius introspiciendas esse historias sacras quam profanas et gentilium res gestas. Si enim haec a Latinis aut Graecis auctoribus

descripta essent, prorsus indigna luce et memoria viderentur, praesertim in Ecclesia et populo Dei, jam vero observandum est alium hujus libri auctorem esse, nimirum Spiritum sanctum, qui gravissimum et immutabile pondus addit rebus Sanctorum, eorumque corda fide et promissione gubernat. Cum autem is non dedignetur res nihili et nullius prorsus usus, ut videntur, tam copiose describere, nos quoque ne pigeat cum summa attentione haec evolvere.

Humile et abjectum est, quod pater promissionis tamen misere et prope serviliter lamentatur et luget; cur non regnat in corde ejus florens illa et exsultans fides, quae sic statuat: Quid tum, etiamsi filius in Aegypto periclitatur? tamen ibi etiam Deum protectorem et salvatorem habet. Nihil horum ex ipso audias, languida et muliebria sunt omnia dicta et facta ejus.

Sed haec ideo tradenda sunt in populo Dei, ut discamus et erudiamur, credendum esse Deo promittenti et nos ipsi curae esse, etiam tum, cum sumus infirmi et afflicti. Non enim tantum placemus Deo, quando valemus fidei robore et grandia miracula facimus, verum etiam cum infirmamur et similes sumus ceteris hominibus, sicut Iacob non abjicitur, quamquam propemodum amisit fidem illam firmam et gloriantem, quae celebratur in Psalm. 31, 7. 8. „Ego autem in Domino speravi, exsultabo et laetabor in misericordia tua." Item: „Gloriamini in Domino omnes recti corde; benedicam Dominum omni tempore," etc. tum scilicet, quando res secundae sunt, neque quidquam adversi objicitur, sed tempore tribulationis mox pavor et angustia occupat animos, ita ut videatur Iacob desertus a Deo, destitutus omni spe et solatio.

Ista igitur proponuntur nobis in consolationem et

exemplum, et discamus Deum non minus adesse in adversis, quam in secundis rebus, et diligenter inculcanda sunt, quoties videmus Sanctos pavere, laborare, angi, infirmari; si enim externam larvam spectes, perinde illi affliguntur, cruciantur, vivunt, moriuntur, ut gentiles et carnales homines, nisi quod lucet in eis fides, quantumvis infirma, et vere, ut dicitur, calamus quassatus et linum fumigans, nondum tamen exstinctum.

Et ejusmodi terrores et pericula ad nos erigendos et confirmandos pertinent in nostris tentationibus, alioqui nihil ad me historia tam sordida et carnalis.

Papa et fanatici tales Sanctos fingunt, qui sint Stoici et sine omni sensu doloris aut laetitiae, sicut Monetarius robur suum jactabat in reprimendo dolore et vincendis creaturis, negabat se affici rebus praesentibus, qualescunque essent, sed Deus detestatur ἀπάθειαν illam, neque Academicos amat, sed tales requirit, qui sint pie et amanter affecti erga parentes, liberos, etc. sicut testatur divina vox apud Hoseam: Misericordiam volo, etc. Ibi mandata est caritas erga proximum, quae profecto non impletur sine sensu aut affectu.

Pereant igitur fanatici illi cum sua ἀπάθεια. Sancti Patriarchae afficiuntur suis et aliorum calamitatibus, et omnia eorum opera et miracula sunt merae passiones et aerumnae, quas ferunt fide et lino adhuc fumante, quamquam in conspectu hominum contemta sunt et spreta, verum in oculis Dei sunt optima et pretiosissima sacrificia.

Sic paterfamilias tolerat egestatem et varias calamitates in fide, si non firma, tamen infirma, quia est Christianus et paratus ad ferendum longe gravio-

ra, sed hunc Papistae non habent pro Sancto, sunt enim trunci et stipites sine sensu, sine sollicitudine et caritate, sine commiseratione aliorum, suo tantum ventri et gulae servientes.

Nos vero talia exempla praeclare erudiunt et confirmant fidem nostram, qua credimus Deum adesse Sanctis suis, eosque curare etiam tum, cum videtur ipsos negligere et nescire, juxta illud Psalm. 4, 4: „Scitote quoniam mirificat Dominus Sanctum suum;" non eo modo ipsos ducit, quem ratio et sanctuli illi pontificii praescribunt, sed dat promissiones suas, quibus vult nos assentiri, gloriari in domino et exsultare.

Sed aliud est tempus gaudii, aliud tristitiae. Secundis temporibus laetantur et cantant: „Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo," ac tum quidem etiam ratio et caro gaudet et praedicat Dei misericordiam et bonitatem; tristibus vero miscetur cantus eorum fletu, lamentationibus, querelis, es geht halb zu, heulen halb, und singen halb; es lacht sich übel, wenn man weinet. Tamen statuendum est Deum non deserere pios, quocunque genere malorum oppressos.

Homines profani haec rident et contemnunt, quia non vident linum fidei fumigans nec norunt Spiritum sanctum, qui est efficax in cordibus piorum, ac linum illud fovet et excitat, propterea dixi, saepe respiciendum esse ad auctorem harum historiarum, Spiritum sanctum, cujus lingua non est levis aut otiosa, sed docet de rebus gravissimis, utilissimis, sanctissimis.

At illi responderunt: Diligenter percontatus est vir ille nos de progenie nostra, dicens: Vivitne adhuc pater vester, estne

tret quod nemo alius in tota domo ausus fuisset flagitare. Non enim dicit: Mitte nobiscum Benjamin, sed solus pro eo spondet, quam auctoritatem non habuisset apud parentem, nisi is vidisset eum praestare virtute et pietate.

Ideo inquit: Si non temere cuilibet ex nobis committendum putas Benjamin, at meae fidei ipsum trade, cui ecclesiae et totius familiae administrationem mandasti; ego fide jubeo, me meamque fidem interpono, de manu mea require eum. Haec gravis admodum et difficilis sponsio est, sed necessaria, propterea quod agitur de vita patris et filiorum. Quid aliud faciamus, ait, nisi redierimus cum fratre in Aegyptum, simul omnes moriemur, sicut alii multi ex vicinis nostris jam fame perierunt, neque est quod de mea fide et integritate dubites, cum ea tibi jam diu fuerit perspectissima propter ministerium verbi, tuasque vices in oeconomia mihi demandatas.

Haec omnia aguntur humanis argumentis et persuasionibus, ut solet fieri inter homines, nihil hic singulare, nihil sanctum apparet, sed colloquuntur pater et filius, sicut solent duo ex promiscua multitudine conferre inter se sermones et rationes suas de certis negotiis, nihil est diversum a rebus communibus et usitatis in hac civili societate, et tamen maximum discrimen est, quia uterque agitur Spiritu sancto et credit in Deum, quamquam mirabili infirmitate, adeo ut videantur amisisse promissiones omnes, quas audiverunt a Deo.

Ad hunc igitur modum excusandi sunt Sancti, ne tamen negemus eos fuisse homines, cum carne et sanguine conflictantes; ea vero ingens consolatio est, quod ejusmodi errata omnia absorbentur infinita illa

opulentia promissionis, qualis haec ignorantia et error est, quod pater Iacob, Iuda et reliqui filii omnes nesciunt quid agant, ignorant principem Aegypti esse fratrem Ioseph, habent promissiones Dei, sed vitae suae gubernationem secundum has non norunt.

Talis enim est vita Sanctorum ac universae calamitates quibus affliguntur nihil aliud sunt, quam jucundus et dulcis ludus, quo ludit nobiscum Deus, sicut pater cum parvulis suis, quibus mandat aliquid interdum, quod scit ipsorum vires superare, jubet filiolum ferre cantharum, detrahere soccos, quod cum studiose conatur exsequi, nulla ratione habita imbecillitatis suae; simul admovet manus pater, laudat studium et robur filii, ut paulatim ad obedientiam et mutuum amorem excitetur et assuescat puer.

Tales et hi lusus sunt divinae majestatis cum piis et fidelibus, qui soli filii sunt, et invocant eum patrem, nec dubitant de paterna benevolentia sibi promissa, ac tandem manum et auxilium ejus experiuntur. Quidquid vero faciunt quantumvis tenue et infirmum, id approbatur et laudatur, ut parvulorum labores et studia.

Sic Iacob et Iuda suam historiam nesciunt, nec cogitant Ioseph ipsis optime cupere ac velle eos exaltare, locupletare et ad summam dignitatem evehere, nondum enim tempus est cognoscendi mirifica consilia et actiones Dei. Interea dormiunt et stertunt ad promissionem divinam, videntur sibi serio affligi, et serias res agere et tamen velut in somnis geruntur et dicuntur omnia; postea cum dicet Ioseph: Ego sum frater vester, expergiscentur et videbunt ea quae habuerunt ipsi pro seriis, fuisse somnia.

Sic nos quoque hanc vitam in somnis transigimus,

nondum vero apparet nos dormire, necdum somno soluti sumus, sed erit aliquando cum excitabimur et aperientur oculi nostri, si modo possemus credere verbo Dei. Quod si tantam fiduciam animo concipere nequimus, quantam veritas et fortitudo promissionum Dei requirit, saltem infirmiter cum patribus credamus, nec murmuremus, neque defatigemur invocando et clamando, sicut Iacob haud dubie oravit: ubi enim manet invocatio, ibi et promissionem et fidem esse necesse est, et quamquam est linum fumigans, tamen non fremit adversus Deum, sed gemit, cum quo gemitu inenarrabili conjunctus est Spiritus sanctus, qui non sinit te murmurare et frangi impatientia. Proinde si non potes credere, laudare, precari, ut rebus secundis solebas, at ut adversis solet et potest fieri, confide et ora, sicut scriptum est: Invoca me in die tribulationis et ego exaudiam te.

Haec proponenda sunt Ecclesiae ad confirmationem fidei nostrae, ne deficiamus a Deo, quando tentamur et exercemur durius; tandem enim cernemus vitam nostram quantumcunque aerumnosam, fuisse tanquam somnum et cum videremur nobis in inferno esse, mox expergefacti sentiemus nos in coelum raptos ac mirabimur subitam illam levationem, quam ne somniare quidem ante potuimus.

Quin etiam de vita impiorum dicitur Psalm. 90, 5. „Fluctuasti eos et sunt veluti somnus.“ Papa et omnes impii qui florent in hoc mundo opibus et potentia, viventes et florentes dormiunt ac somniant se esse beatissimos, postea vero tempore judicii exuscitati videbunt omnia bona fuisse mera somnia, werden sagen: Was ists nu? wir meinten, wir wären reich, so liegen wir im Abgrund der Höllen.

Verbum עָרַב alias jucundum esse, hic vero spondere aut fidejubere significat. Addit Iuda: Et peccabo tibi omnibus diebus vitae meae; sic enim sonat Hebraeus textus, non autem de actuali peccato accipiendum est, quod juxta omnes Theologos transit, nec potest manere per totam vitam, sed significat reatum, qui perpetuo durat; non intelligit horulam illam actualem, aut peccati actum praesentem et transeuntem, quo perpetratur, sed hoc vult, se fore reum omnibus diebus vitae suae, tanquam singulis momentis hoc peccatum designasset. Haec vis est verbi חָטָא.

Sic in libro Hiob de Leviathan dicitur: „Contemnit et vorat omnes pisces maris, quia sunt ipsi peccatores, absumit eos tanquam reos.“ Item 1. Reg. 1, 21. Bethsabe inquit: „Erimus ego et filius meus Salamon peccatores,“ id est, videbimur peccasse coram te, erimus rei, sontes, etc.

Iuda vero utrumque promittit. Ero, inquit, sponsor, et peccator pro filio tuo et fratre nostro, ita vincitur tandem pater et nihil insolens aut inusitatum hic videmus, sed geruntur omnia humano more et magna infirmitate.

Et dixit ad eos Israel pater eorum: Siquidem omnino ita fieri oportet, facite hoc et accipite de nobilissimis fructibus terrae in vasa vestra et deferte viro illi munera: paululum resinae et paululum mellis, aromata et stacten, nuces et amygdala, sed et pecuniam duplicem accipite in manum vestram, et pecuniam quae reposita est in saccos vestros deferte in manu vestra, fortasse erratum est, et fratrem vestrum tol-

lite, surgite, revertiminique ad virum. Deus autem omnipotens det vobis miserationes coram viro illo, ut dimittat vobis fratrem vestrum alium, et hunc quoque Benjamin, ego autem quasi orbatus, absque liberis ero.

Tandem vincit et triumphat fides et tradit Iudae filium Benjamin, non desperat, non blasphemat, sed ita secum statuit: Hactenus restiti vobis, ac omnia potius experiri volui, quam in Aegyptum mittere filium carissimum, nolui tentare Deum, adeoque varia media quaesivi, ut periculum ejus defugerem, nunc demum cum extrema necessitate urgeamur, committam eum praedestinationi et bonitati divinae.

Hoc insigne exemplum est, quod in omnibus actionibus et tota vita nostra sequi debemus: cum enim omnia fecerimus quae fuerint ad manum in tribulatione et angustia, sicut hic Iacob magno studio se opposuit consiliis et voluntati filiorum, neque quidquam tamen praesidii in mediis illis fuerit, tum sane dicamus: Age, feci quod potui, non tentavi Deum, reliquum est, ut promissione, quam dedit fretus, ipsius arbitrio et voluntati cuncta permittam. Tum enim justissimam excusationem necessitatis habebis, et Deus liberabit te mirabiliter, aut certe melius aliquid dabit, quam tu praevidere potuisti, tantum ne animum despondeas.

Ita enim Iacob superatus non tam oratione filiorum, quam metu mortis, patitur a se avelli Benjamin, et tamen metuit adhuc, linum fumat, arundo quassata est, non debebat quidem pavere et trepidare, sed sublato Ioseph et Simeone, jam omnia timet et quamquam habet promissionem Dei, tamen ignorat quid de

hoc filio futurum sit, quem prae ceteris incolumem et salvum cupit, sed quia videt se non posse eum secum retinere, non repugnat diutius, sed acquiescit reliquorum filiorum monitis, dimittit Benjamin ac primum mandata dat de offerendis muneribus Ioseph. Deinde vota et preces pro salute ipsorum addit.

מִנְחָה proprie munus significat, ein Geschenk, sicut Deo offerimus munera. Gen. 4, 4: Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus, non quod cupiat saturari Deus muneribus nostris, non enim iis opus habet, sicut testatur Psalm. 50, 9. „Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos;" perinde est, ac si quis principi cuidam aut monarchae offerat teruncium sive drachmam, sed placet significatio humilis et grati animi, qua testatur aliquis se colere ac revereri principem tanquam dominum suum.

Ad hunc modum Iacob mittit munera ad Ioseph, ut intelligat is sibi deferri honorem et observantiam debitam; exiguum erat quod donabatur a Iacob, mel et amygdala et cum dicitur vulgo, munera placare hominesque Deosque, id ad humilitatem et gratitudinem animi referendum est, qua placantur animi superiorum.

Sicut Deo placet, quod colo et honoro eum ex toto corde et munuscula Abelis eam ob caussam erant grata et accepta, quod offerebat ea in timore et fide et hoc dono animum gratum declarare studebat; quando cor offertur, id Deo et regi longe gratissimum munus est, verum non semper animus simplex et sincerus est in donantibus.

Fuit igitur veteribus usitatum etiam exiguis et leviculis rebus placare principes et ipsi non muneris dignitatem, sed reverentiam, humilitatem, gratitudinem

animi spectarunt, qui enim cor dedit, etiam loculum dabit. Ad hunc modum mandat Iacob offerri munera principi Aegypti, ut si forte esset offensus, facilius se ad lenitatem daret et restitueret filium, atque ita sancti Patriarchae fide promissionis servati sunt et tamen omnia fecerunt quae poterant et debebant humano more fieri, ne tentarent Deum.

Explicanda vero erant vocabula quae hoc loco occurrunt, sed commendo ea Hebraeis diligentius excutienda et quaedam suprà 37. exposita sunt. Lingua Hebraea adbuc valde laborat in positiva et regulata grammatica. בָּטְנִים varié interpretantur, mihi illorum opinio placet, qui dicunt esse terebinthinam, gummi quoddam, sive resinam, quamquam hoc generale nomen est ad omnem liquorem sudantem ex arboribus pineis et abiegnis Terebinthina resina valde commendatur, eo quod insignis ejus usus est in medicina, et solent talia dona esse gratissima, quae producit natura in certis locis, ut thus in Arabia, item balsamum, myrrha et succinum Prutenicum etc. quamquam nihil dubium est, horum omnium copiam in Aegypto fuisse; et admodum tenue est, quod addit mel et amygdala, verum ut dixi antea, est declaratio animi timentis Deum et reverentis principem, quem ignorabat esse filium suum Ioseph.

Atque ita honorat pater et adorat filium, juxta somnium, et omnia facit quae pertinebant ad placandum ipsum, jubet etiam duplum argenti quod in saccis suis invenerant, solvi, ne videatur aliquid omittere, aut tentare Deum, sed hoc est excellentissimum munus, quod mittit filium Benjamin.

Hactenus vero de mandato, altera pars est precatio. Hic iterum describitur sanctissimi Patriarchae

vita admodum obscura et ignobilis, vilia sunt omnia quae facit, in nostris oculis, sed in conspectu Dei pretiosissima sunt: nihil est ibi prodigiosorum operum, non jejunia, non vigiliae, non funes et cuculli Monachorum, quae omnia sine verbo, proprio judicio et hominum reproborum traditione elegerunt, verum haec demum beata et sancta vita est, quae dirigitur ad normam vocationis et mandatorum Dei et promissionum, quibus fretus sustinet gravissima certamina, quae Papistae vilipendunt et exhibet Deo cultus gratissimos et mandatos verbo ipsius. Postquam enim fecerat quae poterant et debebant fieri ad cavendum periculum, addit orationem, qua significat se non deseruisse nec abjecisse promissionem, quamquam plorat, gemit, lamentatur in tribulatione et vexationibus, adeo ut videatur oblitus defensionis divinae, quae fuerat ei promissa. Emicat enim hic linum fumigans, nondum exstinctum et arundo quassata, nondum vero contrita, siquidem clamat et invocat, non tamen sine gemitibus maximis.

Brevis admodum, sed vehemens et ardens oratio fidei fuit, quia profecta est ex arundine et lino fumante, adeoque fidei et incredulitatis simul verba effudit; fide enim invocat, sed incredulitate angitur et desperat propemodum de Benjamin.

Quare autem sic timet et trepidat, quasi desperata res sit? Cur non exsultat et tripudiat, propter promissiones quas habet? Quia rebus secundis eorum facile recordamur, sed quando abscondit Deus faciem suam, mox animo dejicimur et tristamur; sufficit tamen quod linum non exstinguitur et quod clamamus, ut Paulus ait: Abba pater, quamquam hic clamor a nobis ipsis non auditur, sicut nec Moses clamorem

suum norat ad mare rubrum, sed qui scrutator est cordium, scit quid desideret spiritus, Rom. 8, 27. Ille quantus sit clamor iste intelligit, nos prae infirmitate non scimus, sicut ad Mosen dicit Dominus: Quid clamas ad me? cum ne hiscere quidem posset, constitutus in extremo discrimine, et summis angustiis, cor ejus mirabiliter palpitabat neque aliud animo et oculis obversabatur, quam praesentissimum exitium, sive ad Pharaonem qui eos insequebatur respiceret, sive ad mare rubrum oculos converteret. Ideo attonitus tanto periculo obmutescit ac forte secum cogitat: Quid si omnes submergemur, aut ab Aegyptiis trucidabimur? Ibi dicit Deus: Quid clamas? Non clamat quidem, sed scrutator cordis clamorem intelligit et exaudit.

Ad hunc modum orat Iacob et nititur promissione admodum infirmiter, quia miserabiliter ejulat et lamentatur, sed cum restet adhuc scintilla fidei et gemitus inenarrabilis, non desperat, sed orat.

Precatio autem non tam paucis verbis et cogitationibus absoluta fuit, sicut Moses eam breviter complexus est, invocavit enim et gratias egit, laudavit et pro Simeone et Benjamin precatus est gravissimis verbis.

Supra autem aliquoties hanc appellationem Dei habuimus אֵל שַׁדַּי ab ubere sive ab alendo, sicut Graeci Dianam suam nominabant *πολύμαστον*, quam colebant Ephesi et alibi, ut apparet ex 19. Cap. Act. quod aleret et sustentaret homines; sumserunt autem nomen a Iudaeis, ac eodem modo appellarunt idola sua quo Iudaei verum Deum nuncupabant.

Ita Iacob inquit: אֵל שַׁדַּי id est, Deus qui est omnipotens qui dat et facit omnia, qui pascit, gubernat, satiat, curat et conservat cuncta in suo esse, hic

Deus det vobis istam gratiam et misericordiam coram viro et principe Aegypti.

Intellexerunt per שַׁדַּי majestatem quandam nutricem et רֶחֶם uterum significat, a רָחַם misereri, quia totum genus humanum ac praecipue femineus sexus conditus est ad alendum et fovendum et nutriendum, cum in brutis, tum in hominibus. Psalm. 110, 3 מֵרֶחֶם e vulva, ab aurora ros generationis tuae oritur. Mulier igitur nomen habet ab officio alendi et pascendi, quod Graeci voluerunt reddere voce *πολύμαστος*, et Iacob hic praedicat Deum, quod sit gubernator, conservator, curator, quasi uterus maternus, sicut inquit Iesaj. 46, 4. Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva usque ad senectam, ego ipse et usque ad canos ego portabo; ego feci et ego feram, ego portabo et salvabo. Dicit se nos in utero suo, sicut mulier foetum solet, gestare, neque usque ad canos tantum, sed perpetuo.

Ita quasi forma feminea et materna sese nobis depingit Deus et testantur idem beneficia ipsius, quae confert in homines, sicut Paulus Act. 14, 17 inquit. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.

Fuit autem oratio haec gratissimum balsamum coram Deo et suffitus suavissimus, itaque nos quoque assuescamus, ut licet infirmi in fide, tamen oremus, ibi tum experiemur hoc quod ait Paulus. 2. Corint. 4, 8. „Contristamur supra modum, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus;“ si quis tribulatur, oret, si lae-

tus est, psallat, tantum non desperemus, de auxilio et benignitate Dei, qui tentat et vexat nos in salutem.

Usitata translatio habet (in vinculis) quod non est in Hebraeo, sicut supra monuimus fratres consulto mentionem carceris omisisse, ne magis perturbarent patrem.

Ceterum precationem ejus haud dubie exaudivit Deus et suavissimus error est, quod ignorat pater filium suum Ioseph vivere et regnare in Aegypto, sic enim ludit Deus cum Sanctis suis jucundissimo ludo, sed ipsis contrarium intelligentibus. Mittit filios et Benjamin cum instructione et muneribus in Aegyptum et orat, ignarus omnium consiliorum Dei.

Heremitarum et Monachorum exempla longe sunt diversissima, quia non habent tales promissiones de ordinis et vitae suae genere, ideo nec fidem, nec tentationes hujusmodi habuerunt, ea vero cum desunt, Diabolus ridet omnia opera eorum.

Postrema clausula admodum pathetica est: Ego interea orbus et absque liberis ero, das wird er mit Thränen geredet haben, verba sunt ejulantis et quasi desperantis. Mirabilis profecto historia est: Vir sanctus et per omnia tentatus et probatus in fide promissionis ad extremum adeo miserabiliter clamat, plorat, querulatur: שָׁכֹלְתִּי שָׁכֹלְתִּי, orbus sum, orbus sum, me miserum, quid faciam? mortua uxore carissima et Ioseph filio unice dilecto nunc etiam Simeone et Benjamin orbabor.

Cur Deus istum clamorem cum lacrimis et angustia non exaudit? Ingeminat enim querelam de orbitate sua, ich hab kein Kind, ich armer Mann, was bin ich nu in meinem Elend? Desperat et tamen non

desperat, quos affectus Sanctorum nemo intelligit, nisi experientia discat; ibi enim extrema potentia cum extrema infirmitate conjuncta fuit, Deus omnipotens, inquit, det ut inveniatis gratiam, rursus vero: Ego orbus, etc. Orat et desperat simul, neque aliter clamat et lamentatur ac infidelis quispiam, et tamen non potest orare sine fide. Haec igitur sunt insignia exempla piorum, quae nos erudiunt, ut statuamus quantumcunque desperata sint omnia, tamen non esse despondendum animum, etiam cum lacrimae fluunt, tamen cor dicat: Gott der Allmächtig helf, mit mir ists verloren, modo non in verba desperationis et blasphemiae prorumpamus.

Sicut hic desperatio proxima est, sed restat adhuc unus gemitulus, qui adeo potens est, ut impleat ambas aures Dei, imo coelum et terram. Hoc est quod Salamon inquit in canticis: Quae est ista, quae ascendit sicut virgula fumi wie ein wohlriechender Trocifs. Tenuissimus fumus est et pastillus odoratissimus, nihil potest cogitari tenuius et infirmius, sed quis cogit vaporem adeo exilem ascendere? Ignea vis fidei et orationis, quae replet totum coelum. Pauca verba fecit Iacob: Ego sum orbus, orbus, sed gemitus fuit maximus in conspectu Dei, ipsi vero et nobis levissimus; tales orationes admodum insignes et diligenter observandae sunt.

Porro haec querela de orbitate finem habet omnium afflictionum et calamitatum Iacob: jam sequentur laetiora, postquam absolvit Moses descriptionem aerumnarum ipsius, sed precationem hanc toto illo tempore saepe repetivit, dum abfuerunt filii mane et vesperi ingeminavit querelam illam: Ich armer Mann, ich armer Mann et gemitu et clara voce. Fuit talis

oratio qualis describitur Luc. 18, 1. Oportet semper orare nec defatigari, etc. ita incessanter oravit donec redirent et nunciarent preces ejus exauditas esse.

Atque ita in fine omnium calamitatum, in hunc luctum conjicitur, ut clamet et gemat: Orbus sum, orbus sum, oportet ipsum offerre filium suum, sicut Abraham mactavit Isaac, ita Iacob utrumque, Ioseph et Benjamin offert, in quibus sciebat haerere omnem spem et fidem promissionis. Fuit equidem gravissima crux, propterea etiam exaltatur.

Et haec exempla nobis proposita sunt, ut imitari ea et sequi discamus, quamquam Christi passio ante omnia perpetuo ob oculos esse debet, tamen infirmiora exempla Patriarcharum magis afficiunt, quam sublime illud filii Dei. In Christo major humiliatio fuit, quam in omnibus Patribus, sed nostrum cor non ingreditur, obstat enim hoc, quod scimus Christum esse Deum, Patriarchae vero vehementius nos movent, qui fuerunt homines et nobis per omnia similes, quando in extremis difficultatibus versati sunt. Christi exemplum admirabilius est in Sacramento et dono, quo factus est nobis redemtio et salus.

Acceperunt itaque viri illi munera et duplicem pecuniam in manum suam et ipsum Benjamin et surgentes descenderunt in Aegyptum et steterunt coram Ioseph. Quos cum ille vidisset et Benjamin cum illis, dicebat praefecto domus suae: Introduc viros illos in domum et macta et para, viri enim illi mecum prandebunt in meridie. Fecit vir ille quemadmodum praeceperat Io-

seph, introduxitque viros illos in domum Ioseph.

Arbitror Ioseph a longe vidisse fratrem Benjamin, cum nondum accessissent propius, fuit autem tum in loco publico, ad quem confluere solebant peregrini emturi frumentum, ideo jubet eos in domum suam deduci, necdum movetur conspectu eorum postea vero lacrimabitur.

Timuerunt autem cum essent introducti in domum Ioseph, dicebantque: Propter pecuniam ipsam, quae in saccos nostros ab initio reposita est, introducti sumus, ut devolvat in nos, irruatque in nos et capiat nos atque asinos nostros, servitutique subjiciat.

Causa timoris est, quod jubentur deduci, non in diversorium, ubi reliqui peregrini diverterant, sed seorsim in domum Ioseph, ibi tristissima et pessima quaeque de fratre eis in mentem veniunt, cum ipse nihil mali meditetur, sed optime eis velit. Ita pingit Moses malam et perturbatam conscientiam, trepidantem et paventem ad strepitum folii sonantis: qui enim non vult timere Deum bono et sancto timore in nomine Domini, is timeat falso timore in nomine Diaboli, quin etiam a pupillis oculorum suorum sibi metuat, ea enim digna securitatis poena est; propriissima vero descriptio est malae conscientiae, quae timet quod non est metuendum et quod metuendum est, non timet juxta sententiam Psalm. 14, 5.

Et exstat memorabilis et praeclara sententia Augustini in confessionibus: Iussisti Domine et factum est ita, ut poena sui sit omnis animus inordinatus;

qui Deum non timet, is sane ruinam domus suae aut vicini parietis, sive statuae formidet. Quare? ita jussit Deus, also soll es sein; qui veritatem non timet, timeat mendacium et pro vero Deo simulacrum aut phantasma colat.

Sicut olim sub Papatu magis exhorruimus ad cogitationem de Christo salvatore nostro, quam ad mentionem Diaboli, quem sperabamus nos posse effugere, aut quoquo modo ab eo liberari; sic enim nobis persuadebamus Christum judicaturum et damnaturum nos ac propterea invocabamus Mariam, et alios Sanctos, quia falsus timor etiam muscam volantem ac Deum ipsum benefacientem et protegentem, imo cibum ac potum quo alitur, formidat. Itaque mala conscientia tandem adigit hominem ad desperationem, ut secum ipse pugnet et sit flagelli et carnificis instar, sicut poetae pinxerunt Orestem agitatum furiis et similes.

Ad hunc modum jubet Ioseph introduci fratres in domum suam, non quod velit eis nocere, sed ut ostendat sibi gratum esse, quod adduxerunt fratrem Benjamin, nec habet eos amplius pro exploratoribus, sed judicat esse sinceros, bonos, integros, firmos et veraces. Illi contra haec omnia horribiliter trepidant, ac venit eis in mentem pecunia recondita in saccos, atque ita excruciat ipsos, ut non aliud animo persuasum habeant, quam pereundum sibi fore una cum Benjamin. Tantus est terror folii hujus sonantis, quod non in locum publicum, sed ad aedes Ioseph ablegantur.

Quare non licuit nobis divertere cum aliis peregrinis? dixerunt, certe periimus, haud dubie in tabulis accepti deprehendit deesse pecuniam nostram, ideo explorabit nos et extorquebit argentum illud, etc. Ibi nullas promissiones, sed meros pavores et vexationes

conscientiarum videas, cum Ioseph nihil minus cogitet, quam tormenta, cruces et supplicia, quae ipsi somniant; non vident animum et benevolentiam fraternam in Ioseph, sed hoc unum animo versant, quod repetiturus sit argentum ac reos furti ipsos acturus: huc accesserunt gemitus et querelae, quod filium Benjamin a patre abstulerant et utrumque in discrimen vitae adduxerant. Iam vere ut praesagiit mens paterna, dixerunt, ad inferos deducemus canos ejus, propter pecuniam introducti sumus, nihil est dubium, quin de nobis sit sumturus supplicium.

Haec nimirum crux est perturbatae conscientiae justissima, quare enim prius non timuerunt Deum vero timore? Iam suspicantur pessima ac miserabiliter exagitantur, cum nemo sit qui persequatur aut laedat, sed ut dicitur: Impius fugit nemine persequente, quia haec natura est conscientiae reae, fugere et expavescere, etiam cum omnia secunda sunt et tuta eaque in periculum et mortem convertere.

Tanta est miseria mentis sibi male consciae estque ipsissimus fructus peccati, qui in nihilum redigit hominem, cum omnibus consiliis, sensibus et viribus animi et corporis.

Amplificant vero causam tantae trepidationis. Volvet. s. causam et calumniam super nos et irruet super nos, hoc est, quod Latini dicunt: Opprimet nos subito, more tyrannorum, sicut Gen. 6, 4. de Niphlim dicitur: Fuerunt viri robusti et celebres, die grofsen Hansen, die die Leut drucken, non a statura magni et robusti vocantur, ut Iudaei exponunt, sed ab effectu et officio, quia irruunt in pauperes, eosque opprimunt, quae violentia Psalmo 10 describitur.

Dicunt igitur: Ipse volvet se super nos ad oppri-

mendam nos. Quid faciet? Wenns wohl geräth, erimus perpetuo servi; atqui nihil minus erat tum in rerum natura, quam cogitatio haec prorsus aliena, vana et stulta et tamen ita eos affligit.

Sed cur non apprehendunt verbum, quod ipsos erigat et corroboret, ut sine metu mortis et periculorum esse queant? Tantus stupor est, ut non possint recordari promissionum et concionum patris et jamdiu eas neglexerant; quia ergo contemnunt verbum, habeant mendacium et se ipsos metuant et fingant sibi tyrannidem et supplicia omnis generis. Hae enim sunt erynnes illae et cruciatus conscientiae perturbatae propter admissum scelus, quibus frustra et sine omni causa sese onerat et affligit, sicut celebratur vulgo dictum Cardinalis cujusdam: „Conscientia est mala bestia, quae facit hominem stare contra se ipsum,“ et Italorum usitata vox est: „Oportet conscientiam occidere et dicere, quod sit nihil.“ At quam diu sopietur malum istud? donec veniat lex, ea accusante et terrente ego occidor et me ipsum persequor, impugno, excrucio vanis et nihili cogitationibus. Ita praeter hoc, quod graviter peccamus in Deum, etiam nosmet affligimus, contra nos stamus et militamus, donec accedat frater, qui consoletur et erigat nos verbo ac dicat: Quid insanis, cur tibi somnia fingis? erras, Deus non irascitur tibi, abstulit peccatum tuum, etc. tali enim remedio et consolatione fratris opus habet animus seipsum excrucians.

Et accesserunt virum illum qui dispensator erat domus Ioseph, loquutique sunt ad eum ad ostium domus et dixerunt: Mi Domine, jam ante descenderamus ut emeremus alimentum, cumque venissemus in di-

versorium, aperuimus saccos nostros et en cujusque pecunia erat in sacco suo, juxta pondus suum, quam reportavimus in manu nostra. Sed et aliam pecuniam portavimus in manu nostra, ut emamus alimentum, nescimus autem quisnam pecuniam reposuerit in saccos nostros.

Non ingrediuntur domum Ioseph, sed ante fores consistunt, fortassis eo consilio et spe, ut possint aufugere; atque inde apparet, quam fuerint perturbati et anxii; cogitur autem et Benjamin innocens simul pavere, ac pecunia, quae signum erat summi amoris et benevolentiae fraternae tantum dolorem et tristitiam eis affert, quia mala conscientia optima quaeque interpretatur in deteriorem partem, quae sua natura sunt suavissima et jucundissima, ea vertit in absinthium et fel; quia universa creatura condita ad usum et voluptatem hominum, videtur aliena ac pestem et exitium minitari, sicut Iudicum 5, 20 dicitur: De coelo dimicatum est contra eos, stellae manentes in ordine et cursu suo pugnaverunt adversus Sisaram; ita expaverunt bellatores, ut metuerent suos equos et arma sua, quin etiam stellas, coelum, solem.

Eodem modo erga Deum affecta est, quando enim arridet et summopere nobis favet, tamen metuit iram ejus et judicat eum sibi adversari et irasci; itaque insignis vox fuit fratris cujusdam in nostro monasterio, qui solebat dicere afflictis et perturbatis: Deus non irascitur tibi, modo tu illi ne irascare. Gott zürnet nit mit dir, zürne du nicht mit ihm, nam tu potius ipsi succenses, atque is revera sensus est animorum consternatorum metu, quia cor immundum non potest videre Deum, sicut Christus dicit: Beati mundo corde,

quoniam videbunt Deum; itaque longe omnium infelicissimi sunt, qui non habent cor purum, non enim vident Deum, sed putant se intueri aut audire Satanam cum de Deo cogitant, loquuntur vel audiunt.

Neque quidquam tam salutare, tam bonum et jucundum in hora tentationis offertur malae conscientiae, quin vertat in pavorem, poenam et terrorem, ac nihil aliud potest, quam testificari et pugnare adversus nos. Ipsa denique jacente totus mundus non sufficit ad eam erigendam, quia est mors animae et erigere et excitare conscientias, nihil aliud est, quam suscitare mortuos. Itaque Ecclesia plures vivificat per verbum vocale, quod habet, quam Christus ipse suo ministerio, sicut inquit Ioan. 14, 12. „Qui credit in me, opera quae ego facio faciet, et majora horum faciet," quotidie igitur fiunt multa et magna miracula, quae nos non videmus neque mundus ea attendit.

Conscientia majus quiddam est, quam coelum et terra, quae occiditur per peccatum et vivificatur per verbum Christi. Demus igitur operam singuli, ut liberemur ab hac pessima et infernali bestia; absque ea enim si esset, infernus non haberet ignem aut cruciatus ullos, haec vero inflammat et roborat mortem et infernum, et universam creaturam armat contra nos, omnia enim irascuntur ac tristia, torva, tetrica, adversa sunt, non creaturae vitio, quae bona est nec minatur nec nocet nobis, sed nostra culpa, qui pavemus et fugimus.

Rursus vero laeta et secura conscientia perrumpit, triumphat et contemnit mortem et Diabolum, sicut egregie describitur Psalm. 112, 7. 8. Ab auditione mala non timebit, paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, etc.

Es zürne oder lach der Teufel und die Welt, so fraget er nit darnach, will er nit lachen, so zürne er aber. At animus sibi male conscius, etiam ad bonam famam expavescit, quia conscientia, ut dici solet, est mille testes, imo mille exercitus contra nos. Quomodo vero superentur terrores illi, alibi traditur in doctrina Evangelii.

At ille respondit: Pax vobis, nolite timere: Deus vester et Deus patris vestri dedit vobis thesaurum in saccos vestros, pecunia vestra pervenit ad me. Eduxitque ad eos Simeonem.

Hic dispensator fuit conscius consiliorum Ioseph, non enim potuisset hanc simulationem perficere sine fideli aliquo ministro, cujus opera in vendendo frumento potissimum usus est. Forsitan ipse reposuit pecuniam in saccos, alioqui non posset sic respondere.

Ait ergo: Habeo pecuniam vestram, quamquam eam non receperit, sed ad confirmandos et exhilarandos eos haec dicit, ac apparet eum imbutum fuisse doctrina pietatis ab hero, ait enim: Deus vester et Deus patris vestri dedit vobis thesaurum, hoc est: Deus, quem vos et pater vester colit; nihil est quod de pecunia vestra sitis solliciti, ego eam accepi, pervenit ad me. Et verum dicit, sed hoc tacet quod reddiderit et posuerit in saccos eorum: ita servus fidelis imitatur mores et pietatem domini sui, quamquam esset Aegyptius, non dicit habeo, aut non reposui eam, sed pervenit ad me, es kam zu mir, ich kriegts.

Sed nondum cessat metus, imo augetur suspicio

et scrupulos novus injicitur, quomodo nactus sit argentum ipsorum, aut quis reposuerit in saccos.

מטמון thesaurus, nomen habet ab occultando, quod defoditur et absconditur in terra; non ergo novus hic mos est, defodere argentum, quod hodie rustice furentur et miris modis faciunt, sed veteribus etiam usitatum fuit, ac sane magnam copiam pecuniarum sic defossam perire arbitror, idemque earum fatum est, quod hominum, sepeliuntur enim in terra et submerguntur in mari, factis naufragiis, perinde ut genus mortalium interire solet.

Hiob quoque ejus consuetudinis meminit Cap. 3, 21. „Qui exspectant mortem et non venit et scrutantur eam, sicut effodientes thesaurum.“ Item Jeremiae 41, 8. „Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei et olei et mellis,“ etc.

Post haec educit praefectus domus Simeonem e carcere, quo magis animos eorum erigat et confirmet, nec dubito fuisse tolerabilem custodiam, non locum ubi scelerati et sontes vinciri soliti sunt. Id vero magnum argumentum singularis clementiae et benignitatis fuit, quod statim in conspectum eorum adducitur ex vinculis frater; nondum tamen curam et sollicitudinem et metum omnem prorsus abjiciunt.

Ita pulcherrimum hoc spectaculum est malae conscientiae, quomodo erga Deum affecta sit et vicissim quantus sit erga ipsam favor et misericordia Dei. Quando enim tentat nos, objicit varia impedimenta, ne recta in faciem ejus intueri et ad thronum gratiae penetrare possimus, perinde ac si quis per otium ludat cum vermiculo, et humi reptanti virgulta aut frondes objiciat, ne possit prorepere, quo instituerat, sed

varie se vertere et torquere, adeoque omnem aditum tentare cogatur, qua possit evadere.

Sed hunc ludum divinae misericordiae et beneplacentiae nos ab initio non intelligimus et ipsa beneficia et gratiam occurrentem et impingentem in oculos nostros, interpretamur in nostrum terrorem et perniciem.

Atque idem nobis accidit, quod olim puero mihi et sodalibus meis, cum quibus stipem colligere solebam, unde nos et studia nostra sustentaremus. Cum enim eo tempore, quo in Ecclesia natalis Christi celebratur, in pagis ostiatim decantaremus quatuor vocibus carmina usitata de puero Iesu nato in Bethlehem, forte contigit, ut ad villam quandam in loco solo et extremis finibus pagi cujusdam sitam accederemus; inde prodibat rusticus, cum exaudisset canentes et agresti voce querebat ubi essemus, wo seid ihr, ihr Buben? proferens simul farcimina, quae erat donaturus, nos vero ad sonum horum verborum ita expavimus, ut diffugeremus omnes, quamquam nullam prorsus causam pavoris sciremus et rusticus summa voluntate offerret farcimina, nisi forte animi assiduis minis et crudelitate magistrorum, qua tum in Scholasticos saevire solebant, perculsi, facilius repentino terrore concuterentur. Tandem vero revocavit fugientes ac nos amoto metu accurrimus, stipemque accepimus, quam porrigebat.

Ad eundem modum quando conscientia rea et perturbata est, trepidare, et fugere solemus; fürchten uns für einer Bratwurst, atque etiam illos timemus, qui nobis optime cupiunt.

Caveamus igitur omni studio et diligentia lapsus sauciantes conscientiam, ac discamus confidere Deo,

ac animo tranquillo et pio ea accipere, quae offeruntur divinitus sive bona sive mala, sicut Psalm. 112, 7. 8 dicitur: „Ab auditione mala non timebit, paratum cor ejus sperare in Domino," etc. Item: „Iustus quasi leo confidens absque pavore erit" Proverb. 28, 1.

Quia mala conscientia nullo modo potest acquiescere aut converti ad Deum, nisi mortua, alioqui perpetuo fugit Deum, quem tamen nec fugere, nec exhorrescere debebat, siquidem tale bonum est, quod omnibus desperatis omniumque creaturarum praesidio et solatio destitutis unicum refugium esse debet. Sed animus sibi male conscius potius in mille rerum formas verteretur ac citius per saxa, per ignes, per aheneos montes denique ad Diabolum ipsum ferretur, quam ad Deum accederet.

An non ingens haec et deploranda miseria est, quod hunc metuimus et aversamur, de quo toties Scriptura sancta affirmat, quod factus sit nobis refugium a generatione in generationem, imo si pater et mater nos desererent et abjicerent, suscepturum ipsum abjectos juxta sententiam Psalm. 28. „Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me." Itaque si universa creatura nihil aliud sonaret, quam te perditum, maledictum et damnatum esse, dicendum tamen erat cum Psalm. 73, 26. 27. „Dummodo te habeam, nihil mihi corpus et anima, tamen tu Deus perpetuo es consolatio cordis mei et possessio mea." Was frag ich darnach, wenn ich nur ein gnädigen Gott hab.

Vide quaeso, quid gentes faciunt, quae ignorant verum Deum et tamen in omnibus necessitatibus currunt ad hoc, quod ipsi habent pro numine: invocant Martem, Dianam, Iovem, etc. quo cultu et adoratione

idolorum, testantur esse Deum tale numen, ad quod confugiendum sit in periculis et calamitatibus, quamquam nomen et honorem Dei falso tribuunt sculptilibus et creaturis, ut Rom. 1, 23 dicitur.

Haec igitur notitia omnium hominum mentibus insita est, quod receptum habere ad Deum afflicti debeant. Ea est major in syllogismo nec vocari potest in dubium, nisi a Saducaeis et Epicureis, sed minor est falsa: Hoc idolum est Deus, ibi corruptio naturae nostrae apparet, qua fit, ut a vero Deo aberremus.

Norunt itaque omnes Deum esse refugium nostrum et implorant ejus auxilium et praesidium, sed ad Deum nominatum et manifestatum in verbo suo nemo accedit cum fiducia. Conscientia terretur et refugit, quia est immunda et ignara Dei; non igitur videt Deum, sed beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt, non resiliunt, sed stant immoti fide et invocatione, sicut praedicat robur et fiduciam illorum Psalmus 112, 8. Confirmatum et constabilitum est cor ipsius, etc. ac talibus revera adest et auxiliatur Deus.

Deinde introduxit eos vir ille in domum Ioseph et dedit eis aquam ut lavarent pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. Et illi parabant munus interim, donec veniret Ioseph meridie, audierant enim quod ibi comesturi essent panem.

Vetus mos fuit lavare pedes hospitum, etiam in historia Evangelica celebratus et a Christo servatus Ioan. 13 et Paulus inquit de vidua 1. Timot. 5, 10. „Si liberos educavit, si fuit hospitalis, si pedes Sanctorum lavit.“ Fuit pulcherrima consuetudo in populo Iudaico, hodie vero exolevit et mansit tantum cere-

monia in Ecclesia Papistica; quam solenniter observant reges, episcopi et abbates in die Coenae Domini, cum succincti linteo lavant pedes duodecim pauperum et postea coenantibus ministrant; ita enim voluerunt imitari exemplum Christi, ut superbirent et gloriarentur in illo opere, interea vero occidunt Christianos, defendunt impia dogmata, persequuntur verbum, fundunt sanguinem innocentem atque hac ceremonia se ornant et tegunt crudelitatem suam.

Olim in monasteriis peregrinis fratribus lavabant pedes Monachi, additis novis cultris et calceis, ducebant item in hospitia seorsim ac laute eos tractabant, haec fuit imitatio antiqui et laudati moris, qui non sine magna difficultate in Ecclesiam reduci posset. Principes aliqui et Papistae toto anno non lavant pedes pauperibus, cum lavant certo tempore, eliguntur homines prius loti. Ea vero mera hypocrisis est, quae cum exemplo et voluntate Christi neutiquam convenit. Pii pastores et Scholastici ac peregrini qui afferunt testimonia et commendationes ab honestis hominibus negliguntur, pauci privati qui haec officia intelligunt et sciunt Deo probari, adhuc benefaciunt, quibus debent et possunt.

Sed non temere quilibet excipiendus est hospitio, nisi habeat testimonia aliorum, sicut Corinthii Apollinem non sine literis recipiebant, ut scirent quem exciperent et cui benefacerent. Nam improbitas erronum et impostorum coget aliquando pios modum facere liberalitatis et beneficentiae erga egenos, cum vagentur plurimi hypocritae ad mendicationem assueti, qui nomine et specie exsulum praeripiunt vere pauperibus beneficia; nam hi qui lotione et aliena liberalitate opus habent, saepe verecundia et modestia qua-

dam deterriti, verentur Ecclesiae et piorum opem implorare, tacent et mussitant mala quibus premuntur, non vagantur, sed sustinent aequo animo aerumnas, exsilia et inopiam, tametsi saepe pane, quo vescantur, careant.

Sed impostor aliquis facillime se ingerit et rapit ea quae conferenda erant in calamitosos et insumit in aleam et comessationes, nostramque facilitatem ridet; nec magistratus ea in re officium suum facit, qui ejusmodi latrones et fures arcere a suis ditionibus et oppidis debebat, neque quidquam largiendum erat hominibus ignotis et absque piorum testimoniis advolantibus, quamquam et horum numerus indies crescit, qui afferunt literas honestorum hominum et quocunque damno dato eleemosinas nostras expetunt, cum et nos et cives nostri non ita abundemus opibus, ut omnium inopiam, qui huc confluunt, levare possimus, neque exigua multitudo egenorum civium nobiscum est, qui prae ceteris alendi sunt.

Sed frustra haec monemus in tanta dissolutione disciplinae. Iudaeorum certe et Ioseph in Aegypto liberalitate non puto promiscue omnes usos esse, nec constat, an fuerit solennis consuetudo totius Aegypti, lavare pedes peregrinorum, aut certe delectum eos habuisse nihil dubium est, fuit enim Ioseph diligens observator personarum, inquisivit in singulos, qui essent et unde venirent.

Si fuit patrius mos, facile fuit praestare hoc officium, sed exploratis, sicut supra audivimus, quod Rahel introduxit servum Abrahae in domum patris, dedit aquam pedibus et pabulum asinis, quia norat eum ex familia Abrahae illuc ablegatum esse, nec fuit eo

tempore tanta multitudo erronum et nebulonum, quanta hodie est in toto mundo.

Sed decebat principes et respublicas in tales imposturas et rapinas mendicantium inquirere et severe animadvertere in fucos hos, qui nos spoliant et egenis qui nobiscum sunt, beneficia piorum praeripiunt; sciunt enim pii requiri a Deo hanc liberalitatem erga pauperes in Ecclesia, ideo praebent eis hospitia, alimenta, vestes, lotio vero pedum usitata Papistis mera simulatio et hypocrisis est, qua nec gloriam Dei, nec proximi commodum quaerunt, sed tantum electitium illud opus ostentant.

Ingresso vero Ioseph domum, intulerunt ei munera tenentes in manibus suis, prociderantque coram illo in terram. At ille clementer resalutatis eis interrogavit eos: Pater vester senex, de quo mihi dixeratis, rectene valet, vivitne adhuc? Responderunt: Pater noster servus tuus recte valet et vivit adhuc, et inclinato vertice adoraverunt eum ad terram.

Adorare significat genibus flexis inclinare, aut abjicere se ad pedes alterius. Moses dicit eos adorasse ad terram, hoc est, pronos et incurvatos vel genibus terram tangentibus supplices factos esse, ibi igitur somnium impletum est, quod supra recitavit fratribus. Gen. 37, 7.

Ioseph vero interrogat ipsis pacem, sic enim est in Hebraeo, hoc est, clementer eos salutat, grüfset sie freundlich. Psalm. 122, 6. Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem, hoc est, precamini ei felicitatem et salutem, sicut nostris salutationibus bene precamur

aliis: Gott geb euch Gnad, Gott geb euch einen guten Morgen, guten Abend, Deus benedicat et benefaciat vobis, Gott sei euch gnädig, geb euch Glück und Heil, id enim significat Hebraeis pax.

Ita perseverat Ioseph in significatione benevolentiae et caritatis eximiae erga fratres, ut certo sibi persuadeant esse ipsum benignum, clementem, propitium atque ita tamen se gerit, ut decet magistratum custodem disciplinae, quem in primis ornat misericordia et clementia.

Deinde quaerit de parentis incolumitate: Numquid pax patri vestro seni huic? Respondent ipsi: Est pax, et inde colligi potest vis hujus vocabuli, ut supra 37, 14 mittit Iacob filium Ioseph ut videat an sit pax fratribus, ovibus et pecori, an recte habeant, ob's ihnen wohl geht. Antea vero audiverat esse patrem superstitem et salvum, sed ut magis confirmetur denuo quaerit; ipsi secundo adorant, sive incurvant se, sicut nos hodie capite aperto, aut poplite flexo aliis honorem et reverentiam deferre solemus.

Sublatis autem oculis vidit Benjamin fratrem suum, filium matris suae dixitque: Estne iste frater vester minor natu, de quo mihi dixeratis? Et ait: Deus misereatur tui fili mi.

Supra audivimus Ioseph procul conspicatum fratrem Benjamin, hic propius eum intuetur domi suae et appellatur Benjamin filius matris ejus, propterea quod solus esset uterinus et reliqui fratres germani ex eodem patre nati. Hic vero incipiunt πάθη et lacrimae ad conspectum fratris et mentionem parentis, Deus, inquit, misereatur tui, faveat tibi fili mi.

Haec verba animum ipsius admodum commoverunt, non solum enim adspectu fratris afficitur, sed et recordatione matris et patris, omniumque rerum quae domi gestae erant; venit ei in mentem dulcissimam matrem in partu propter hunc filium exstinctam esse anno proximo ante venditionem, cogitavit simul, quot et quantae aerumnae parentibus et ipsi fuerint perferendae per totam vitam, praesertim vero biennio illo, quo obierat mater et quod in fine anni illius quo natus erat Benjamin, venditus esset Ismaelitis.

Haec omnia viso fratre animo oculisque ejus obversata esse, nihil dubium est, et arsit cor tenerrima στόργῃ erga Benjamin et parentes, ideo inquit: Deus misereatur tui mi fili, quasi dicat: quanto dolore enixa est te mater nostra, quantis vero difficultatibus et curis jactati sumus parens et ego, donec daretur mihi vestro conspectu et consuetudine iterum frui, ach Gott wie saur ists deiner Mutter worden und mir und deinem Vater, ehe ich dich wieder sehe. Da wird nu sein Herz eitel Wasser werden.

Festinavitque Ioseph (incaluerant enim viscera ejus erga fratrem suum) et quaesivit ut fleret et ingressus cubiculum suum flevit ibi.

Vide quanta vis sit naturae, quae quanto melior est et integrior, tanto excellentiores atque ardentiores στόργας habet nec tollit aut corrumpit eam gratia et Spiritus sanctus, ut Monachi somniarunt, sed corruptam sanat et restituit in integrum. Id enim ex hoc exemplo Ioseph apparet, qui adeo vincitur στόργῃ ut cor et oculi ejus liquescant et solvantur in lacrimas.

Totus stupet et obmutescit prae nimia miseratione, qua afficitur erga fratrem et parentes.

Itaque non frustra inquit Moses (festinavit) er kann der Ehr nit auswarten die sie ihm thun; postquam proloquutus est verba benedictionis ad Benjamin, properat ad conclave suum. Ipsi nesciunt quid sibi velit festinatio haec et subita aversio vultus, quin etiam indignationis et odii argumentum clam interpretantur; ex oratione judicant eum principem benignum et clementem, sed quid sibi hoc vellet, quod tam subito abrumperet sermonem, non intelligunt. Nullam vero aliam ob causam confert se in penetralia domus, quam ut lacrimis indulgeat, er hat müssen ausweinen.

Atque hae quidem insignes historiae Sanctorum sunt, quae testantur naturam non mutari, sed servari a Deo, sicut stolidum et vesanum Monachorum vulgus docuit deserendos esse parentes, uxores et mundum, secedendum esse in monasterium. Sed qualis tum societas humani generis, aut tota denique vita erit? non equidem sanctimonia illa aut cultus divinus, ut perhibuerunt, sed furor Satanicus fuit. Quando autem necessitate et mandato Dei adigeris ad desertionem hanc, ut cum Iacob cogitur relinquere filios Ioseph et Benjamin aut Abrahae mandatur mactatio Isaac, quando in prima tabula prohibet Deus, praeferri sibi patrem et matrem, tum parendum est voci divinae, quae exstat in Deuteronomio. Qui dixerunt patri suo et matri suae: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro illos: et nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt, etc., sed in secunda tabula quo melior, praestantior, sanctior natura

est, hoc magis honorat parentes, diligit uxorem, liberos, fratres.

Monachi vero haec tanquam carnalia et a Deo damnata aversantur et conculcant: in prima tabula sunt idolatrae et blasphemi, colunt Diabolum sub nomine Dei, in secunda neglectis operibus a Deo praeceptis, sectantur studia et traditiones hominum, sicut Achas posthabitis primae tabulae cultibus, colebat Deum sacrificiis filiorum suorum, sic enim cogitabat se insigne opus facere offerendis filiis, ad exemplum et imitationem summi Patriarchae Abrahae; sed quis jussit?

Itaque in secunda tabula vult Deus ardentissime diligi parentes a suis liberis et vicissim liberos a parentibus, atque ea certe non est vita secularis, sed spiritualissima propter quartum praeceptum: Honora patrem et matrem, etc. quod est proximum mandatum post primam tabulam. Iubet item subditos parere magistratibus et hos cum sollicitudine illis praeesse; non igitur fugienda sunt officia et opera quarti praecepti, sed summo studio amplectenda et obeunda. Sed mundus sui similis est et furenter haec omnia pervertit.

Diligenter igitur notandi sunt tales loci, in quibus celebrantur στόργαι φυσικαὶ et affectus Sanctorum, quibus ita moventur, ut molliores videantur, quam homines profani et ethnici. Adeo enim contristantur et dolent, tam tenere diligunt suos liberos, ut quovis gentili infirmiores se praebeant, adeoque in utramque partem mirabilis vehementia et ardor in eis conspicitur; huc addendum est et praeceptum Pauli, qui inquit: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.

Sic poterit refutari Monachorum et Eremitarum

ἀπάθεια, propter quam olim vita eorum solitaria apud vulgus in admiratione fuit, multosque secum in eundem errorem et perniciem pertraxerunt, et Monetarius nostris temporibus eam rursus in Ecclesiam invehere conatus est.

Recitantur in vitis Patrum plurima monstrosa exempla Monachorum, quae et furorem illorum et caliginem superioris seculi monstrant, ut duorum fratrum ad quos venit mater ut videret filios suos, quos longo intervallo temporis non fuerat conspicata, ipsi vero clauso ostio abdiderunt se, ac precantem ut admitteretur, jusserunt discedere, ac interea aequo animo hanc orbitatem ferre, donec in aeterna vita ipsi apparerent. Ego si eo loco fuissem magistratus, cellam monasticam jussissem igni cremari; cur non meminerunt se suxisse lac maternum et esse homines matre illa in hanc lucem editos? Sed haec Monachi valde admirantur et praedicant, dicunt fuisse viros fortes et constantes, qui potuerint contemnere matrem, nulla ratione habita praecepti divini, non de excludenda matre, sed de colendis et honorandis parentibus.

Ideo alius quispiam Eremita dignas stultitiae poenas dedit, cui dixerat Diabolus venturum ad ipsum daemonem in specie parentis ejus, cum intellexisset patrem velle invisere filium. Cum igitur advenisset parens, progreditur Monachus et spectrum esse ratus, arreptam securim capiti patris illidit, eumque trucidat, postea vero vidit non daemonem, sed parentem suum fuisse. Talibus sane illusionibus Satanae exagitandi fuerunt hi, qui proprias vias et studia elegerunt, quin potius apud parentes, uxorem, liberos manes, donec Diocletanus aliquis veniat et abripiat patrem, filios,

etc. Ibi ad summum cultum primae tabulae deduceris, confitendo Christum et praeferendo ejus doctrinae professionem omnibus quae in hac vita merito sunt carissima.

Ceterum affectus non exstinguuntur per Spiritum sanctum, verbum et fidem, sed augentur, ut apparet in hisce Patribus, qui ardent vehementissimis affectibus, sicut dicitur hic de Ioseph: נִכְמְרוּ incaluerant viscera, sive miserationes ejus.

Ab eo autem verbo Iudaei vocant Monachos nostros כְּמָרִים et Nonnas כְּמָרוֹת quasi indutas nigris vestibus. Id vero sua quadam opinione et arbitrio faciunt, non enim habent grammaticam, multo minus sententiam verborum in sacris literis ac genuina vocabulorum vis petenda est nobis ex contextu et exemplis, ut hujus phrasis explicatio sumi potest ex loco 1. Reg. 3, 26 ubi dicitur de matre pueri superstitis: incaluerant viscera ejus ob filium suum.

Verior igitur haec etymologia est, quare Monachi dicantur כְּמָרִים a religione et vita severiore, quia prae ceteris hominibus ardorem quendam et zelum cultuum divinorum prae se ferunt et propterea secedunt e communi consuetudine hominum, nolunt esse conjuges, politici, aut ecclesiastici, sed segregant se a tribus hierarchiis divinitus institutis.

Exstat eadem vox cum Iosias abolet כְּמָרִים quae videtur fuisse peculiaris secta sacerdotum aut religiosorum, qui aliis voluerunt praestare et ardentiores esse in studio pietatis, sicut mulier illa ardebat commiseratione erga filium; eos ejecit e regno Iosias, instaurata vera doctrina de Deo et destructis multis aliis idolis. Non igitur a vestitu arbitror Monachos כְּמָרִים dici posse, sed a singulari devotione.

Tales fuerunt cultores (Miplezet) et sacerdotes Baal, qui antecellere reliquis religione et sanctimonia studebant ac tantam conjunctionem cum Deo jactabant, ut appellarent Deum sponsum vel maritum suum, id enim significat Baal, qua appellatione efferebant se supra omnem alium cultum, quasi reliquum vulgus non satis ardenter Deum coleret, se vero sponsos et sponsas Dei nuncupabant, ideoque praeter sacrificia Mosaica longe rigidiores observationes deligebant, prorsus ut hodie Monachi et praecipue Charthusiani, qui rectissime Baalitae dicerentur.

Contemserunt enim verbum, baptismum et sacramenta, propterea quod minus splendida essent et non incurrerent in oculos hominum. Quid caritas, spes, fides dixerunt, quae ab Apostolis tradita sunt, nos qui rasis capitibus et cincti funibus incedimus, qui non vescimur carnibus; abstinemus a deliciis et voluptatibus conjugii, a politia et universa societate generis humani, vere sancti sumus et Baalitae, nihil ad nos vulgus illud hominum, quod nihil praeter officia communis vitae intelligit.

Ita Monachatus nihil aliud est, nisi contemtus divinorum et coelestium ordinum et operum, quae instituit et approbavit Christus, sacramentorum, Decalogi, Psalterii, Catechismi et totius Scripturae sanctae. Ipsi vero meris mendaciis, somniis et fucis imposuerunt miserae plebi, adeoque effecerunt ut et baptismus et sanguis filii Dei contemneretur prae illorum larvis.

Quasi vero exigua haec sanctitas sit, esse baptisatum et mundatum sanguine Christi, esse Christianum et membrum Christi, esse socium Prophetarum et Apostolorum, Angelorum et omnium Sanctorum. In-

gens certe haec gloria est, quam ipsi obscurarunt suis Camariticis et Baaliticis cultibus.

Ideo summo studio adversus eos dimicandum est et extollenda est gloria baptismi, Christi, Decalogi, Evangelii. Haec discenda et exercenda sunt in vita, sive celebs vivas sive conjunx, sive magistratus sive subditus sis, modo discas Evangelium, baptismum, Symbolum, eaque summo studio colas et mediteris, illa autem monstra, funes et cappas Monachorum conculces, quibus homines miserabiliter seducti et perditi sunt ab homine illo peccati et filio perditionis.

Et lavans faciem suam exivit et continuit se et ait: Apponite panem.

Verbum אָפַק significat se continere, verum non est continentia in victu cultuque corporis, sed animi affectibus, misericordia et amore; est simulare constantiam et fortitudinem quandam, cum intus totum cor liquescat commiseratione, ut de Ioseph dictum est supra et tamen continet se ne fratres deprehendant eum plorasse, proprie fest halten, und sich mit Gewalt anders stellen denn einem zu Sinn ist, aliud simulare atque sentias, ut qui pavidam et perturbatam conscientiam habent, nihilominus vero fortes et impavidi videri volunt; ut Monachi simulant se fugere mundum, sed ea continentia est simulatio Stoica, nemo autem Stoicorum hoc facit quod simulat.

Sic omnes hypocritae continent se, fingunt fortitudinem et duritiem quandam, sed est merus fucus; Ioseph vero cum totus arderet affectibus, ita ut vix a lacrimis sibi temperaret, quarum partem jam profuderat, tota vi se reprimit, jubetque convivium apparari,

simulata fortitudine, quae illam *στόργην* erga fratrem aliquantum moderatur et tegit, sed cor ejus interea lacrimis et flammis amoris exundat.

Ponere panem hebraea phrasis est, hoc est, parare convivium, per synecbdochen enim panis pro cibo et potu sumitur.

Et posuerunt ei seorsim, illisque seorsim, Aegyptiis quoque qui cum eo comedebant seorsim, quia non possunt Aegyptii comedere cibum cum Hebraeis, siquidem abominandum est hoc Aegyptiis.

Describitur hoc in loco patrius mos Aegyptiorum, qui adeo abhorruerunt a consuetudine Iudaeorum, ut non licuerit cuiquam cum Iudaeo cibum capere; fuit enim hoc, ut Moses ait, abominandum Aegyptiis, qui non solum superbia quadam et fastu, sed et superstitione prae se contemserunt omnes alias gentes, nedum Iudaeos, idque testantur non sacrae literae tantum, verum etiam Ethnicorum scripta, ut in Herodoto et aliis celebratur eorum superbia et superstitiosa religio, et in Psalm. 87, 4 et Iesa. 30, 7 appellatur רָהָב, id est superba. Memor ero רָהָב etc. et infra instruit Ioseph patrem suum et fratres, ut dicant regi se esse pastores ovium, ut possint habitare in terra Gessen, quia detestantur Aegyptii omnes pastores ovium.

Fuit igitur populus insolens et elatus prae omnibus nationibus orbis terrarum, propter regnum florentissimum et opulentissimum in terra admodum fertili, quam Nilus quotannis inundans et irrigans fecundabat, itaque facillimam rationem victus et annonae in Aegypto fuisse necesse est. Habuit quoque vicinam Ara-

biam et mare rubrum, unde omnis generis merces importatae sunt in Aegyptum, sicut hodie Gallia superbissimum regnum est propter fertilitatem. Superbiunt ergo haec regna etiam coram Deo, quia habent immensam benedictionem, sicut decor et gloria Aegypti celebratur a Prophetis, quod similis fuerit paradiso Dei.

Altera vero et potior causa superbiae fuit religio, qua alios antecellere se putarunt, ceterisque gentibus mundiores et sanctiores haberi voluerunt. Supra enim dictum est quanta fuerit illorum superstitio et in eum usum multos ariolos, sapientes, magos, astrologos aluit rex.

Arbitror autem et propter circumcisionem Iudaeos fuisse exosos Aegyptiis, quaelibet enim religio peculiares notas et ritus habet diversos ab aliarum gentium religionibus, illisque abominandos, sicut Turcae Christianos propter baptismum aversantur, ut ne mensa et vix etiam servitute eos dignentur. Sic supra uxor Potipharis dixit introductum ad se servum Hebraeum, cum magna contumelia, quasi dicat: Iudaeus ille voluit mihi vim inferre, minus indignum et ignominiosum fuisset, si nobilis aliquis Aegyptius id tentasset, non circumcisus ille de genere et populo turpissimo.

Neque vero Iudaeos solum abominati sunt, sed et pastores ovium, gentiles et populares suos contemserunt, et sicut Constantinopoli dicunt homines obscuros et inopes ab arce tyranni Turcici fustibus abigi solere, ne sint ipsi in conspectu, ita Aegyptii pastores suos aversati sunt, tanquam abjectos et infimae sortis homines, cum secundum ordinationem politicam, tum secundum religionem, quasi hi qui loco illustriore essent, sanctitate quoque reliquis praestarent.

Sic Iudaei divitem illum epulonem, qui induebatur purpura et bysso beatiorem, Deoque gratiorem statuebant, quam Lazarum jacentem ad fores ejus, plenum ulceribus, et in Psalm. 144, 15 ea opinio impiorum commemoratur: Beatum dixerunt populum cui haec sunt.

Ita Turci quoque habent nos pro damnatis propter calamitates et aerumnas, quas sustinemus, sibi vero aeternam felicitatem promittunt, propterea quod in hac vita opibus et potentia florent. Haec Aegyptiorum philosophia et Turcica religio est, quam refutat doctrina Christiana, sicut alias docetur.

Describit ergo Moses ritum conviviorum apud Aegyptios, quod proceres et consiliarii, quorum opera et consiliis utebatur Ioseph in administranda republica, seorsim comederint. Lyra vero et alii hanc rationem afferunt, quare Aegyptii tantopere detestati sint Iudaeos, quod hi solerent pecudes quasdam mactare, quas illi adorabant, et est verisimilis ratio, quia infra Exod. 8, 26 inquit Moses: Non convenit ut ita faciamus, abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro, quod si mactaverimus abominationem Aegyptiorum coram eis, lapidibus nos obruent. Colebant enim Aegyptii Apin, quod ipsorum lingua bovem sonat, nec fas erat mactare bovem aratorem. Sed hic puto aliam causam esse, siquidem fratres Ioseph comedunt de mensa ejus, nec mactaverunt ibi oves aut boves, cum essent hospites et peregrini.

Alia vero quaestio oritur magis conveniens huic narrationi, quare Ioseph sanctissimus vir et propheta, consenserit et sequutus sit hominum impiissimorum et superbissimorum ritum, cum supra dictum sit aliquoties ex Psalm. 105, 22 quod docuerit illos suam

sapientiam, eosque erudierit sicut animam suam; quare igitur non damnavit morem impium, quin etiam hec concessit, quantumvis esset gubernator totius regni, quod ipsum quoque a se segregarent et seorsim cibum caperent. Mira profecto res est. Sciebant eum esse Hebraeum, quam gentem Aegyptii abominantur, sicut de se praedicavit in carcere: Furtim sublatus sum de populo Hebraeorum, etc. et pincerna ad regem inquit: Erat ibi puer Hebraeus: et tamen constitutus est princeps super totam Aegyptum, cum quidem constaret omnibus eum ex gente contemta et detestabili oriundum esse, et manserunt in illa consuetudine Joseph cum Aegyptiis ritus utriusque populi, ipso sciente et assentiente?

Respondeo. Historiae sacrarum literarum testantur nullam unquam nationem prorsus incorruptam et ab omni vitio immunem fuisse. Moses eduxit filios Israel magno numero et de iis dicit Bileam Num. 23, 23. „Non est idolum in Israel,“ et tamen Amos Cap. 5, 26 dicitur: „Et portastis Sicchuth regem vestrum, et Chiun idola vestra et sidus Deorum vestrorum, quos vobis fecistis.“ „Atque idem Stephanus confirmat Act. 7, 42. Convertit autem Deus et tradidit eos servire militiae coeli, sicut scriptum est in libro prophetarum.“ Ergo Moses non habuit ita purum populum, ut apparet, sed manserunt saltem aliqui in impietate sua.

Sicut ipse queritur Deutr. 29, 19. „Cum audierit verba comminationis hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi et ambulabo in pravitate cordis mei et assumat ebrius sitientem, etc.“ Ibi significat fuisse aliquos Iudaeos impios, et idolatras, sed per synechdochen dicitur: Non est augurium in Israel.

Ita Psalm. 105. praedicatur pietas, et fides ipsorum, cum omnibus beneficiis, quae Deus gratis ipsis donaverat. Rursus Psalm. 106, 21 vituperatur eorum incredulitas: „Obliti sunt Deum, qui servavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto," etc. Non igitur putabimus omnes fuisse justos in populo Israelitico, tametsi omnes transierint per mare rubrum, sed propter aliquam partem bonam et piam reliqua turba fruitur beneficiis Dei, quae solet conferre Ecclesiae.

Atque idem omnibus temporibus solet fieri et hodie nulla alia ratione consistit mundus et servantur imperia, quam quod colligit sibi Deus Ecclesiam in medio nationis pravae. Quod est aliqua respublica et politia, hoc non acceptum ferendum est principibus aut regibus, qui fere impii et pessimi homines sunt, sed omnia conservantur propter verbum, baptismum et sanctum semen quod reliquum est in Ecclesia; si enim esset absque piis et salvandis, non staret mundus, et quando novissimi Sancti vivent, mox aderit extremus dies, Deus enim non curat politiam et oeconomiam, nisi propter Ecclesiam.

Ceterum semper adjuncti sunt populo sancto homines impii et hypocritae, ut in historia Davidis, qui fuit rex sanctissimus, apparet. Vide enim miserabiles querelas ejus, quibus non tantum tyrannos in politia accusat, sed multo magis impios et falsos doctores. Cum igitur nec Moses nec David nec alii reges et Prophetae, Elias, Eliseus, etc. potuerint omnia abolere et in integrum restituere, quae sua aetate vitiosa et culpanda erant, quid mirum est, si hodie quoque vivendum nobis est cum impiis et sacrilegis?

Ad hunc modum Ioseph quoque correxit, quae potuit corrigere et quos potuit salvare, eos erudiit et

servavit, sed magna pars mansit in errore et superstitione majorum suorum; ergo omnia illa per synecdochen intelligenda sunt, quae in Psalm. 105, 22 commemorantur: Docebat principes et seniores sicut semetipsum, etc. videlicet, non omnes, sed aliquos et hoc sufficit.

Nihilominus tamen Pharao dat ei plenam potestatem in politia et utitur eo, tanquam fideli ministro, quamquam in gente vilissima et contemtissima natus esset, permittit ei ut utatur sua lege, et ceremoniis, ut abstineat ab iis, a quibus soliti fuerunt Patres ejus abstinere; non mutat rex totum regnum, sed sinit currere verbum et doctrinam Ioseph et permittit ei propagationem religionis suae, quoad potest fieri, in politia vero universam gubernationem ei committit.

Tantum regnum non potuit perfecte emendari, ut non manerent aliqui impii sicut etiam in politia haud dubie complures scelerati fuerunt.

Ita nos agamus gratias Deo, quod multos nobis adjungimus per verbum, ceterum oportet nos vivere cum idolatris sive sub Turca sive sub Carolo. Manet illud perpetuo quod exprobat Amos populo Israelitico: Coluistis idolum vestrum Remphan, etc.

Quae igitur Ioseph non potuit mutare aut corrigere, permisit judicio Dei, et servavit id quod vulgo dici solet: Mitte vadere, etc. sicut hunc morem nequivit abolere, quin Aegyptii abominarentur Iudaeos, nec decebat eum concitare populum et seditionem movere. Cogimur igitur ferre malitiam et furorem impiorum, sicut Baalitas, Miplezeth, Camarim tulerunt Elias et alii Prophetae maxima multitudine, nihil enim erant septem illa millia relicta tempore Eliae ad totum populum. Nostrum est praedicare et docere, Deus au-

tem dat incrementum, alias magis, alias minus; hortamur quidem, arguimus, increpamus, statuimus exempla, quando vero videmus nos nihil proficere, dicamus: Domine Deus tibi permitto et commendo haec omnia.

Cum igitur liberet Aegyptiis seorsim comedere, reliquit eis Ioseph morem patrium et traditionem majorum, reliquos vero qui audiverunt verbum et ab ipso non abhorruerunt, eos benigne suscepit. Idem solet fieri omnibus temporibus et nationibus.

Fuit autem talis ritus convivii, qualis sub Papatu Monachorum erat, discubuerunt mensis longiusculis, ut possent se invicem aspicere, sicut in textu dicetur: Sederunt coram eo vel in conspectu ipsius, vel e regione, Proceres vero ad dextram et ad sinistram Ioseph accubuerunt, et videntur hunc ordinem servasse in apponendo cibo, ut primum ad principem deferretur, cujus arbitrio et voluntate reliquis distribueretur, etiam Proceribus.

Hic laudatus et utilis mos fuit apud populos orientales, ut singulis cibus et potus demensus daretur, ea magna parsimonia fuit, quae moribus Germanorum non congrueret; quilibet dimensum suum carnis et panis habuit, non onerarunt mensas quadringentis et quingentis ferculis, quod hodie Principes nostri infinito luxu et profusione faciunt.

Videtur ordo ille a Ioseph inventus et institutus et fit ejus mentio in Esther, quin et Romani et Graeci dederunt dimensum pro cujuslibet valetudine, robore et constitutione corporum. Ea profecto laudatissima oeconomiae gubernatio fuit, ne quilibet absumeret, voraret, liguriret pro libitu, sicut nostri homines, ac in primis principes hodie insaniunt helluationibus,

parati ad perdendum et profundendum sine modo et fine. Ibi nulla est spes emendationis, sed ferenda haec dissolutio morum est in hac extrema delirantis mundi senecta; si frugaliores essemus et vel ea tantum comparceremus quae annuis sumtibus in potum cerevisiae et vini immodicum insumimus, longe ampliores facultates, privatae et publicae futurae essent.

Ceterum et Ioseph et Aegyptii secundum suae religionis ritum comederunt, nisi quod illi longe majorem sanctitatem et munditiem sibi arrogarunt. Ioseph interdum carne vitulina, aut alterius generis potuit vesci, quod illis non licuit, propter idolum suum Apin, permiserunt itaque Ioseph suis ritibus uti, modo ipsi ad eosdem non cogerentur; docuit haud dubie summa fide et diligentia, quoad ejus potuit fieri, illi vero quod libuit fecerunt.

Sederunt itaque e regione ipsius, primogenitus juxta primogenituram suam et minimus juxta aetatem suam, miratique sunt viri illi quisque cum proximo suo.

Hoc singulare est, quod jubet eos collocari ratione aetatis singulorum e regione ipsius. Hebraei dicunt et valde verisimile est, simulasse Ioseph se esse vatem ac viderunt fratres eum in magno honore et auctoritate esse, ac singulari sapientia et consiliis gubernare Aegyptum, cum diceret supra se timere Deum, habuerunt igitur eum pro viro religioso et facile crediderunt eum esse scientia praedicendi futura praeditum, praesertim cum peculiaribus artibus, et ceremoniis uti ipsum cernerent, cujusmodi etiam usi fuerunt Prophetae, ut Ieremias gestavit catenam ligneam, Iesajas incessit nudis pedibus. Sic Ioseph cum revera

esset Propheta, certis ritibus usus est, ut haberent ipsum fratres pro augure aut vate Aegyptio.

Dicunt Hebraei eum, cum juberet ordine ipsos locare, pulsasse cyphum et eo pulsu signum dedisse, quod primum locum primogenitus occupare deberet et sic consequenter de aliis, et videtur huc facere quod sequenti capite dicitur: Cyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus et in quo augurari solet, ideo valde consentaneum est eum peculiari gestu usum esse, quo fucum eis faceret, se divinitus doceri de ordine discumbentium.

Propemodum vero potuissent deprehendere simulationem illam, cum tam exacte cujuslibet aetatem nosset, quasi in familia ipsorum et in partu singulorum adfuisset, sed occultavit Ioseph per pulsum cyphi ac singularem gravitatem et scientiam futurorum prae se tulit, ne fucum sibi fieri deprehenderent.

Cujusmodi vero augurium in cypho illo fuerit, Moses non indicat; ipsi eo facilius sibi imponi patiuntur inusitato illo ritu, cum jam diu de vita fratris dubitarent, nec possent cogitare hunc esse Ioseph, sed principem aliquem et prophetam sanctissimum et peritissimum religionis Aegyptiae. Ad hunc modum dulcis..e ludit cum fratribus Ioseph, declarans animum placidum et benignum erga ipsos et tamen adhuc obscurat et tegit benevolentiam suam.

Et tulit portiones a facie sua ad illos, auctaque est portio Benjamin prae omnium aliorum portionibus quintuplo et bibentes inebriati sunt cum eo.

Primum fercula apposita sunt in mensa Ioseph, ex illis distribuit singulis portiones suas, Benjamin ve-

ra quintuplum accipit, atque inde etiam poterat eis oriri suspicio de simulatione, quod is prae aliis honoratur, sed venit forte eis in mentem, regiam hoc esse, evehere aut abjicere quos velis.

Iucundissimum vero spectaculum est et exemplum plenum eruditionis spiritualis, si ad gubernationem Dei referatur, qua mirificat Sanctos suos, ut ne desperemus quando affligimur, neque praesumamus rebus secundis; utrinque enim tentat nos Deus adversa et secunda fortuna, ut exerceamur et laudemus Dominum omni tempore, sive amanter et benigne nos tractet, sive excruciet, simus aequis animis, eique gratias agamus; perinde enim ludit nobiscum, ac Ioseph cum suis fratribus.

Finito autem convivio inquit Moses eos inebriatos fuisse, quod non de ingurgitatione Graecorum aut Germanorum accipiendum est, sed juxta phrasim Scripturae sanctae alibi etiam usurpatam, ut Psalmo 65, 10. Visitasti terram et inebriasti eam, quando pluit, tum inebriat, hoc est irrigat, foecundat Deus terram, et Proverb. 10. Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur, hoc est: Qui saturat pauperes liberaliter, is abunde satiabitur, item Psalm. 23, 5. Calix meus inebrians quam praeclarus est, hoc est, exuberans.

Est igitur inebriari juxta phrasim Scripturae ad satietatem comedere et bibere, satt essen und trinken, satt und fröhlich werden, non qualis Graecorum aut Germanorum ebrietas est, qui in conviviis, helluationibus continuis non tantum ventrem replent, sed repletum mox vomitionibus exonerant. Illi vero hilariter cibo et potu sese invitarunt, ac gavisi sunt de clementia principis. Sed non erit diuturna illa felicitas, statim in subitum et gravissimum luctum conver-

tetur, qualis vicissitudo etiam operum divinorum in rebus humanis esse solet, cum modo tristia, modo laeta objiciuntur, ut nos in fide, spe et caritate exerceamur.

QUADRAGESIMUM QUARTUM CAPUT GENESIS.

Ioseph autem praecepit magistro domus suae et dixit: Imple saccos virorum illorum frumento, quantum capere possunt et repone cujusque pecuniam in saccum suum, scyphum praeterea meum argenteum pone in saccum natu minoris una cum pecunia frumenti ejus. Et fecit is juxta mandatum Ioseph, quod mandaverat.

Saepe monui et semper est inculcandum, quod Spiritus sanctus de tantis Patriarchis scribit jocularia et levicula, cum posset eligere res gravissimas et sacratissimas, cujusmodi sane interdum aspergit historiis sanctorum Patrum. Rudis et carnalis lector qui putat haec nullius momenti esse, facile offenditur et miratur illa legi in Ecclesia Dei et Spiritum sanctum tempus et operam perdere in nugis istis commemorandis; quare enim non proponit portenta monasticorum jejuniorum, et duritiae Stoicae et Spartanae, hominum ferreorum, quales volunt videri Carthusiani, quasi vero magna doctrina possit esse in ludicris et nihili rebus. Disputant item an placeat Deo hic ludus Ioseph, aut quo instinctu et spiritu fecerit.

Respondeo autem, propterea hoc fieri a Ioseph et scribi a Spiritu sancto, ut discamus rectam ratio-

nem vivendi coram Deo, neque enim vita illa in pretio est et grata Deo, quae nostra sapientia et industria eligitur; durissimam etiam ἀπάθειαν Stoicorum, quae exuit hominem omnibus sensibus et affectibus et incedit in mirabilibus super se, odit et aversatur Deus, atque idem tibi dicit, quod Iudaeis, Iesajae 1, 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum holocausto arietum, etc. quis quaesivit haec de manibus vestris? wer hat euch doch das alles heissen thun? et 58, 3. Rogant me judicia justitiae et appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras et nescisti? Magnum enim et eximium aliquid voluerunt praestare, quod placeret Deo, sicut ille qui retentione urinae se ipsum occidere cogitabat, sed audiunt a Deo: Non mandavi.

Ita nuper in Hispaniis decumbente regina, adhibiti sunt aliqui se ipsos ferreis scorpionibus flagellantes, ut sanguine suo placarent Deum et impetrarent prorogationem vitae ipsius; illis quoque opponi debuisset vox divina: Quis quaesivit haec de manibus vestris?

Discamus igitur Deum non delectari operibus electitiis, neque ei praescribendam esse rationem cultuum nostro arbitrio, sed ipso monitore et duce uti debemus, unser Herr Gott will dein Schüler nit sein, er solls auch nit sein, er soll Doctor und Gubernator sein; verum tanta est perversitas humani ingenii, ut quod mandat Deus negligamus, ea vero quae non praecepit, eligamus.

Sed inquiunt: Nos bono studio et intentione haec facimus; inde enim omnes superstitiones et haereses natae sunt, inde exstiterunt Monachi, Stoici, Baalitae,

qui pungendo corpus lanceolis sanguinem eliciebant et propterea se exaudiri sperabant.

Sciamus igitur Christianis ambulandum esse in eo vitae genere, quod praeceptum et approbatum est divinitus, ut sive vigilans sive dormiens, sive comedens sive bibens possis dicere: Hoc facio in nomine Domini, non proprio arbitrio et electione; tum denique quidquid egeris, aut passus fueris, placitum erit Deo et videbis eum suavissime tecum ludere in tota vita.

Sic Ioseph honorat regem et ea quae ad gubernationem regni pertinent fidelissime exsequitur, ornat rempublicam legibus, bonis moribus, doctrina religionis, ac novit haec officia Deo grata esse, adeoque servat hoc quod monet Salomon: Omni tempore vestimenta tua sint candida, laetare cum uxore tua, etc. Ita quidquid egeris, ut inquit Paulus Col. 3, 17 sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facias, sicut Ioseph animo tranquillo usitatas operas obit, neque quidquam suscipit contra mandatum Dei; sed Papistae cum sua ἀπάθεια et indolentia monstrosa non intelligunt bona opera Ioseph incedentis in fide et spiritu timoris erga Deum et regem, et utentis hac potentia et dignitate ad gloriam Dei et aliorum salutem.

Sic Samuel inquit ad Saul. 1. Sam. 10, 7. Cum ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est; Deus dabit successum, et mutaberis in alium virum, ubi ad Prophetas illos veneris. Quando igitur cor tuum et spiritus rectus est ac fides sincera, quidquid postea feceris, quantumcunque exile et contemtum, verum

Deo erit pretiosum, quia opera illa fiunt volente et dirigente fide et Spiritu sancto.

Sed inquies: Ego non sum Ioseph aut Patriarcha; atqui exemplum ejus intuere et vide vocationem tuam, si es praeceptor, discipulus, magistratus, subditus, cura ut diligenter operas tibi mandatas obeas et utaris tempore et persona, qua Deus te ornavit. Quod si fueris fidelis et assiduus in faciendo officio, plus satis erit quod agas et variae difficultates et aerumnae objicientur, neque opus erit accersere cruciatus voluntarios, sicut Ioseph non fodit corpus suum Baalitarum more, sed plagas illas aequo animo sustinuit, quae divinitus infligebantur.

Id non solent facere Monachi et hypocritae, illis enim nihil est impatientius, quando affliguntur a Deo, sed cum patiuntur quae elegerunt ipsi, flagella, jejunia et quascunque macerationes corporis, magnam devotionem et humilitatem prae se ferunt. Sed ea demum vera humiliatio fuit, quando sancti Patres Abraham, Isaac, Iacob gravissimis aerumnis saepe obruti, tamen ingenti robore et fide immota summam patientiam praestiterunt, das lassen die Mönchen.

Proinde Papistae nequaquam intelligunt ea quae scribit Spiritus sanctus de Patriarchis, sed videntur ipsis puerilia, abjecta et carnalia, quia pugnant contra electitias eorum justitias et devotiones et docent non ambulare in via Dei et studiose parere vocationi.

Deus aversatur et damnat omnia opera hypocritarum, quia ad nihil aliud prosunt, quam ut offendicula objiciant, quibus regia et vera via Dei intercluditur. Et homines paulatim ad alias semitas et diverticula deflectunt, ideo jubet ea caveri Paulus Rom. 16,

17. Rogo autem vos fratres ut observetis eos qui dissensiones et offendicula contra doctrinam quam vos didicistis faciunt et declinetis ab illis.

Si fueris maritus, aut quocunque vitae genere feceris officium tuum sedulo, dabit tibi Deus abunde quod agas, quodque patiaris; sed hoc nobis deest, quod non curamus ea, quae curare debebamus, sed aliis potius occubamur, quae non sunt mandata nobis, ideo manemus imperiti rerum spiritualium, semper discentes, nunquam ad scientiam pervenientes. Sic igitur accedit gravitas quaedam rebus illis leviculis et exilibus quae proponuntur in sacra historia, jamque videmus talia ac tanta esse, ut nullus Baalitarum et Monachorum sustinere ea unquam potuerit, sicut ante dixi de impatientia et superbia eorum qui sectantur religiones electitias, es ist kein undleidlicher und giftiger Ding auf Erden, denn ein Barfufser Mönch, quia delectantur viis suis et in illis volunt honorari et somnia sua haberi pro veritate divina, nec possunt ferre reprehensionem ullam; sed Patriarchas videmus exercitatos esse fide et spe et patientia juxta verbum et voluntatem Dei, ac rebus secundis pariter et adversis in timore Dei usos esse.

Cogitate ergo hunc ludum Ioseph cum fratribus fuisse Deo gratissimum spectaculum, sicut patientia et vexatione fratrum admodum delectatus est, quamquam ipsi non intelligerent, et infra apparebit quam fuerint accepta Deo haec omnia.

Ad eundem modum statues tuam vitam esse ludum Dei et placere ei omnia quae feceris et passus fueris, modo in fide fiant, mortem denique ipsam pretiosam esse in conspectu Domini: sic enim videmus Deum vita et omnibus actionibus Patriarcharum delec-

tatum esse, quas sane nisi essent mandatae literis, omnes ex animo desideraturi essemus cognoscere, quid gessisset Abraham, quid Isaac, quid Iacob; jam cum exstent singula propemodum dicta et facta eorum, fastidimus propter exilitatem aut negligimus tanquam carnalia, videmur nobis longe majora facturi, si ad tantam dignitatem pervenissemus, sed nemo est, qui vel minimum opus Ioseph assequi, aut imitari queat.

Adhuc igitur ludit Ioseph cum fratribus, ut exploret affectum eorum erga Benjamin, an ex animo ipsum diligant, siquidem non vendiderant nec occiderant eum. Praeterea audit patrem adhuc esse superstitem, cupit igitur eorum studium et observantiam erga ipsum cognoscere, nec peccat ea in re, quia in fide omnia haec gerit, ac propterea placent opera ejus Deo. Si autem Stoicus aut Baalita idem faceret, aut etiamsi mortuos excitaret, tamen esset mortale peccatum, nam victimae eorum abominabiles Deo sunt et oratio ipsorum fit eis in peccatum.

Mane cum illucesceret, emissi sunt viri illi cum asinis suis, cumque urbem essent egressi et haud longe abessent, ait Ioseph ad magistrum domus suae: Surge et insequere viros illos, et cum apprehenderis eos, dic ad eos: Quare reddidistis malum pro bono? An non iste est e quo potat dominus meus et quo augurari solet? Male fecistis hac in re. Apprehendens ergo illos, loquutus est cum illis verba ista.

Hinc apparet, ut supra dictum est, magistrum domus conscium fuisse consiliorum domini sui propter taciturnitatem et fidem, qua vidit eum praestare.

Singularis autem haec astutia est, quod mane dimittit fratres hilares, et saturos propter insignem humanitatem qua fuerat ipsos complexus Ioseph; ac pulchre respondebit eventus machinationi huic, quam ego sane non possem imitari, aut si quis nostrum idem jam tentaret, ineptire magis quam ludere videretur, quia non eadem intentio, nec spiritus aut affectus caritatis ardentissimae in nobis est. Antea enim audivimus ipsum totum solutum fuisse in lacrimas, neque quidquam mali molitum, sed summa et suavissima caritate sic ludere; itaque nec ineptum nec carnalem, sed sapientissimum et sanctissimum virum eum judicabimus.

Illi vero tam humaniter tractati ac delibuti gaudio mira rhetorica sibi blanditi ac de felici successu consiliorum suorum gratulati sunt, quod haberent principem adeo clementem et propitium, quod liceret omnibus una domum ad patrem reverti, eadem haud dubie domi praedicaturi, se amanter a principe terrae invitatos et lautissime tractatos, non in diversorio, sed in aula principis, in primis vero Benjamin in summo honore fuisse, cum quintuplo augeretur portio ejus prae aliorum demenso.

Sic enim solemus rebus secundis exsultare sine ullo metu et tristitia, perinde ut hi fratres non animo tantum hilari, sed et spiritu elato triumphant, ac jam de accusando patre cogitant, quod tam difficilem se praebuisset in dimittendo Benjamin, nunc adeo videat, dixerunt, quanta cum dignitate et gloria domum redeamus.

Verum idem eis accidit, quod Salomon inquit: „Ante ruinam exaltatio et contritionem praecedit superbia," et ab ethnico poeta quod dictum est: Tollun-

tur in altum, ut lapsu graviore ruant, item Psalmo 73, Elevasti eos ut dejicerentur.

Ibi non est timor Dei, sed putant se suis meritis, virtutibus, constantia, servata fide in adducendo Benjamin, hanc felicitatem adeptos esse, et cogitant bonis et justis merito haec praemia a Deo reddi. Natura humana weifs nit wie sie sich nur zieren soll, wenns ihr wohl gehet, und weifs nit, dafs gern ein Wetter hernach folgt, wenn die Sonn so heifs scheinet.

At vero paulo momento gloriatio haec de justitia et sapientia sua evanescit, discamus igitur timere Deum sive secundae, sive adversae res sint, ea constantia et aequabilitate animi, ut non modo tranquillis et optatis, sed etiam miseris temporibus psallamus Domino in corde nostro; si prospera fortuna est, fruere illa, et sis gratus, sin est adversa, invoca Deum, ut tollat, aut mitiget aerumnas, adeoque semper sit unicum et summum refugium tuum, nam haec fiducia et gloria meritorium sapientiae et justitiae mortificanda et abolenda est, qualem habuerunt fratres isti, quod suis virtutibus ad tantam dignitatem pervenissent.

Et responderunt illi: Quare loquitur dominus meus talia verba? Absit hoc, ut servi tui rem istam designent. En pecuniam quam invenimus in saccis nostris, reportavimus ad te ex terra Canaan et quomodo furati essemus aurum vel argentum e domo Domini tui? Apud quemcunque ex servis tuis hoc inventum fuerit, is moriatur et nos quoque servi erimus domini mei.

Nituntur justitia et meritis suis, quibus objectum

crimen diluant, ac prorsus se excusatos volunt, ea enim confidentia est justitiae et securitatis humanae, ut cogitet Deum esse stultum et infirmum, qui nequeat homines tam sanctos ullius sceleris reos agere, sed discenda illis erit precatio Davidis: „Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me." Item: „Non intres in judicium cum servo tuo." „Et illud Hiob: Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo comparatus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille," er soll wohl tausend peccata auf mich bringen, davon ich kein Wort wufste.

Ac tales sane sumus a conceptione et nativitate nostra, corrupti peccato originali, ut mille modis possimus accusari et rei esse coram Deo, tum cum videmur nobis justissimi, et siquando superbimus, nec manemus in timore et fide, ponit peccatorum ingentem molem in conspectu suo, quae nos ignorabamus, ut ait Moses Psalm. 90, 8 neque est aliud umbraculum quo tegamur ab ira et indignatione divina, nisi dicamus: Miserere mei Deus, item: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Illi vero non tantum de occultis securi sunt, sed etiam innocentiam suam allegant in caussa pessima, es hat kein Noth, wir wissen uns unschuldig, quin etiam ferunt contra se durissimam sententiam: Apud quemcunque inveneris scyphum, is moriatur, etc. Hic nimirum fructus est propriae justitiae, quae reddit homines securos et praefractos, praesertim vero in Monachis et Baalitis, quorum non simplex stultitia aut dementia est, sed furor et insania, qua tantam puritatem et innocentiam sibi arrogant, ut non humi repere, quod peccatores solent, sed caput inter nubila

condere ausint, itaque fulmine divino ad ima tartara dejiciuntur.

Qui ait: Etiam, fiat ergo juxta verba vestra, apud quem inventus fuerit scyphus, is sit servus meus et vos innoxii eritis. Festinantes itaque deposuerunt quisque saccum suum in terram et aperuit quisque saccum suum, et incepit scrutari a majore natu, desiitque in minore, et inventus est scyphus in sacco Benjamin.

Oeconomus Ioseph accurate negotium suum exsequitur et egregie eos ludit, moderatur autem sententiam paulo atrociorem, quam tulerant adversus se, non moriatur, inquit, ille, injustum enim esset occidi eum ob hoc furtum, aut vos omnes servire propter delictum alienum, sed servus sit, apud quem invenere scyphum.

Ibi vero festinanter deponunt et aperiunt saccos, quia volunt confundere dispensatorem, quod falso furti eos insimulasset, at ille edoctus ab hero, pulchre explorationem adornat, incipit enim a majore natu, cum sciret reconditum esse scyphum in saccum Benjamin, propterea ut addat eis animum et augeat persuasionem de salute et justitia sua, cum videant neminem ex adultioribus reum esse; de Benjamin enim nihil prorsus suspicantur mali, si non Simeon aut alius quispiam, qui fuit antea in Aegypto abstulit, dixerunt, jam extra omne periculum erimus et hunc mendacii arguemus.

Viderunt praeterea pecuniam repositam in saccos singulorum et eam singularem benedictionem interpretati sunt, quamquam ejus Moses non meminit, sed ad

prius exemplum haud dubie accommodarunt, cum dispensator ipse dixerit, Deum patrem illorum donasse eis thesaurum hunc; cogitarunt igitur fieri non posse, ut inveniret scyphum, ac satis imprudenter et impie ipsos furti illum accusasse, quos videret Deum jam toties immensa clementia augere et locupletare. Ita omnia inflectunt ad suam gloriam, sicut solet mundus cupidissime amplecti humana et divina beneficia, eaque suis meritis, justitiae et virtutibus adscribere, quemadmodum hi fratres Ioseph se dignissimos esse tantis bonis et favore principis Aegypti judicant; sed ita inflantur opinione meritorum et innocentiae suae, ut inflati tanto foedius corruant, id quod summis monarchis, Alexandro, Iulio, etc. securissime confisis sua potentia et gloria accidit, ut subito conciderent.

Quamquam hic alia ratio est, Deus enim non cogitat malum adversus eos, neque id agit ut perdat, sed ut humiliet et mortificet, ut sequens gloria, liberatio, laetitia major sit et dulcior. Itaque magister domus Ioseph non desinit scrutari saccos singulorum inventa pecunia, sed pergit inquirere scyphum, eumque reperit in sacco Benjamin, qui unus omnium erat innocentissimus.

Nunc igitur omnis superbia, securitas, exsultatio et triumphus misere perit uno momento, cum jam essent in summo gradu securitatis, nec possent de sanctitate Benjamin dubitare et reliqui omnes essent innoxii: ibi subito dejiciuntur animis et omnis fiducia quam conceperant, adimitur, da ist alle Freud aus, und sogar hinweg, dafs nit schändlicher kunnt hinweg sein, das thut unser Herr Gott.

Iam vellent scyphum potius in Ruben aut Simeonis, quam in Benjamin sacco inventum, qui patre in-

vito et periculum hoc prospiciente, in Aegyptum ductus erat, et quid animi tum fuisse putabimus Iudae, qui fidejusserat pro fratre? Ipsi vero hunc ludum non intelligunt, neque quidquam agunt, sed aguntur et mirabiliter ducuntur, quia magis expedit nobis agi et duci a Deo, quam agere, intelligere, praevidere, ordinare secundum nostra consilia, passio nostra est omnium sanctissima vita. Sic igitur unico momento e coelo ad inferos, e vita in mortem praecipites acti sunt.

At illi scissis vestibus suis rursus onerarunt asinos suos et redierunt in civitatem, Iudas vero, cum suis fratribus ingressus est in domum Ioseph, qui adhuc ibi erat et corruerunt coram eo super terram.

Iam non triumphant, sed vestes scindunt, atque incredibili anxietate et dolore affecti revertuntur in domum Ioseph, ubi ille consulto mansit, eo in loco, quo pransi fuerant, ac simulat furto ablatum sibi esse scyphum, quod erat impossibile. Iam igitur crassius ludit, aliquanto post manifestaturus se fratribus, at illi perculsi metu nihil prorsus intelligunt.

Iudas fidejussit pro Benjamin, ideo primus in terram corruit et reliqui cum eo, pleni desperatione, qui paulo ante ebrii fuerant laetitia ac suavissime somniarant se versari in paradiso et coelo, cum tanta clementia ipsos princeps complecteretur. Eundem enim jam sentiunt hostem et tyrannum, qui possit et velit eos in perpetuam servitutem redigere, ita suo judicio simpliciter damnati sunt, id nimirum est humiliare et dejicere superbos.

Quomodo enim putabimus eos fuisse affectos in re-

ditu illo ad Ioseph? quanto dolore et moestitia Simeonem et Levi duces suos accusaverunt, qui horum malorum faces fuerunt, vendendo fratrem Ioseph? Nam talibus exprobrationibus et accusationibus iter illud consumserunt, ibi Simeon et Levi horribiliter trepidaverunt et ejularunt nec potuerunt negare factum. Ah cur vestris consiliis obsecuti sumus, dixerunt, quid nunc faciemus? an revertemur ad parentem relicto hic Benjamin? Quid si omnes in vincula retrahet? Non aliud enim animo statutum habuerunt, quam esse sibi pereundum, ideoque omnem impetum irae in Simeon et Levi effuderunt, werden sich weidlich auf dem Weg untereinander zuscholten haben. Venit eis in mentem miserabilis ac postrema querimonia Iacob de orbitate sua, ibi animi ipsorum exaestuarunt ingenti luctu poenitentia ac dolore de peccato, quae tamen nondum vera contritio est, quia suum tantum incommodum et periculum intuentur.

Et existimo sane Simeonem et Levi fuisse omnium abjectissimos ac plane desperatos propter vehementem reliquorum fratrum expostulationem, qui subinde illud objecerunt: Vos occiditis patrem ac nos omnes vobiscum, quis restituet jam fratrem Benjamin parenti, aut quis nostrum unquam in conspectum ejus audebit prodire„ ah Gott, ah Gott, was habt ihr angericht?

Ad hunc modum deducet eos Ioseph optimus et sanctissimus Patriarcha ad intimam contritionem et perfectam poenitentiam et humiliationem, non ut perdat, sed magis ut emendet et peccatum eorum corrigat, quo agnito resipiscant et caveant posthac similes lapsus.

Quibus dixit Ioseph: Quidnam hoc est quod fecistis? An non scitis quod certissime augurari potest vir talis, qualis ego sum?

Non dicit se augurem esse, sed quae ad propositam rem faciebant, loquitur, quia Aegyptus semper fuit variis superstitionibus dedita, atque iis multipliciter veram religionem turbavit. Nec potuit Ioseph omnes errores exstirpare, sicut nec alii Prophetae nec Apostoli neque ullus unquam concionator mutabit, aut tollet ea omnia quae sunt vitiosa in Ecclesia; colligimus aliquos de mundo per ministerium verbi, sagena mittitur in mare et congregat malos pariter et bonos; nihil igitur dubium est, quin gubernatio Ioseph optima et laudatissima fuerit, qua multa correxit et restituit in integrum, sed ita tamen, ut Satanae quoque suam partem relinqueret, siquidem nullus unquam Prophetarum omnes quos docuit, potuit convertere, ac verisimile est, multos incantatores passim in Aegypto tum vagatos esse.

Ludit igitur Ioseph, ac fingit se haberi debuisse pro mago, quasi dicat: Debebatis cogitare Aegyptum abundare auguribus, ariolis, incantatoribus ac in primis principem ipsum harum artium peritum esse, etc. ita simulat se nosse arcana eorum consilia, qua simulatione ita augetur trepidatio ipsorum, ut pene dolore conficiantur.

Et dixit Iuda: Quid dicemus ad dominum meum? quid loquemur? aut qua ratione justificabimus nos? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum, en servi sumus do-

mini mei, nos inquam et is in cujus manu inventus est scyphus.

נִצְטַדָּק verbum est quartae conjugationis, sicut illud Psalm. 34, 3. In Domino laudabitur anima mea, sive laudabit se. Nos, inquiunt, nihil possumus praetexere ad justificandos nos, sumus rei et sontes, confitemur peccatum, atque haec est epitasis in comoedia. Ioseph jam adduxit eos ad extremum paroxysmum, ut dicant: Sumus fures, nebulones, quomodo possumus nos purgare, aut aliqua saltem specie excusare; si dixerimus furtum esse factum domi tuae, tum aut te ipsum aut domesticos tuos accusabimus. Et tamen sunt innocentes, et sciunt sibi fieri injuriam; verum non audent, nec possunt tueri suam innocentiam, neque quidquam aliud queant afferre, quam ut dicant: Peccavimus, Deus iniquitatem nostram invenit; ita nec Deum, nec Ioseph audent accusare.

Atque haec tandem est confessio peccati, quam extorsit Ioseph, jam enim se dedunt in servitutem, et plura fatentur quam designaverunt, ut ea humilitate aliquantum flectant animum illius, cujus clementiam ante experti fuerant.

Qui respondit: Hoc procul sit a me, ut istud faciam; is in cujus manu inventus est scyphus, erit servus meus, vos autem ascendite ad patrem vestrum.

Ioseph admodum durum se praebet erga fratres, ac singularem justitiam prae se fert. Absit hoc, inquit, a me, ut omnes mihi serviant, nihil minus postulo, neque enim omnes accuso, sed illum cupio mihi servire, apud quem fuerit inventus scyphus.

Pulcherrimus igitur hic ludus est et poema excel-

lentissimum hujus poetae, cujusmodi ego non potuissem componere, non enim tanto ingenio aut spiritu praeditus sum. Unde apparet Ioseph fuisse praestantissimum virum et insignem Theologum, quamquam nondum haberet libros Propheticos et adolescens septendecim annorum ex sinu parentis avulsus esset, tamen fidelissime et summa diligentia didicit doctrinam de Deo a patre, ac hausit non solum verba parentis de Christo promisso semine sed et spiritum illius, atque ita ut indies cresceret per tentationes et tribulationes multas.

Cum igitur et natura bona et Spiritus sanctus conjungerentur, insignem poetam fieri necesse fuit, atque alia multa id genus poemata et stratagemata toto tempore gubernationis suae fecisse ipsum, quae non sunt scripta in hoc libro, nihil dubium est, sed ab hoc uno exemplo aestimari potest, qualis fuerit Propheta, summi ingenii et spiritus, ad quae dona accessit insuper usus et experientia rerum in tot aerumnis et vexationibus.

Agit igitur hanc comoediam suavissime et adducit fratres in desperationem, interitum et infernum, cumque sunt desperatissima omnia, venit medium comicum et cuncta pericula discutit. Fuit sapientissimus vir et peritissimus rerum sacrarum, sine libris, quos hodie habet Ecclesia, nec Mosen legit integrum, nec Iesajam, praeter paucas historias Patrum, usque ad Iacob, nihil habuit. Magnum igitur et excellens hoc donum prophetiae fuit.

Deinde et hoc observandum est, non tantum ad divinam gubernationem referendum esse ludum hunc, verum etiam pertinere ad consolationem nostram, quando res ita accisae et perditae sunt, ut nulla spes sa-

utis affulgeat, sciamus illam esse epitasin et ἀκμὴν comicam, cui proxima est catastrophe, talia enim sunt divina poemata, ut Paulus eleganter dicit Eph. 2, 10. Nos sumus ποίημα poema Dei. Ipse poeta est, nos versus sumus et carmina quae condit, nihil igitur dubium est, grata esse omnia opera et actiones nostras in oculis Dei propter singularem vim et gratiam fidei.

Ad hunc modum tractandae sunt historiae sanctorum Patrum, quae monachis et rudibus rerum spiritualium, prorsus otiosae et inanes videntur, mirantur enim Ioseph hoc ludo occupatum, bonas horas tam male collocasse, cui potius jejunandum aut orandum fuisset. Quid est, inquiunt, quod sapientissimus vir et plenus Spiritu sancto frustra consumit tempus ludificandis fratribus? quod misere excruciat innocentem Benjamin et reliquos, eosque nugis istis et jocis sine ulla causa perturbat?

Sed hoc est, quod saepe dixi: Qui credit in Deum, eumque colit ex animo, ac cavet ne dictis aut factis eum offendat, illius actiones omnes, quin etiam somnus, vigiliae, ludi fiunt in nomine Domini et sunt grati Deo, sed alius quispiam, qui sine Spiritu et fide vivit, nec timet Deum, is inflatus sua justitia et sanctitate, eligit grandia opera et abhorret ab hisce ludis et operibus Sanctorum, quod nimis civilia, carnalia et secularia sint, fugit oeconomiam, politiam et Ecclesiam, vivit caelebs, macerat et occidit corpus, denique omnium creaturarum conspectum effugere conatur, sicut Sylvanus quidam noluit intueri solem, quod esset corporale lumen, sed tandem in visione vidit infernum repletum esse monachis. Illorum superstitiones sine ulla dubitatione abominatur et damnat Deus.

Itaque qui pie volunt vivere, timeant Deum, eique confidant et postea vocationi suae obtemperent, tum abunde erit quod agant, commendent Domino viam suam, mane et vesperi, dormiant in nomine Domini, rursus cubitu surgant, et faciant quae ad manus ipsis fuerint in quocunque vitae genere, sicut inquit Samuel ad Saul: Fac quaecunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est, so mufs denn alles wohl gethan sein, et erunt omnia tua opera etiam ludicra, Deo et Angelis jucundissima spectacula. Sicut hic ludus placuit Deo, alioqui non fuisset celebratus a Spiritu sancto.

Non enim conditi sumus ad vitam solitariam, ut a communi societate hominum segregemur, sed ut operas usitatas hujus vitae obeamus, ea qua possumus diligentia et alacritate, sicut Ecclesiast. 9, 7 inquit: „Vade ergo et comede in laetitia panem tuum et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua,“ atque ideo singulis suum locum attribuit Deus, ne relinqueret nos studiis electitiis et desideriis propriis.

Sed videamus responsum Ioseph: Absit a me, inquit, ut hoc faciam, is in cujus manu inventus est scyphus, erit servus meus, da trifft er ihn das Leben; non appellat furtum, sed apud quem inventus est scyphus, ait, quia species tantum furti est, reliquos vero absolvit, ut redeant in pace ad patrem. Id quidem satis clementer dicitur, sed intolerabile est in cordibus fratrum, praesertim vero Iudae, qui spoponderat pro Benjamin; si fuisset repertus scyphus apud Simeonem, aut quemcunque alium, facilius potuisset consuli huic malo, sed hic vita et salus omnium periclitatur, da geht das Wasser über die Körb, es ist alles

tus, und wird sich ein jämmerlich Heulen und Weheklagen heben.

Iam igitur perduxit Ioseph fabulam ad eum finem, quem initio proposuit, hic enim est παροξύσμος et epitasis hujus historiae, jam adiget eos ad desperationem, ita ut nihil loci consilii aut auxilii reliquum sit, quin pereant ipsi et patrem occidant, hie ist Zeit dafs der Strick brech.

Tum accessit ad eum Iuda et dixit: Mi domine, liceat mihi quaeso servo tuo loqui verbum coram domino meo et ne succenseat ira tua adversus servum tuum, tu enim es perinde ac ipse Pharao.

Haec est oratio Iudae admodum vehemens et ardens, quam non habuit sine multis lacrimis et singultibus, neque ego sane sic loqui possem, nec affectum illum explicare queo, quo eam effudit coram Ioseph. Vide enim causas urgentes ipsum: grandaevum patrem domi reliquerat, sed non ea spe et exspectatione, quod omnibus in Aegypto aut saltem minimo natu, quem unice diligebat, serviendum esset, postquam vero videt Benjamin praeter omnium opinionem in tristissimam servitutem conjici, neque unquam ad patrem rediturum, tanto dolore et luctu conficitur, ut nihil aliud nisi miseria et desperatio in animo sit adeoque ingentem vim lacrimarum profundere eum inter dicendum cogat, proinde singula verba ex intimis visceribus et affectibus animi profecta sunt.

Accedit vero sua sponte, non vocatus, quin etiam repulsus a Ioseph, qui dixerat: Redite ad patrem, sed extrema necessitas et vehemens commotio viscerum impellit eum, ut nullam rationem decori habeat; prius

timebat, humiliabatur, procidebat in terram coram Ioseph, jam ne in genua quidem procumbit, sed accedit ad eum, victus calamitate et miseria maxima.

Utinam vero nos tanto ardore invocare Deum possemus, sicut hic Iudas coram fratre orat, ich wollt viel drum geben, dafs ich für unserm Herr Gott so wohl kunnt beten, als hie Iudas für Ioseph bett, est enim perfectum exemplar orationis, imo affectus qui debet esse in oratione. Hic audax est et confidens, neque meminit vel potestatis et potentiae Ioseph vel suae humilitatis, oratio et necessitas facit eum audacem, ut accedat ad Ioseph sine ulla trepidatione.

Si nos tam perfecte possemus orare, praesertim in nomine salvatoris et mediatoris Christi, impossibile esset talem precationem non exaudire, sicut Ioseph non poterit se continere diutius quin illacrimet, seseque aperiat. Nam nos quoque hodie vexamur multis calamitatibus et tribulationibus, praesertim in ministerio et officio Ecclesiastico, ubi tentatio alia aliam excipit ac finita una mox septem aliae longe graviores sequuntur.

Iam ante omnia certo sciendum est nos habere verbum, id enim fundamentum est et basis qua nitimur, nos esse auditores et Deum loqui nobiscum; de hoc nemo debet dubitare, qui enim nescit, aut dubitat, murmurabit quidem preculas battologia usitata hypocritis, sed orare non potest.

Posito vero hoc fundamento, quod est verbum Dei, ibi tum ultimum praesidium, imo non praesidium, sed virtus et victoria nostra est oratio in omni tentatione, sicut sonat vox divina: Invoca me in die tribulationis et ego exaudiam te, et in Iesaja: Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquenti-

bus ego audiam, et ad Danielem inquit Gabriel: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo.

Quando enim cor serio et ardenter orat, impossibile est preces illas a Deo non exaudiri initio statim cum inchoatur precatio, id ego vere affirmare et testari possum; non libet quidem gloriari de meis precibus, sed verum esse verbum illud Gabrielis nihil dubium est, quamvis non semper eodem affectu et ardore possumus precari, non semper adest gemitus ille inenarrabilis, quia non est in potestate nostra, sed quando Spiritus clamat: Abba pater, ibi os quidem obmutescit, nec potest assequi aut enarrare gemitum hunc: sed cum primum erumpit clamor spiritus, ut ait Iesajas, nihil est certius, quam exauditam esse orationem adeo vehementem. Ac si etiam Turca, Pontifex, Caesar et omnes portae inferorum sese opponerent, tamen nihil quidquam agerent, si Ecclesia hunc gemitum inenarrabilem afferret ad precationem, quia nos pugnamus contra Diabolum et portas inferorum. Quid vero est caro et sanguis in hostibus Ecclesiae? siquidem Satanam occidimus oratione, cur non etiam Turcam et Pontificem profligaremus? Ita enim de Aegypto dicitur apud Iesajam: Caro est et non spiritus.

Idem de nostris adversariis et persequutoribus statuendum est, sicut hactenus sane totos XXIV annos oratione repressimus hostilem impetum Caesaris, Turcae, Papae, etc. verum hoc ardore vehementissimae precationis non semper accenditur Ecclesia publice, nec Sancti privatim, sicut usitato proverbio apud Theologos dici solet: Spiritus sanctus non semper tangit corda Prophetarum, illuminationes propheticae non sunt continuae et perpetuae, sicut Iesajas non habuit con-

tinuas, et assiduas revelationes de rebus maximis, sed per vices temporum.

Idem testatur exemplum Elisei, cum ait de Sunamitide: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est et Dominus celavit a me et non indicavit mihi. Ibi fatetur Deum non semper tangere corda Prophetarum, interdum etiam venit spiritus, cum aut cythara, aut psalterio luderent et psalmos quosdam, et cantica spiritualia decantarent.

Atque haec exempli causa dico, quod oratio non semper talis est, qualis solet esse in motu Spiritus sancti, et tamen hoc optimum remedium et consilium est ad excitandum impetum precationis, ut legamus, psallamus, audiamus verbum, adhibeamus psalterii lectionem, aut ad coetum publicum Ecclesiae accedamus. Ibi tum paulatim incalescet cor et accendetur spiritus.

Regulare enim hoc et usitatum est, quod Spiritus sanctus non semper tangit corda nostra gemitu inenarrabili, cum vero tangit, tum conclusum et definitum est, quod penetravit nubes oratio et impetravit hoc quod petitur in coelo, et terra, oder Himmel und Erden mufst ehe brechen.

Insignis igitur ea precatio est, ubi primo omnium verbum, postea vero necessitas urgens oculis et animo obversatur; quando Diabolus impellit, mundus affligit, tum quanto atrocius urgemur, tanto ardentius petimus, quia animus credentis commovetur et exuscitatur in eo clamor et gemitus inenarrabilis, ac tum quidem, cum coepit primum invocatio, statim exauditur juxta illud: Ab initio precum tuarum egressus est sermo.

Ita hoc in loco describitur exemplum vehementissimae orationis in Iuda, qui majestatis et potentiae Ioseph prorsus obliviscitur et necessitate impellente accedit, et orat sine ulla reverentia.

Sic nos, cum fortuna secunda est, cogitamus de majestate et gloria Dei, quem invocamus, deque indignitate nostra, ac metuimus potentiam ejus, ideo tum non est fortis et ardens invocatio, sed cum in periculo et tentatione constituti sumus, ibi nulla ratione habita sublimitatis illius dicimus: Domine Deus adjuva me, hilf lieber Gott, nu hilf Gott, lafs dich das erbarmen im Himmel, sine ulla praefatione. Ita necessitas extrema facit audaces et confidentes, qui perrumpunt et vincunt, verbum autem fundamentum esse debet invocationis, quo nitatur fides, quae credit in Deum et accedit ad ipsum fiducia mediatoris Iesu Christi.

Quod si ad hunc modum possemus orare, facile minas et potentiam totius mundi contemneremus, sicut hactenus omnium hostium vim et impetum sustinuimus et quamquam frigide oravimus, tamen virtus orationis in conspectu Dei est.

Incredibilis sane furor est Behemoth et omnium Diabolorum adversus nos, tamen non possunt nos opprimere, sin autem Deus unico momento illis frenum laxaret, subito omnem nostram sapientiam, vires et arma devorarent; nostra enim praesidia et consilia, veluti exigua species et larva quaedam sunt, qua ludit Deus adversarios, ut putent subesse ingens robur et hanc larvam metuant. Quare? Quia hic titulus Dei nostri est, qui aufert spiritum, impetum, et fortitudinem principum. Sed quis hoc efficit? Qui credit, qui ver-

bum habet, qui orat et invocat Deum, ille ipse est spiritus gratiae et precum.

Sicut Iudas hic ardenter accedit sine ulla trepidatione, quia extrema necessitate impellitur et cogitat: En pater Iacob domi anxie exspectat reditum filiorum, ante Ioseph amisit, nunc Benjamin quoque in periculo vitae versatur, ego fidejussor occidar a patre, ipse vero dolore et luctu conficietur. Ita Iuda miserrimus est et afflictissimus atque omni spe et auxilio destitutus.

Ait ergo: בִּי אֲדֹנִי בִּי interjectio est, quae alias significat in me, hic vero obsecrantis et supplicantis vox est, sicut ea etiam utitur meretrix coram Salomone: Domine mi, ah mein Herr. Iudas metu perculsus et exanimatus est, ideo vehementer clamat et prolixe repetit totam historiam, et Ioseph ea audit non sine lacrimis et commotione animi, quamquam eam adhuc celat. Hactenus vero praefatio verecunda quidem, sed tanta majestate Ioseph non satis digna.

Interrogavit dominus meus servos suos dicens: Numquid est vobis pater aut frater? Et diximus ad dominum meum: Est nobis pater senex et puer parvus, qui natus est ei in senectute, cujus frater mortuus est relictusque est ipse solus ex matre sua, quem et pater suus unice diligit. Et dixisti ad servos tuos: Adducite eum ad me, ut ponam oculum meum super eum; diximus vero ad dominum meum: Non potest puer deserere patrem suum, nam si desereret patrem suum, moreretur ille. Et dixisti ad servos tuos: Si non descenderit frater

vester minor natu vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. Factum ergo est, ut ascenderemus ad servum tuum, patrem meum, et indicaremus ei verba domini mei.

Benjamin dicitur filius senectutis Genesis 37, eo quod in senectute natus est, quamquam enim reliquos quoque genuit, cum esset provectae aetatis, tamen horum duorum, qui ex primaria conjuge Rahele nati sunt, praecipua ratio habetur. Sed quare Benjamin parvulus appellatur, cum adstet una cum ceteris fratribus coram Ioseph et pater sit decem filiorum? Quia minimus natu est et tenerrime adamatus a patre et natus est 12. aut 16. anno, postquam reliqui in lucem editi fuerunt; cum venderetur Ioseph, vagiit adhuc in cunis, matre Rahele exstincta in partu, ideo in calamitatibus istis genitus merito vocatur parvulus.

Facit vero et fratris Ioseph mentionem, qui coram adest, ipsis ignotus, nec potuit haec audire sine ingenti commotione et affectione animi, praesertim cum oratio Iudae plena esset singultibus et lacrimis impedientibus sermonem; adhuc tamen se reprimit.

Allegat et matrem mortuam, non aliter ac si esset adhuc superstes, quo magis moveat animum Ioseph, ita enim sonant verba: Relictus est matri suae; ideo quaerunt alii quare hoc dixerit Iudas, sed simplicissima et grammatica explicatio est, si mutetur dativus in ablativum: Relictus est de matre sua; de puero igitur admodum pathetica verba sunt: Parvulus est, minimus natu, relictus ex matre, ipsa mortua, periit et frater ejus, solus ipse superstes est, solus est deliciae patris. Concitata et vehemens oratio est, plena summis affectibus.

Nec a fratre tantum, sed etiam ab amore et sollicitudine patris erga ipsum affectus movet, si deserit, inquit, patrem suum, morietur ille. Nos vero obedivimus tibi, obsecro igitur ut nostri miserearis, cum amplius praestiterimus quam debuimus, quin etiam promissionem ejus allegat: jussisti eum adduci, ut poneres oculos super eum, hoc est, ut videres et benigne ipsum complectereris, atqui non erit hoc argumentum benevolentiae, rapere et spoliare patrem filio unico dilecto, quem ipse tanto ejulatu aegerrime dimisit, nec ausi fuissemus unquam ab eo hoc petere, nisi tu tam duro mandato nos obstrinxisses: Non videbitis faciem meam, nisi descenderit vobiscum frater vester minor natu. Ergo verba et mandata tua diligenter exsecuti sumus, freti promissis tuis et praeceptis, jam vero adeo inclementer praeter omnem exspectationem et meritum nos et grandaevum patrem tractas, ut cupias omnes deletos et exstinctos.

Dixit autem pater noster: Redite et emite nobis parum alimenti. Et respondimus: Non possumus descendere, si vero frater noster minimus nobiscum fuerit, descendemus simul; nam non possumus videre faciem viri illius, si frater noster minor non fuerit nobiscum.' Et dixit servus tuus pater ad nos: Vos scitis quod uxor mea duos mihi peperit, unus quidem egressus est a me et dixistis: Lacerando laceratus est: et non vidi eum hactenus, quod si tollitis quoque istum a me et si quae pernicies ei acciderit, deducetis canitiem meam cum afflictione in foveam.

Rursus patris mentionem facit et ejus objectionem

curas et sollicitudinem commemorat, item aerumnas et singula verba ipsius, ut flectat Ioseph. Nihil sane omissum est quod faciat ad movendum et cogendum animum ejus; si hunc tollitis, dixit et forte perierit, deducetis canos meos summo moerore et tristitia in foveam. Hactenus vero narratio, qua mandata Ioseph et suam petitionem, patrisque responsum commemoravit, jam sequitur epilogus orationis admodum patheticus et urgens.

Nunc igitur si venero ad servum tuum, patrem meum et puer ille nobiscum non fuerit (cum anima illius ex hujus anima dependeat) viderítque puerum non adesse, morietur, deducentque servi tui canitiem servi tui patris nostri cum dolore ad sepulcrum, etenim servus tuus spopondit pro puero coram patre meo dicens: Si non reduxero eum ad te, reus ero in patrem meum perpetuo. Nunc igitur remaneat quaeso servus tuus pro puero illo, ut sit servus domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis, nam quomodo possem ascendere ad patrem meum, si puer non fuerit mecum? nisi forte videre velim malum quod accidet patri meo.

Haec demum cum singultibus et lacrimis protulit, si non reduxero parvulum, pater noster moerore animi certissime conficietur et sic deducemus canos ejus ad sepulcrum; quid igitur commodi ex ea re sperabis, si parentem occiderimus, das wollst du doch ansehen, was hilft dichs, wenn wir unsern alten Vater ums Leben bringen, nihil prius, nihil antiquius nobis in hac

vita esse debet salute et incolumitate patris, quare eam tibi commendo et peto, ne tua inclementia miserabilis et indigni interitus auctor esse velis. Angitur et laborat, quia fidejussit pro puero apud patrem, (Ioseph haec omnia scit, aut saltem verbis eorum fidem habet;) non aliter poterit nobis aditus fieri ad patrem, inquit, quam si reducamus puerum, ego me in servitutem perpetuam dedo pro fratre, liceat saltem mihi hoc a te impetrare, ut tibi serviam, quomodo enim possem ascendere?

Haec omnia dixit cum fletu et singultibus, manibusque extensis, supplicum more, quia ultima pars est orationis, in qua summa commotio animi ipsius et fratrum fuit. Sunt verba admodum gravia et ponderosa, plena affectibus, quae nemo, etiam qui animo tranquillo sit, sine lacrimis possit legere.

Cicero alicubi dicit: Impedior lacrimis, etc. sed non sunt illae verae lacrimae, ortae ex gravissimis causis et affectibus, ut cum verba et fletus miscentur, atque oratio interrumpitur.

Atque utinam ego eodem ardore posssem invocare Deum, quoties vellem, si quando enim ad hunc modum oravi, visum est sensibiliter responsum hoc dari: Fiat quod petis, es soll ja sein. Nemo hominum ejusmodi orationem posset contemnere, quae ex intimis affectibus et visceribus proficiscitur, multo minus apud Deum poterit esse irrita.

Id enim testatur Scriptura sancta: Oratio humilis penetrat nubes, item: Ab initio precum tuarum egressus est sermo, flugs mufs Gabriel da sein, als Daniel bet; lauf hin sagt unser Herr Gott, und antwort, etc. Ah si sic possemus credere et orare, omnia impetraremus, quibus opus esset nobis ad salutem corporis et ani-

mae, aut si quid negaret Deus, tamen aliud multo melius et cumulatius redderet, imo ne differretur quidem exauditio, quando oratio tam vehemens penetraret ad aures Dei.

Sicut testatur exemplum Danielis, qui optabat restitui Hierosolimam et templum; haec erat ejus propositio: Videbat miserabilem illam vastitatem, ac toto pectore commovebatur, ideo oravit sine dubio cum singultibus et lacrimis. Flugs kummt der Engel. Non solum hoc impetrasti, parum enim id est in oculis Dei, ich will dir noch mehr sagen: Septuaginta hebdomades determinatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consumatur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna; etc. gibt ihm die schönen herrlichen Prophetiam, hanc revelationem illustrissimam addit angelus et describit certum tempus adventus Christi. Hoc est quod dixi, orationem vehementem, qualis haec est, ab initio sui quae velit impetrare et alia multo majora,

Haec igitur debebant nobis exemplo et argumento esse, quae nos moverent ad orandum plena fiducia et robore animi sine ulla dubitatione. Non est quidem, ut dixi, semper in potestate nostra tanto spiritu precari, sed tamen danda est opera, praesertim tempore necessitatis, ut sit invocatio ardentissima; corda non semper tanguntur ea fiducia, qua debebant ardere in invocatione, obstat enim negligentia et ignavia carnis et sanguinis et peccatum originis hebetat sensus et reddit languidos et segnes ad veros affectus orationis, negotia nos impediunt, distrahimur variis curis: sed quando urget extrema necessitas, da kummt der heilige Geist auch, der wirfts unserm Herr

Gott für die Füfs, ibi accedit simul spiritus precans et clamat: Domine Deus tu jussisti nos rogare, petere, pulsare, quaerere, etc. Profecto experiemini non esse irritas hujusmodi preces, sed magna et mirabilia efficere, quae mundus et nos non videmus.

Ad hunc modum fratres summa angustia, gemitu et clamore cordis lacrimantur et orant coram Ioseph, da stehn die lieben Brüder in illo gemitu cordis, winden die Händ, heulen und weinen, reissen die Kleider, etc. neque ipsi tantum, sed et Ioseph lacrimas fundit, quamquam celat et premit altum corde dolorem, ut ille inquit; sed non potest se continere amplius, postquam videt adesse cor sincerum, orationem firmam et caritatem non fictam Iudae et fratrum erga Benjamin, conjunctam cum vera poenitentia, ut initio monui.

Atque hic occasio esset dicendi de vera et falsa poenitentia, sed differemus in alium locum et alibi copiose ea doctrina tradita est. Pergamus in historia, et consideratione doloris et singultuum horum fratrum.

Sic enim cogitarunt: Ah quid fiet tandem? Etiamsi Iuda hic maneat et Benjamin ascendat ad patrem, tamen nondum acquiescet pater, nec dum omni sollicitudine liberati sumus, sed justissima causa doloris et tristitiae adhuc restat, quae patrem et nos enecabit. Quomodo enim maneret Iudas, qui est principalis oeconomus in domo paterna? Simeon, Ruben, Levi extra numerum sunt, Iudas vero est caput totius familiae, wo sie es hin wenden, da will es nit fort, es ist eitel Iammer und Herzenleid.

Omnia sunt plena ingenti luctu et miseria. Ut maxime enim hoc impetremus a principe, ut liceat reliquis ascendere et adducere Benjamin ad patrem, ne

dolore animi extinguatur, quid si nunc demum moerore conficietur amisso oeconomo et duce familiae? Etiam hoc filio me orbatis, dicet pater, mihique assidui et acerbissimi luctus auctores estis, adducitis Benjamin et Iudam amittitis, ihr bringt mich in allen Jammer. Ita quocunque se vertant, nihil aliud nisi miseria et calamitas oculis et animo obversatur, adeo ut fatigati lacrimis et luctu, nihil amplius queant petere. Utinam hoc concederetur, ut liceret Iudae servire pro Benjamin, sed nesciunt an possint impetrare a principe, et an velit dimittere Benjamin; summus igitur hic dolor et contritio propter peccatum describitur, quo Ioseph statim vincitur, er ist nun gefangen.

QUADRAGESIMUM QUINTUM CAPUT GENESIS.

Non potuit autem Ioseph se continere coram omnibus, qui stabant juxta illum, quin clamaret: Submovete omnes viros a me. Et non mansit vir ullus cum eo, dum se cognoscendum praeberet Ioseph fratribus suis, emittebatque vocem suam cum fletu et audierunt Aegyptii, audivit quoque domus Pharaonis.

Non dubito quin ad totam illam narrationem et orationem Iudae tremuerit et liquefactum sit cor Ioseph, singula enim verba perculerunt animum ejus propter ingens studium et amorem erga fratres, es sind eitel Herzenstöfs gewesen; neque enim crudelis

aut saevus fuit, sed ingenio optimo et placidissimo, plenus Spiritu sancto et στοργῇ erga fratres mirifica.

Et fere omnia commemoravit Iuda, quae ad affectus et στοργήν ipsius excitandam faciebant, adeo ut difficilius fuerit finem orationis exspectare, quam ipsi Iudae et fratribus perorare, ideo inquit ad Aegyptios circumstantes: Exite. Er kann nit länger halten, cor ejus suavissimo igni et humore dulcissimo, qui per lacrimas et singultus exundavit, liquefactum est; jubet omnes discedere, neque quemquam alium praeter hospites hosce adesse sibi patitur, fortassis ideo, quod nollet fletum suum et singultus conspici ab Aegyptiis, quia effusio illa affectuum et στοργῆς erga fratres et parentem tanta fuit, ut non posset ferre alienorum praesentiam et aspectum. Hebt nun an mit einem kurzen Wort,

Et dixit Ioseph ad fratres suos: Ego sum Ioseph.

Da reifst er heraus. Non mirum fuisset, si omnes ad hanc vocem terrore et gaudio exanimati essent; non potest autem plura eloqui, etiam remotis aliis, sed totus effunditur in lacrimas, singultus et ejulatum, clara voce, ut exaudiatur ab iis, qui egressi fuerant et a tota familia Pharaonis.

Itaque magno animi robore se continuit et repressit hactenus, dum loqueretur Iudas et Aegyptii, quibus stipatus erat, egrederentur. Da gehets nu heraus wie ein Wolkenbruch. Tota igitur domus miratur hunc ejulatum et clamorem, quaerunt quid acciderit principi, cur ploret, quid sibi hic fletus velit, an forte ei vim faciant peregrini illi.

Id nimirum est affectus movere et verbis pariter

et lacrimis ingentem animi commotionem declarare, ego sane nec oratione exprimere haec et explicare, nec cogitatione assequi possum.

Dulcissima vero et aptissima haec vox est huic παροξύσμῳ: Ego sum Ioseph, es dienet sehr wohl zur Sachen, neque Aegyptia lingua, ut ante, per interpretem usus est, sed patria lingua, quam non crediderant fratres ei cognitam esse, cum interprete uteretur. Iam vero remotis arbitris hebraice eos alloquitur; non dicit: Ego sum Abrech, Zaphnath, Paaeneah, sicut haud dubie eum antea appellarunt fratres: Ibimus ad Zaphnath, Paaeneah, propter summam potestatem et dignitatem in Aegypto, quam nomen a rege impositum significabat, sed inquit: Ego sum Ioseph.

Hic igitur πάροξύσμος et epitasis acutissima est hujus historiae, cum subito Ioseph se aperit fratribus, quem antea pro saevo et crudeli tyranno habuerant, propterea quod alienissimum se et maxime formidabilem praeberet, et quamquam plurimis argumentis humanitatis et clementiae certam spem ostenderet sub forma illa hostili, tamen non potuerunt ea intelligere. Hic vero nulla circuitione nec interprete usus, prorumpit in hanc vocem: Ego sum Ioseph.

Pulcherrimum igitur hoc exemplum est divinitatis erga nos, quod cum affligit pios et dissimulat se esse Deum et patrem nostrum, ac potius ut tyrannum, et judicem, qui velit nos torquere et perdere se gerit, tandem tamen suo tempore et hora opportuna dicit: Ego sum Dominus Deus tuus; hactenus non aliter te tractavi, ac si vellem te abjicere et praecipitare in infernum, sed hic ludus est mihi usitatus cum Sanctis

meis, nisi enim tibi ex animo bene voluissem, nunquam ad hunc modum tecum lusissem.

Haec ad consolationem nostram ita pinguntur in gubernatione Sanctorum, ut discamus tolerare manum Dei, erudientis et exercentis nos ad cognitionem, ad humiliationem nostri et ad mortificationem horribilis illius mali, quod dicitur peccatum originale; non enim id agitur, ut damnemur et abjiciamur, quamquam crux et afflictio nostra similis est perditioni et morti, sed peccatum haerens in natura expurgandum est, ut discamus quid sit hoc, quod dicit de se Dominus: Ego mortifico et vivifico, deduco ad inferos et reduco, pauperem facio, et dito. 1. Reg. 2.

Haec sunt opera Dei, de quibus gloriose disputant Iesajas, Paulus et Christus ipse in Evangelio: Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus; qui invenit animam suam perdet illam, etc. Sed quaerit ratio: Quare Deus ita excruciat innocentes? Non temere hoc facit, sed ut evacuet peccatum, deinde cum simus impliciti variis delictis, non possumus gloriari de innocentia. Nam illos vide, quos sinit secure et impune laxare frenum cupiditatibus sine ulla tentatione, quid faciunt? Ex alio in aliud scelus prolabuntur, in libidines, caedes, adulteria, odia et horribilia monstra flagitiorum, sicut apparet hodie in curia Romana. Quid aliud sunt collegia Canonicorum et Cardinalium, nisi prostibula et lupanaria? Et Roma sentina est infandorum scelerum et pessimorum hominum, quia in labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellantur, juxta sententiam Psalm. 73, 5. Non habent purgationem et castigationem peccati, cessante autem mortificatione et contritione nulla salus reliqua est.

Ergo Christianis nobis discendum est, Scripturam sanctam ubique docere humiliationem istam; quod si sumus justi et in eorum numero, sicut certe sumus, qui regnum coelorum adipisci cupiunt, sciamus nos esse baptizatos in mortem Christi, quem oportet nos sequi ducem, ut destruatur corpus peccati, ac vita nostra in oculis Dei nihil est, nisi destructio, mortificatio et deductio ad inferos, non quidem ad perdendum, sed ad salvandum, liberandum, purgandum. Ea vero non tantum in verbo, sed et in opere consistat necesse est, sicut inquit Paulus: Regnum Dei non est in sermone. Peccatum haeret in nobis, siquidem in eo nati et concepti sumus, caro est corrupta, quam Diabolus incitat ad omnis generis flagitia; quid aliud ergo faciat Deus, quam ut purget, quamquam non potest fieri sine dolore et cruciatu, es muſs ja wehe thun, es muſs gefühlet werden.

Ad hunc modum Ioseph mirabiliter tentatus et exercitatus est, donec humiliaretur, erudiretur et tandem rursus exaltaretur, sic enim ad tantam cognitionem pietatis et sapientiam pervenit, ut aliis quoque consulere et praeesse, quin etiam universum orbem terrarum gubernare posset. Totum regnum Aegypti non sufficiebat ejus sapientiae, quamquam in eo plurimis hominibus prodesset, ac de vera salute non vulgus solum, sed et regem et sacerdotes erudiret. Unde vero tantam facultatem nactus est? Quia mortificatus et deductus fuit ad inferos, neglectus et desperatus et tamen ingenti robore animi fidem et spem in tentatione retinuit.

Ad eundem modum fratres quoque exercet et humiliat ut exaltet eos; est igitur perfectum et insigne exemplum gubernationis divinae, qui et proprio filio

suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, ut satisfaceret pro nostris peccatis. Nos vero non humiliamur ut satisfaciamus, sed ut mundemur, ipsi non opus fuit purgatione, cum esset innocentissimus, sed sua passione meruit, ut nostra humiliatio, mortificatio, abjectio, damnatio Deo grata esset.

Haec igitur discenda sunt, sicut traduntur in sacris literis, Papistae enim et Turci harum rerum prorsus ignari sunt, putant se esse beatos, integros, sanctos et suo obsequio et cultu placere Deo, sine purgatione, ideo non curant, nec timent Deum. Nec jam de Iulio aut Clemente monstris illis Pontificum loquor, sed exempla bonorum et Sanctorum videamus, qualis fuit Augustinus, Bernhardus, et alii multi excepta fide: illi cogitant se esse sanos, docent quidem patientiam, sed nimis frigide, et si quaeris cur jejunent, cur corpus macerent, cur flagris caedantur, hanc afferunt causam, ut mereantur exaltari super alios in regno coelorum.

Atqui ea non est finalis causa afflictionum, sed mortificatio potius et evacuatio peccatorum et mali illius originalis, quod haeret in natura; et quo plus purgaberis, eo magis benediceris in futura vita, sequetur enim haud dubie gloria calamitates et vexationes, quas in hoc mundo sustinemus, sed harum omnium principalis finis est purgatio, quae necessaria admodum et utilis est, ne stertamus, neve torpescamus ignavia et veterno carnis nostrae; nam in otio et tranquillitate non oramus, non meditamur verbum, sed frigide tractamus Scripturas et omnia quae Dei sunt, aut tandem in securitatem exitialem prolabimur.

Oportet igitur nos vexari et humiliari, si non pet

sanguinem et carcerem, cujusmodi sanctorum martyrum supplicia fuerunt, at per spirituales tentationes, tristitiam, dolorem, angustiam animi, alioqui in peccatis peribimus; quia caro est corrupta, venenata, leprosa et opus habet medico, qui occurrat putredini isti per crucem, martyrium, tristitiam, confusionem, ignominiam, haec enim sunt pharmaca illa, quibus expurgat Deus peccatum.

Talibus exemplis plena est Scriptura sancta, dass die Heiligen müssen herhalten, quia extra tentationem obliviscuntur exercitiorum spiritualium, segnius orant, credunt, laudant, rursus vero in calamitatibus clamant, gemunt, querulantur atque ita exercentur et erudiuntur in verbo, sicut inquit Iesajas: Vexatio dat intellectum.

Tandem vero finita tentatione apparet clementissimus pater et salvator animarum nostrarum et dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, ego flagellavi et vexavi te, sicut hic exclamat Ioseph: Ego sum Ioseph, ego exagitavi et varie vos exercui, non hostili animo, aut perdendi studio, sed potius, ut excitarem in vobis poenitentiam et purgationem peccati, ut efficeremini justi. Ne igitur timeatis, non enim is sum, quem me fingitis esse, tyrannum Aegyptium crudelem et saevum, longe erratis.

Ad eundem modum cogitationes, murmurationes, suspiciones piorum de Deo falsae sunt, non enim possumus rationem consiliorum ipsius assequi. Quod ego facio, tu nescis, inquit Christus ad Petrum. (Ioan. 13, 2) scies autem postea; ego lavabo tibi pedes, sed quid sibi haec lotio velit, non intelligis.

Ita tempore passionis non cernimus Dei voluntatem et consilia, ideo afflicti horribiliter trepidant et

luctantur cum diffidentia, indignatione adversus Deum et desperatione, sed quando auxiliante Deo firmiter retinent fiduciam et spem, ne prorsus dejiciantur animis, tum nihil est periculi, quia illas querelas et murmurationem non imputat Deus pro peccato; postea vero venit et dicit: Ego sum Dominus salvator tuus.

At nesciebam hoc, inquit ratio, neque aliud mihi persuadebam, quam Satanam in me grassari, natura enim nec potest aeque animo ferre interitum aut destructionem sui, nec intelligit tentationem esse purgationem, ideo cohorrescit aut indignatur et fremit. Necessario igitur requiritur fides in verbum, ut sustinere manum Domini possimus et sciamus qua re niti et acquiescere debeamus.

Sentiunt afflicti et queruntur se perire et occidere, nec aliud potest cogitare natura in mortificatione sui, sie kann nit anderst sagen, denn ich bin verloren; sed o felicem et beatam Christianorum vocem, si possunt adhaerere verbo et dicere: Ego sum baptizatus, credo in Deum patrem, credo in Iesum Christum. Tantum hoc maneat in corde fixum et firmum, tum salva erunt omnia.

Caro quidem angitur et cruciatur, es thut wehe, ratio desperat, voluntas murmurat, omnes denique sensus sunt abjectissimi, sicut inquit David de se: Ego dixi in consternatione mea, projectus sum a facie oculorum tuorum; verum hae voces et cogitationes reprehendendae sunt et repugnandum est naturae vitiosae et rationi, quae aliud sentire et loqui nequit. Quid igitur faciam, inquies, in ipso aditu inferni et desperatione constitutus? Num dicam cum Psalmo: Perii, abjectus sum, etc.? Nequaquam, sed sic statues: Baptizatus sum, vocatus sum per verbum, credo

in filium Dei pro me passum, pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me.

At non video, inquies, Dominum tam clementem et propitium? Recte sane, sed audi quod sit salvator, qui licet dissimulet et abscondat misericordiam et salutem, atque ita se gerat, ac si prorsus te ignoret, tamen sedet ad dextram patris, gubernat te, agit curam tui et pro te est sollicitus.

Christus ipse queritur Psalm. 38, 12. „Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et propinqui mei de longe steterunt." Id admodum grave est piis, cum non speculative, sed serio haec omnia gerantur, et quia res est, non species tantum inanis, ideo vehementer carnem excruciat, ut si puer virgis caedatur propter negligentiam in discendo, sentit sane dolorem, clamat, ejulat, nec potest aliter fieri in externa obedientia corrigenda, multo magis in adultis, ubi exserit se malum illud originale, non sine dolore peccatum expurgatur, quin clament se abjectos esse et perditos a Deo. Sed nequaquam sic statuendum est, sicut nec puer propter parentis aut praeceptoris castigationem cogitat se habere patrem infensum; et quid aliud nos sumus coram Deo quam pueri?

Praeclare igitur Psalm. 118, 18 dicitur: „Castigans castigavit me Dominus, sed morti non tradidit me." Et Salomon Proverb. 22, 15. „Stultitia colligata est in corde pueri et virga disciplinae fugabit eam." Idem de castigatione divina sentiendum est, praesertim cum dederit nobis verbum, cui adhaereamus, ne sit dolor aut poenitentia ad timorem et desperationem, sed utcunque irascatur, tamen credamus eum esse salvatorem et patrem nostrum, sicut inquit Hiob: „Etiamsi me occiderit, tamen sperabo in eum."

Haec enim est differentia filiorum Dei et infidelium, qui reluctantur et recusant ferre disciplinam Domini, piis vero necessaria est propter carnem vitiatam et plenam peccatis, securitate, contemtu Dei, iracundia, libidinibus, quibus fit, ut non orent, non credant, non sperent, non diligant, non curent Deum.

Haec vitia et morbi gravissimi haerent in Sanctis, ad eorum igitur curationem utitur Deus vexatione, mortificatione, deductione ad inferos, quae remedia et opera Dei passim in Scriptura sancta et exemplis piorum adumbrata sunt, a mundo et ratione nunquam intellecta, quia non habent librum hunc, ex quo hanc artem discant, neque ullus alius liber est qui haec doceat, quam is, in quo loquitur nobiscum Spiritus sanctus ad hunc modum: Ego sum Deus mortificans et vivificans, deducens ad inferos et reducens, pauperem faciens et ditans; non separatim aut disjunctive: Ego occido, nein das wär der Teufel, sed sum occisor et vivificator, deduco ad inferos, sed ita ut reducam.

Haec saepius repetenda et agitanda sunt, quia est sapientia et doctrina Christianis propria, qui animo adeo obfirmato esse debent, ut nihil mali ipsis accidat, quin glorientur et triumphent, propterea quod habent verbum, absolutionem, baptisma, remissionem peccatorum, promissionem vitae aeternae, et quidquid adversi fuerit ferendum vel in morte vel inferno, nullo malo excepto, sive intensive, sive extensive malum sit, dicant: Ego triumpho et superbio, quia sum dominus mortis, peccati, inferni, mundi et omnium malorum, ut nihil ipsi intersit inter vitam et mortem, opes et paupertatem, ignominiam et gloriam, atque ita fiat dominus potens in proelio, constitutus super horrorem mortis, inferorum atque omnium adversan-

tium. Non quidem ex nobis, nam natura hoc non potest praestare, sed quia noster salvator, Dominus et triumphator, filius Dei sedet ad dextram patris, qui liberat, defendit, gubernat nos. Terreat igitur mors, rapiat ad inferos Satan, quid inde? Dominus meus et redemtor meus vivit.

Haec scientia omnem rationem et sapientiam humanam exsuperat et Sancti quoque David et Paulus eam non potuerunt perfecte assequi. Paulus cum esset summus Apostolus, tamen fatetur de se 2. Corin. 12, 7—9. „Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, ut me colaphiset, propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, (er wär sein gern los gewesen), et dixit mihi, (scilicet Dominus ad dextram Dei): Sufficit tibi gratia mea.“ Wofür hältest du das, quod ego te amo? Virtus mea non potest regnare, nisi in infirmitate vestra, du mufst schwach sein, oportet te pati, suspirare, gemere, infirmum et aerumnosum esse, in tuum commodum, ut sustinendo et pugnando vincas, et fias magnus Apostolus; nisi tu fueris infirmus, virtus mea nihil habebit quod agat; si debeo ego esse Christus tuus et tu Apostolus meus, concordabis infirmitatem tuam cum virtute mea, stultitiam tuam cum sapientia mea, vitam meam cum tua morte.

Haec est doctrina Christianorum, quam nec Philosophi, nec Iure consulti tradunt, neque causam ejus sive efficientem, sive finalem, seu formalem intelligunt. Philosophia quidem docet de patientia, sed simul requirit innocentiam; hoc igitur diligenter tenendum est, quod nos ut innocentes et indigentes hac virga patimur, sicut Dominus apud Ieremiam inquit ad Edom: Ecce quibus non erat judicium ut biberent

calicem, ut Daniel et alii, die müssen ihn trinken, bibentes bibent et tu quasi innocens relinqueris; non eris innocens, sed bibendo bibes. Item ad Hierosolimam: Castigabo te in judicio, ne videaris tibi innocens, quasi dicat: Ideo corripiam te, ne obliviscaris peccati tui, in quo conceptus et natus es, alioqui enim diceres: Cur me arguis, cur hanc poenam infligis? et non potius Moab et Edom punis, ego sum populus tuus, sacrifico tibi, confiteor et laudo nomen tuum. Propterea igitur hoc facio, ne jactes innocentiam tuam coram me, non tamen in furore, sed in judicio corripiam te, sicut pater amat et castigat filium, du sollt drum nit verloren sein.

Quid vero peccavi, inquies, quid commerui? Frag den Apfel im Paradies. Moab et Babylon non habent causam plectendi et persequendi te, sed coram me non es innocens, propter lapsum primorum parentum in paradiso; dabis igitur mihi gloriam et humiliter agnosces immunditiem tuam, ac dices: Domine Deus tu vero judicio castigasti nos, sicut inquit Daniel: Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei.

Novit Deus occulta cordium et corruptionem naturae nostrae, ideo clementer et paterne corripit nos ac tandem cessante vexatione manifestat se nobis et dicitur: Ego sum Deus tuus, qui te diligo et amanter complector, ich habs herzlich und freundlich gemeint. Ibi tum paulatim eriguntur animi et acquiescunt gratia et benignitate Dei, atque ea est consolatio piorum in hac vita; quantum vero gaudium erit in illa die, quando apparebit filius Dei et dicet: En ego sum salvator ac liberator tuus, quem tu accusasti, quod negligerem Ecclesiam, quasi non essem Deus

nec curam vestri gererem, en adsum, propterea autem te castigavi, ut purgaretur peccatum tuum, ut agnosceres me Deum salvatorem tuum.

Hunc igitur ludum et gubernationem Sanctorum mirificam pinxit Spiritus sanctus in hoc exemplo Ioseph. Ac cogitate quaeso quam dulce et exoptatum verbum illud futurum sit in auribus piorum in die judicii: Ego sum Ioseph, etc. imo qualis nunc laetitia est, quando Deus vel exiguam guttulam consolationis per verbum exhibet afflictis et tentatis, wie wird einer so herzlich froh, wenn die tentatio fürüber ist; longe igitur majus et inenarrabile gaudium erit, ubi Deus omnis consolationis revelabit, totusque effundet se nobis in aeterna vita.

Supra filii Iacob exiguam quandam levationem aegritudinis et doloris quo antea fuerant affecti senserunt, cum adhiberet eos Ioseph mensae suae, clementer et laute eos tractaret, portionem minimi natu quintuplo augeret, ac tandem singulis pecuniam restitueret, atque eodem sane modo ludit nobiscum Deus, cum temporalem consolationem suppeditat. Aber was wills werden in die illa, ubi non guttula aliqua, sed ipsum coelum pandetur et tota Divinitas se aperiet? Ibi laetabimur et exsultabimus ad vocem hanc: Ego sum Ioseph. Dominus Deus noster confirmet nos, et donet patientiam ut tantam spem propositam ea qua debemus fide et constantia exspectemus, nam et in Psalmis gaudium illud celebratur passim et exhortationes adduntur ad confirmandos animos piorum, ut Psalm. 31, 20. „Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te, et quae perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum.“ Et

Psalm. 28. „Exspecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum et sustine Dominum.“

Interea vero vices quaedam manent in hac vita consolationis et afflictionum, alioqui perirent pii assiduo aestu tentationum; sicut Ioseph modo invitat ad se et benigne excipit fratres, modo terret eos, ita Deus mirabiliter nos ducit et servat, ne desperemus in tribulatione et purgatione ista peccatorum, quae in futura vita cessabit.

Vivitne adhuc pater meus?

Quaerit de patre, non quod dubitet de vita ejus, sed ut ostendat se ex animo eos complecti et alloqui; simul etiam admirantis vox est, quasi dicat: Vix potui credere patrem meum adhuc esse superstitem, semper cogitavi eum nullo modo posse vivere, memini enim quam tenere amaret matrem meam, qua exstincta in partu vidi eum miserabiliter lugentem et fui spectator aliarum quoque aerumnarum domesticarum, quibus vehementer perturbatus fuit; natura enim placida est et admodum amanter suos complecti ac diligere solet, non tantum *στοργῇ* et affectu naturali, sed et Spiritus sancti caritate, saepe igitur in mentem mihi venit me sublato ipsum dolore confectum iri, cum scirem eum esse animo tenero et molli, quamquam magno et robusto in fide. Haeret enim infirmitas naturae etiam in Sanctis, et tanta vis est moeroris et tristitiae, ut multos occidat, plurimi in hac vita etiam pii aegritudine animi conficiuntur, quae ipsissima mors est et penetrantior quovis gladio, sicut testatur Sirach 30, 25. „Multos occidit tristitia et non est utilitas ejus.“ Et Paulus 2. Corinth. 7, 10.

„Seculi autem tristitia mortem operatur," et quo sunt teneriores naturae, hoc citius pereunt.

Supra autem gravissimae aerumnae Iacob descriptae sunt: Stuprum Dinae et Bilhae, mors Rahelis et Deborae nutricis; tantis calamitatibus non potuit non perturbari vir praestantissimus, φιλόστοργος et plenus Spiritu sancto, nam tales vehementer commoventur misericordia ac valde aliorum aerumnis afficiuntur, ea vero πάθη destruunt naturam, etiam in Sanctis.

Merito igitur miratur Ioseph patrem viginti duobus annis, quibus ipse abfuit a domo, potuisse durare et vivere in tantis malis. Non dubito, inquit, eum ita animo consternatum fuisse, me amisso, ut non facile consolationem ullam admiserit, ideo cogitavi eum certo mortuum esse, si non fame, at moerore et luctu, ah Gott er wird sich zu todt geweinet haben, hab ich alle Zeit gedacht. Pii enim tametsi credunt in Deum, tamen tanta est imbecillitas naturae, ut non possint sustinere magnitudinem doloris et tristitiae, et Christus ipse inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Et non potuerunt fratres sui ei respondere, adeo terrore erant obstupefacti a facie ejus.

Subita illa manifestatio Ioseph praeter omnem opinionem et exspectationem fratrum, tantum gaudium in animis eorum excitavit, ut metu et laetitia simul obstupefacti paene exanimarentur. Anima praestantius quiddam est corpore, nec potest corpus ferre motum et affectum illum gaudii in summo gradu, quid autem anima sit speculative, vel ut Philosophi loquuntur, metaphysice, non possumus scire, sed ex affectibus et

fructibus colligimus esse nobilissimum et mirabilissimum quoddam ens, tam praesens ac potens, ut corpus nequeat sustinere ejus impetum. Ut cum insignis et immodicus animi dolor dominatur homini, necessario exstinguitur corpus, atque idem fit in laetitia nimia, sicut testantur exempla plurima in gentilium historiis.

Tales motus etiam in Ioseph et fratribus ejus fuerunt et ipse haud dubie morti vicinus fuit propter vehementem affectionem animi, ita ut nihil amplius possit proloqui, nisi quod adhuc lacrimae fluunt.

Tanta igitur vis est animae, ut ea sola dominante corpus cum omnibus sensibus, visu, auditu, tactu, etc. obstupescat, es ist ein wunderlich Creaturichen; speculative quidem facile definitur ab Aristotele: Anima est actus primus corporis, organici, physici, etc. sed non potest exprimere quid sit, nisi objective tantum. Intelligere autem et sentire animam quoad affectus suos et vehementissimos motus, non est speculativae et objectivae, sed practicae cognitionis, ut cum immensa laetitia occupat et propemodum occidit corpus, aut cum lacrimae prae gaudio manant ex oculis, de quibus Monachi et Devotarii multa scribunt, nihil esse dulcius lacrimis gaudii, econtra vero nihil tristius et acerbius fletu lugentium. Ideo anima mirabile quiddam est et nobis incognitum.

Haec ideo moneo, ne obiter tantum manifestationem hanc Ioseph aspiciamus, sed consideremus ingentem illam affectionem animorum, qua et Ioseph et fratres obstupefacti sunt, ich wuste nit wie ich mich dazu stellen hätt sollen, da er sagt: Ego sum Ioseph, nec ipsi sciunt. Quid igitur fiet, quando veniet Dominus et salvator noster Iesus Christus, qui nos in

hac vita etiam varie exercet, ac sinit nos vexari, flagellari, occidi, etc. quantum gaudium erit ex subita illa et inopinata mutatione, cum antea senserimus eum esse tyrannum saevissimum, qui subito omnes vellet perdere? Ibi dicet: Ego sum Ioseph, sum salvator vester.

Ego hanc revelationem Ioseph non possum pro dignitate explicare, sed legenda et saepe cogitanda est, ut discamus ejus et fratrum exemplo diligenter orare, sperare, exspectare divinam consolationem, atque interea animo firmo et constanti sustineremus manum Dei ludentis nobiscum et exercitantis nos propter veternum illum et frigus peccati originalis, quo torpescunt animi piorum et redduntur languidiores ad fidem, spem, invocationem et alia exercitia spiritualia. Quando enim abest ludus ille divinus, stertimus et frigemus, itaque hoc velut stimulo pungit et impellit Deus stupidum et lentum asinum, carnem nostram praegravantem nos mole sua.

Iam vero et de pietate Ioseph dicendum est, quae profecto admiranda et dignissima est consideratione. Tantus enim princeps ac salvator Aegypti et vicinarum regionum poterat superbe contemnere fratres et occultare suam originem et conjunctionem parentum et domesticorum, sicut saepe exempla occurrunt hominum ἀστοργῶν, sive stipitum et saxorum, qui nulla prorsus reverentia parentum et propinquorum afficiuntur; quamquam enim natura sic condita est ut sit φιλόστοργος et manet aliqua scintilla bonorum affectuum, de qua Scholastici illud Psalm. 4, 7 interpretantur: „Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;“ ut pater naturaliter amat filium et vicissim filius patrem, item inter fratres et sorores στοργαὶ

sunt insitae omnibus hominibus, tamen furoribus hominum, iracundia, superbia, injustis odiis, invidia nonnunquam turbantur et corrumpuntur.

At Ioseph plenus Spiritu sancto non exstinguit, sed auget στοργήν, non enim ideo datur Spiritus sanctus, ut tollat et aboleat affectus insitos naturae, sed ut vivificet mortuam, ut excitet languentem et dormientem, ut corrigat errantem et exorbitantem.

Proinde Spiritus sanctus et gratia medicina quaedam est naturae, qua eriguntur et restaurantur ea quae in corruptione originali, labefactata aut perdita fuerant per peccatum.

Non igitur contemnit Ioseph fratres, aut patrem, cum essent opiliones, homines obscuri, ex imfima faece populi et abominandi Aegyptiis; vereri enim poterat ne propterea dignitas aut existimatio sua periclitaretur apud consiliarios et proceres regni, qui, ut audivimus, cum ipso cibum non capiebant, et nunc duplici nomine aversari et odisse eum merito videbantur, cum esset Hebraeus et oriundus ex familia obscurissima opilionum, itaque egregia haec virtus est, quod praefert quartum praeceptum et στοργήν φυσικήν omni dignitati, gloriae et potentiae non vulgari, sed regiae et supremae in Aegypto. Non pudet eum patris et fratrum opilionum, hactenus quidem lusit cum eis satis tristem et acerbum ludum, summa tamen caritate et στοργῇ, cum metueret ne occidissent senem parentem et fratrem natu minimum, illis vero omnibus exploratis, jam aperitur cor ejus, et ebullit immensus amor ac summum gaudium erga fratres, adeo ut tota domus Pharaonis audiat eum plorantem et ejulantem prae nimia laetitia.

Ita in tota historia Ioseph nihil videmus nisi sum-

mas et infinitas virtutes in omni vitae genere, in carcere, ignominia, exsilio, desertione et postea in gloria, sublimitate et potentia; hic enim versatus et agitatus est sursum ac deorsum, antrorsum et retrorsum et tamen semper sibi ipsi constitit et habuit Deum in conspectu suo, cujus opem summa fide et tolerantia exspectavit.

Non solum autem proponitur nobis exemplar omnium virtutum Ioseph, sed etiam pulchre nobis ob oculos ponitur descriptio Dei, ut sciamus quid sit Deus. Philosophi disputant et quaerunt speculative de Deo et perveniunt ad qualemcunque notitiam, sicut Plato intuetur et agnoscit gubernationem divinam, sed omnia sunt objectiva tantum, nondum est cognitio illa quam habet Ioseph, quod curet, quod exaudiat et opituletur afflictis, hoc non potest statuere Plato, manet in cogitatione metaphysica, wie eine Kuh ein neues Thor ansiehet.

Sed illa demum vera cognitio est, qua agnoscimus Deum volentem, sapientem, potentem auxiliari et misereri, ut cum Ioseph firmiter statuit: Deus non derelinquet me, etiamsi mors mihi fuerit oppetenda, item: Deus non respicit aut curat te propter potentiam tuam, tametsi princeps sis totius mundi. Ad sinistram non frangitur malis, ad dextram vero non extollitur bonis.

Haec igitur vera notitia Dei est, scire naturam et voluntatem ejus esse, quam revelat in verbo, ubi promittit se fore Dominum et Deum meum, eamque fide apprehendere jubet, ibi enim certum et firmum fundamentum jactum est, quo acquiescunt animi, sed postea sequitur πρᾶξις, quando exercetur Ioseph exsilio, carcere, periculis et criminationibus falsis. Ibi

sic statuit: Video hanc esse voluntatem Dei, qui cogitat haud dubie majus et sublimius aliquid, quam ego nunc possim intelligere, certus sum quod non deseret nec abjiciet me, voluntas ejus est incomprehensibilis, sed optima tamen, nec dubito eum velle et posse me redimere ex his malis.

Ita sustentat se et perdurat in extremis periculis vitae, famae et omnium bonorum in hoc mundo: postquam enim in exsilium et servitutem conjectus est, etiam laudem et commendationem castitatis et innocentiae, qua omnibus erat gratissimus, amittit, ita ut sordeat domesticis et toti mundo, et praeterquam quod exsul est contemtissimus et abominatio Aegyptiis, insuper etiam propter crimen adulterii omnium odio, cruce et suppliciis exquisitis dignus judicatur.

Tamen perseverat in hac spe et fide: Deus me non derelinquet, quidquid de me statuet ego sane nescio, in mundo susque deque versor et jactor, sed scio eum meliora et pulchriora cogitare, quam ego nunc sciam; novi voluntatem ejus mihi propensam esse, ideo commendo et trado me Domino Deo meo soli sapienti, potenti et bono.

Sicut igitur credit, ita fit. Non enim cogitare aut sperare unquam potuit gloriam istam ad quam pervenit, sed cum sustineat manum Dei usque ad mortem, ideo et temporaliter exaltatur et ornatur gloria corporali; atque illud est vere novisse Deum, nimirum in πράξι experiri, quod solus sit sapiens, quod voluntas ejus optima et suavissima, nostra vero stulta et pessima sit, sicut inquit Paulus: Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Ideo Ioseph insignis et maximus doctor est sapientiae et voluntatis divinae.

Rursus vero cum evehitur ad summam dignitatem orbis terrarum, in quo regnum Aegypti erat florentissimum, ita se humiliat, ut parvipendat gloriam illam et cogitet hanc nondum esse veram possessionem a Deo promissam, ideo non superbit, non pudet eum originis et genealogiae suae et manet in quarto praecepto constantissime, sicut antea summa fide et diligentia sextum et septimum servaverat, serviendo liberaliter; augendo rem familiarem domini et tuendo pudicitiam herae. An non hae insignes et eximiae virtutes sunt? Non sic cogitat: Si agnovero patrem et fratres Hebraeos, statim Aegyptii me ex hoc fastigio rerum dejicient, sed praefert eos quantumvis sordidos, obscuros et abominandos toti regno Aegypti ac libenter fatetur se esse filium pastoris ac summo honore et reverentia patrem juxta mandatum Dei prosequitur.

Hic profecto maximus animus est, qui multo majora sperat, quam regnum Aegypti aut universum terrarum orbem, quia habet fidem et spem resurrectionis mortuorum.

Haec omnia docet historia et vehementia affectuum in Ioseph. In carcere non metuit mortem, liberatus vero nec regnum sperat, nec potentiam hujus seculi curat, sed omnia summa et maxima in toto mundo vilipendit. Exspectat igitur aliam et meliorem vitam; magnum enim est, contemnere regnum Aegypti propter patrem opilionem et fratres venditores et parricidas.

Sed talis est animus accedente Spiritu sancto, hic honorem et observantiam parentibus toto pectore exhibet.

Poterat eis Ioseph alia ratione prospicere, donatis aliquot millibus aureorum, ne dignitas et existima-

tio ejus periclitaretur. Sed tanto ardore et spiritu humiliat se, et στοργήν suam erga patrem et fratres testatur, ut ingenti ejulatu et clamore totam aulam Pharaonis impleat. Id nimirum est honorare parentes insigni reverentia et caritate, ac praesertim in tanto viro magnum decus est.

Videmus igitur eum, summis virtutibus et omnem eloquentiam superantibus fuisse praeditum in utramque partem, quae nobis in exemplum et doctrinam proponuntur.

Deinde egregie in hac imagine depingitur Deus, qualis ejus natura sit, ut agnoscere eum et confidere ipsi discamus, siquidem ea perpetuo sui similis est, neque unquam propter nos mutabitur. Natura ejus est, esse longanimem, tentare et mirabiliter exercere suos, et ducere paulatim usque ad mortem. Rursus vero, cum ad extremum discrimen vitae ventum est, subito adesse et subvenire tentatis. Ideo exspectandus est Deus, sicut monent exempla et exhortationes in Psalmis et Prophetis.

Praeterea talis etiam est Deus, qui non solum ex nihilo facit omnia, sed et ex omnibus nihil, ut initio redegit Ioseph in nihilum, et, cum videretur perditus et deploratus, facit ex eo omnia, hoc est, summum virum in orbe terrarum. Is vero rursus omni dignitate et gloria sese exuit, descendit e throno regio ad infimos homines, parentem et fratres suos, et inquit: Ego sum Ioseph. Hic iterum ad nihilum deducitur, et est ille ipse Ioseph, qui in foveam abjectus, venditus et in servitutem deditus est, wird wieder eines Hirten Sohn, spricht, ich bin euer Bruder, eines Hirten Sohn, gleich wie ihr.

Videmus igitur, quis sit animus pius et heroicus,

nimirum, qui retinet fiduciam in Deum in summa paupertate et omnis generis tentationibus, rursus vero rebus secundis non effertur, sed timet Dominum. Tales sane possunt regere orbem terrarum, qui hoc animo administrant omnia, ut non sint contenti bonis hujus vitae, sed sperant et exspectent aliud regnum. Et tamen retinent *στόργας* et affectus naturae insites, quia Spiritus sanctus eos non exstinguit, sed mirabiliter instaurat, accendit, fovet. Quod diligenter notandum est propter satanicos Doctores in Papatu, qui docuerunt contemtum parentum, tanquam pietatem insignem, et latibula monasteriorum jactarunt, pro quibus abjiciendi et conculcandi essent parentes.

Sicut exstat horribilis sententia Hieronymi: Si pater jaceat prae foribus et ploret, aut mater uterum et ubera ostentet, conculcatis iis recta ad Christum currendum esse. Dura equidem vox est, et quamquam credo, eum salvatum esse, tamen non libenter hujus sententiae auctor esse velim.

Neque vero ad Christum, ut illi sentiebant, sed a Christo ad coenobium properarunt. An non enim parentes, conjuges, liberi Sancti et Christiani sunt? Petrus habet uxorem et liberos, sed cum poscitur ad martyrium, recte eos relinquit. Aut si tanti est ingredi monasterium, quid sentiendum erit de Patriarchis et aliis Sanctis, et tamen sic docuerunt olim, et Papa hanc impietatem confirmavit suis decretalibus, quibus Christianorum sanctitatem et summas virtutes collocavit in vita et ordinibus monasticis. At vero non pietas, sed abominatio et operatio erroris est, quam praedixit Paulus 2. Thessal. 2, 11.

Si propter Christum deseris parentes, recte et pie facis, sed superstitione, sive libero arbitrio et

electione eos conculcare, nec pium, nec humanum, sed satanicum est. Ego saepe vidi matres cum lacrymis prosequi filios ingressuros monasterium, ac ingenti dolore affici, sed, quia eodem errore irretitus tenebar, reprehendebam mollitiem illam muliebrem, et injuste eos dolere sentiebam, cum filii essent sancti et salvi. Ita enim eramus edocti et seducti, quod summa religio et justitia esset, contemnere parentum auctoritatem.

Monachi in Aegypto horum errorum primi auctores exstiterunt, Papa vero eosdem approbavit et firmavit legibus. Atque idem agit in defendendis clandestinis sponsalibus, ut pugnet contra Deum, et quartum praeceptum, ut vere hoc sit, quod dicitur a Paulo, homo peccati et filius perditionis, qui adversatur et tollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.

Sciamus igitur, Deum nec improbare, nec tollere *στόργας*, quas indidit naturae in creatione, sed eas excitare et fovere. Sin autem res postulat, dices cum Joseph: Dominus fecit me oblivisci domus patris mei. Aut cum Abraham jubetur singulari mandato Dei mactare filium, tum dicat: Isaac, non novi te, aut econtra, sicut praecipitur Deuteron. 33. Quando vero Deus te non vocat extra et supra quartum praeceptum, scias necessario ei parendum esse.

Papa igitur et Monachi ejus sunt monstra, imo abominatio desolationis, stans in loco sancto, quod citat Christus ex Daniele. Nemo enim potest credere, quam foedus et abominandus error fuerit, qui pro summa religione habebatur, propterea quod ratio facillime capitur, et dementatur hypocrisi operum.

Diligenter igitur inspicienda sunt talia exempla,

ut animi muniantur adversus hos furores Satanae. Videmus quanta vis sit affectuum utrimque in Ioseph et fratribus, quos studiose voluit celebrare Spiritus sanctus. Primum enim hac voce eos erigere et consolari voluit: Ego sum Ioseph, non sum Abrech et princeps ille Aegypti, qui hactenus locutus est per interpretem, jam materna et vernacula lingua utor; sed illo ipso verbo occidit eos.

Addit alteram consolationem: Adhuc pater meus vivit? Id non solum interrogative accipiendum est, sed ut dixi, admirantis vox est. Lieber, lebt er noch? quasi dicat: Oblitus sum domus patris mei, ideo tam diligenter singula sciscitatus sum: sed pater vester etiam meus pater est, vos estis fratres mei. Ibi prorsus obstupescunt et moriuntur. Ideo inquit Moses: Non potuerunt respondere, adeo erant obstupefacti terrore.

Neque id mirum fuit, cum plurimae et gravissimae causae essent hujus stuporis, quod tantum principem habuerant adversarium, qui lusit cum eis usque ad mortem, et nunc subito erumpit, lingua patria sese aperiens. Non enim cogitarunt, unquam in hac terra se audituros hebraeam linguam. Vehemens igitur affectus et consternatio animi transformat eos in saxa et truncos, quia cardo et intimum animae concitatur prae gaudio et timore, ut non possint respondere, und wären ihr Leben lang da gestanden ad hanc vocem: Ego sum Ioseph. Non possunt capere aut intelligere. Ideo longa oratione utitur, ut eos excitet.

Dixit ergo Ioseph ad fratres suos: Accedite quaeso ad me. Et accesserunt, et di-

xit: Ego sum Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Aegyptum.

Adhuc stupent, neque mutire audent, necdum possunt credere, hunc esse fratrem, propterea quod repugnat majestas personae; neque tamen aut interrogare, aut contradicere licet. Clarissime igitur se exponit, et constituit definitionem hujus personae. Non novus aliquis, aut fictitius Ioseph sum, sed ille ipse, cujus pater est Iacob, cujus vos estis filii, qui est frater vester. Audiunt haec omnia, sed stupor ille obstat, ut non possint animum ad cogitandum aut respondendum instituere.

Addit amplius: Quem vos vendidistis. An non haec satis clara definitio est? Arbitror sane, eos statim intellexisse, vere esse hunc fratrem, quia nullum alium vendiderant, quam Ioseph, ideo nullum dubium reliquum esse debebat. Simul etiam conjecturam facere potuerunt ex iis, quae hactenus fuerant utrimque dicta et gesta, quod pecunia recondita in saccos, quod scyphus in saccum Benjamin conjectus esset. Nondum tamen omnino assentiuntur, quia stupor nimis profundus est. Ei, lieber Gott, soll das Ioseph sein, denken sie stets.

Supra autem dixit Moses clamorem et ejulatum ejus exauditum esse ab Aegyptiis, qui egressi fuerant. Iam vero submissa voce eos alloquitur, ac propterea jubet ad se propius accedere, sicut annotavit Lyra, ne audirent Aegyptii hoc, quod addebat de venditione. Fuit vir plenus Spiritu sancto. Cum igitur necesse esset in manifestatione eos admonere de venditione, quo facilius assentirentur verbis suis, noluit tamen peccatum illud evulgari apud Aegyptios.

Haec vera fraternitas est, extenuare et tegere

eccatum fratrum. Non vult, eos infames fieri, sed onorem et existimationem eorum illibatam et salvam upit apud Aegyptios, ne damnentur, aut male auiant, tanquam fratricidae et parricidae. Insigne igiur exemplum est verae caritatis et remissionis peccaorum.

Non potest satis clare demonstrare, se esse frarem, nisi facta mentione delicti ipsorum; mitissime gitur et placidissime loquitur. Non exaggerat scelus ro dignitate, non dicit: Ego sum is, quem vos sceeratissime in cisternam misistis, cujus vitae insidiati stis, qui patrem tam acerbo luctu affecistis, sed leissime dicit: Quem vendidistis, omissis omnibus, quae uriuscula videbantur; quasi dicat: Vos scitis quomoo huc pervenerim. Non mea sponte vestrum consorium et patrem reliqui, sed vestra venditione huc ranslatus sum. Id sane non solum est, remittere pecatum, sed et cohonestare et abscondere ignominiam t turpitudinem fratrum, et summo studio ac caritate enefacere.

Talis est Spiritus sanctus in Patribus, qui posunt dissimulare, ignoscere et praebere se operculum ratribus. Necessaria erat mentio venditionis propter anifestationem, ne putarent haec omnia simulari. Ut gitur haberent certum sigillum et argumentum irreragabile, clam hoc addit reliquis verbis, quod prorus sepultum et Aegyptiis ignotum esse vult, ideo jubet eos accedere, cum antea discessissent longius, neue ausi essent ad ipsum appropinquare. Haec proecto vera remissio peccati et sincera caritas est.

unc igitur nolite moerore confici, et non

sit ira in oculis vestris, quod me huc vendidistis.

Hic absolvit eos a peccato, et non modo absolvit, verum etiam cumulatissimam gratiam et favorem eis denunciat. Ego sum, quem vendidistis, inquit, peccatum vestrum manifestum et notorium est, quamquam id non confessi erant, tamen negari non potest, res ipsa clamat.

At vide quam clementer et indulgenter cum suis proditoribus et venditoribus loquitur. Nulla in verbis cupiditas vindictae apparet, nulla malevolentia aut laedendi studium, sed mera misericordia et bonitas ex imo cordis affectu profecta. Verum est, inquit, ego sum a vobis venditus. Sed nolite contristari. Et ponitur hoc loco eadem dictio, qua utitur Christus Ioh. 16, 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, et Gen. 3, 16. Multiplicabo aerumnas, dolores, miserias partus. עָצַב postea transfertur ad cultum idolorum, ut Psal. 16, 4 ubi nostra translatio habet: Multiplicatae sunt infirmitates eorum, rectius vertitur idola. Quia idololatria et superstitio impiorum est miseria et dolor, quo macerantur et excruciantur instar mulieris parturientis. Item Psalm. 127, 2. Vanum est vobis ante lucem surgere, qui manducatis panem doloris vel angustiae. Euer Brod wird euch zu saur. Nolite angustiari.

Ita hic inquit Ioseph: Nolo vestram conscientiam oneratam macerari et affligi, sed jubeo vos acquiescere mea benevolentia et hilares esse; libenter enim vobis condonabo hoc delictum, non est quod dolore conficiamini, bekümmert euch nit. Pulcherrima absolutio est.

Et non sit ira in oculis vestris, hoc est, non co-

gitetis, me irasci. Seid guter Ding, seid nit unmüthig. Non habetis causam tristitiae et moeroris, sicut conscientia rea necessario angitur et trepidat. Inde enim omnis perturbatio et moestitia oritur juxta usitatum dictum Theologorum: Si est dolor et tristitia, nemo novit, nisi mala conscientia. Et econtra laetitia non est, nisi in bona conscientia. Sicut inquit Salomon Proverb. 14, 10. „Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio ejus non miscebitur extraneus." Et 25. „Secura mens quasi juge convivium." Caetera gaudia non sunt plena, sed titillantia tantum, non autem penetrantia in intima cordis.

Nec gravior dolor est, quam tristitia animi, est enim mors et infernus ipse, ideo occurrendum ei est, sive teipsum, sive alium exagitat. Da schliess die Höll zu, und Himmel auf, wer da kann. Ibi aperiendum est coelum, et claudendus infernus, ne conficiatur animus aeger sensu et dolore peccati.

Sicut Ioseph hic suavissime et amicissime agit cum fratribus, ut addat ipsis animum. Fuit enim vir sapiens et intelligens certaminum conscientiae, ideo in tempore adhibet remedia dolorem levantia. Non sit ira in oculis vestris, ne cogitetis, me irasci, omnia sunt indulta, remissa et oblivioni tradita. Ego ex animo et fraterne vos diligo.

Id nimirum est, ex toto corde remittere fratri culpam, praesertim cum angitur et dolet, id quod Ioseph hactenus egit, ut humiliaret fratres, ut de salute sua et reditu ad patrem prorsus desperarent, et certam et perpetuam servitutem et luctum prae oculis haberent. Conturbatis vero et perterrefactis tanta clementia et facilitate ignoscit, ut etiam fleat cum flentibus.

Insignis igitur hic locus est, et accurata obser-

vatione dignus. Non enim dici aut credi potest, quam difficile sit animam desperabundam et conscientiam absorptam tristitia erigere et resuscitare. Qui extra tentationem sunt facile exhilarantur, sed hoc opus, hic labor est, eum, qui moerore et tristitia spirituali oppressus jacet, reducere ad agnitionem et fidem bonitatis et clementiae divinae.

Videmus, quanta longanimitate et comitate Christus tractat suos discipulos post resurrectionem, quam blande eos compellet, ostendat eis manus et latus, ac palpandum, audiendum, videndum se praebeat, cibum una capiat ac dulcissima colloquia misceat, et tamen non possunt statim sese colligere. Et Angelus, cum jubet nuntiari discipulis resurrectionem Christi, inprimis Petro indicari vult, propterea quod is in summis angustiis erat, der kunnt das עָצֵב wohl decliniren. Ter negaverat Dominum, seipsum fuerat exsecratus, ceteri fugerant. Ideo necessario et opportune ab Angelo hoc addebatur: Et Petro, etc. Quanta vero sinceritate loquitur Zacharias ad Zorobabel, et reliquias reductas ex captivitate Babylonica, antequam eos congreget, confirmet et quodammodo ex mortuis suscitet. Multo enim difficilius est, consolari conscientiam afflictam, quam excitare mortuos.

Sic Paulus postquam corripuerat in prima ad Corinthios illum, qui duxerat novercam magno scandalo Ecclesiae, in altera epistola significat curam et sollicitudinem suam, ne forte peccasset nimia vehementia, quamquam nihil alienum a suo officio fecerat, nec priorem correptionem reprehendebat, sed jubet eum erigi rursus et confirmari, ne absorbeatur tristitia.

Duris vero et insensatis nihil potest satis dici ad conterendum et humiliandum, quia non afficiuntur metu

irae divinae, etiamsi sua fulmina mittat Deus; sicut Papa et Cardinales non moventur comminationibus ac minis. Sed si quis aliquando fulmine divino fuerit ictus, is sentiet, conscientiam destitutam omni solatio vehementer laborare, nec facile ullum remedium admittere. Illis igitur succurrendum est, consolationibus sumtis ex verbo. Non est voluntas Dei, ut pereat unus ex pusillis istis, sicut mandat Christus Petro: Tu conversus confirma fratres tuos. Deus vult, te humiliari, non perire, non irascitur tibi, neque in furore suo hoc fulmen in te torsit, sed ut ad agnitionem peccatorum adduceret, et humiliatum erigeret et corroboraret, quod non potuisset fieri, nisi terrore et metu fuisset perculsus animus tuus.

Haec sunt exempla Spiritus sancti, quae commemorantur in Scriptura sancta in doctrinam et consolationem nostram. Difficilius enim est suscitare, quam occidere, sicut quotidiana experientia testatur. Pontificem, Cardinales, Episcopos, usurarios velut incudem subinde tundimus malleo verbi Dei, sed frustra. Illi vero quorum corda verbum ligandi aliquando tangit, experiuntur, verum id esse quod dicit Dominus apud Ieremiam 23, 29: „Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?" Da ist kein Fels zu hart, er mufs brechen.

Paulus erat rupes durissima. Sed ubi lux de coelo circumfulget eum, et sonat vox divina: Ego sum Iesus, quem tu persequeris, ibi subito moribundus concidit.

Ioseph igitur rursus consolatur fratres, cum videt eorum tentationem et anxietatem, quamquam nondum confessi essent peccatum. Nolite, inquit, dolore confici, neque cogitate, me horum quidquam perdendi ani-

mo dixisse aut fecisse, sed magis ad poenitentiam vos ut adducerem, jam vero fugata est mors, infernus est clausus, peccatum remissum, coelum apertum. Hic verus Pontifex est, et hic locum suum habet absolutio.

Pro eo autem, quod nos reddidimus ex Hebraeo: Ne sit ira in oculis vestris, alii perperam vertunt: Non irascantur oculi vestri; siquidem de sua ira, non de fratrum indignatione loquitur. Et quomodo succenseant illi, cum paveant et trepident miserabiliter a facie Ioseph, ita ut ne mutire quidem ausint, ideoque hac confirmatione opus habent, ut animum benevolum et fraternum declaret Ioseph. Non est, quod cogitetis, me in contumeliam vestram meminisse venditionis, sed potius ut certo me possitis agnoscere mihique confidere. Non ardeo ira, et malevolentia, sicut hactenus simulavi. Ideo nolite contristari.

Iam vero non solum consolatur et absolvit eos, verum etiam prolixam concionem addit de consilio Dei, cujus sapientiam et immensam bonitatem praedicat. Ea enim praecipua et summa scientia est in schola Christiana, sicut supra dixi, discere, quid sit Deus, non speculative, sed practice. Excusabit igitur fratres, et totam causam rejiciet in consilium et sapientiam divinam.

Quoniam ad vitam misit me Deus ante vos.

Vide mirabilem Doctorem et insignem Theologum et interpretem verborum et factorum Dei. Vos, inquit, tradidistis et vendidistis me, hoc est certissimum. Sed nunc audite et discite consilium divinum, quid vos feceritis, et quid non feceritis. Perdidistis et occidistis me, quod non potest negari; sed hoc vestrum

perdere et occidere, quid fuit in oculis Dei? Aliud enim est consilium divinum, aliud vestrum in eodem opere. Vestro consilio et voluntate pessima usus est Deus ad vitam, non meam tantum, quod parum esset, sed absolute inquit: „Ad vivificandum, ad vitam misit me Dominus.“ Non vos me misistis, sed Dominus me misit per vos.

Id profecto est novis linguis loqui. Qualis enim est haec forma loquendi? Sane inusitata phrasis et peregrinus modus praedicandi, mittere ad salutem et vitam, non solum missi, sed et totius mundi. Haec lingua non est in rerum natura; homines enim sic dicerent: Fratres irati, et invidia ardentes tradunt, vendunt, trucidant fratrem innocentem. Sed Spiritus sanctus inquit: Venditio illa est salus et vita Aegypti, et universi orbis terrarum. Haec locutio nova et inaudita, et responsio insperata et incredibilis est. Sed est phrasis divina.

Proinde hic locus insigniter notandus est de consilio Dei, quod apud Iesajam quoque praedicatur Cap. 55, 8. „Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae: neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur coeli et terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.“ Et Ioh. 3, 31. „Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur, qui de coelo venit, super omnes est.“ Terrena lingua est; Ioseph venditus periit. Sed illud ipsum vocatur lingua coelesti missio ad salutem et vitam. Das ist unser Herr Gott.

Discamus igitur non nostras cogitationes sequi, nec nostris consiliis casus aut opera, et eventus nostros metiri et complecti. Res quidem geritur coram

hominibus humano more, et lingua humana appellat hanc missionem, perditionem et interitum Ioseph. Sed duplex est patria, et diversae sunt regiones coeli et terrae. Ideo et opera et phrases diversae sunt.

Christus occiditur coram mundo, damnatur et descendit ad inferos. Sed coram Deo est salus totius mundi a principio usque ad finem.

Ergo in omni opere et cogitatione, praesertim in passionibus, quando affliguntur Christiani, si credis, noli judicare de vita et actionibus tuis, alioqui errabis. Tu es mutus, stultus, tentatus, captus, nec recte loqui, nec judicare potes de rebus tuis. Es heifst: Exspecta Dominum, et noli scandalisari, murmurare, desperare. Non enim verum nomen tuis operibus aut afflictionibus imponis, tuum judicium est falsum, sermo tuus est erroneus, sapientia tua est stultitia. Voluntas autem Dei est, ut vetus homo corrumpatur et caro mortificetur, sed dum corrumpitur et mortificatur, falsa loquitur et stulta judicat.

Ad hunc modum sinit Deus, Ioseph crucifigi, conjici in carcerem, contumelia affici, quod est simpliciter deleri, tolli, exstingui; non aliter enim geruntur haec omnia in mundo. Sed illud ipsum apud Deum est, mittere eum ad salutem.

Haec est phrasis Deo peculiaris et usitata. Moses non sic loquitur, nec Iureconsulti, nec Philosophi. Sed est Theologia promissionum, et Dei promissoris voces sunt, quas sonat inter Angelos suos in coelo; nos vero eas non intelligimus, donec perficiantur consilia ejus. Hinc toties in prophetis consilium Domini celebratur. Et Psalm. 106. dicitur: „Consilium altissimi neglexerunt."

Haec igitur docenda sunt ad erudiendos nos, ut sciamus, quid sit Theologia Evangelii.

Alia est doctrina philosophica et legis. Moses est impeditioris et tardioris linguae, blaesus est et balbus, non potest hanc vocem proferre; sed promissor et salvator Iehova sic loquitur. Natura autem stulta et caro corrupta peccato non intelligit, nisi post passionem demum. Posteriora mea videbis, inquit Dominus ad Mosen, cum peteret, sibi faciem ejus ostendi, hoc est, post factum cernes cogitationes meas. Sicut hic Ioseph, et Iacob et filii ejus non faciem, sed posteriora vident. Cum enim venderetur et pater in luctu esset, facies Dei erat abscondita, neque ullus Deus apparebat, sed videbatur totus mundus plenus esse Diabolis. Nunc impleto ejus consilio eoque manifestato clare perspiciunt et agnoscunt voluntatem Dei bonam et beneplacentem, et perfectam.

Ita Hagar supra dixit: Hic video posteriora videntis me; quasi dicat: Quando Deus me respiciebat, ego eum non videbam. Iam video posteriora ejus, qui me hactenus ignaram omnium consiliorum et operum ipsius aspexit. Sic Christus ad Petrum dicit: „Quod ego facio, tu nescis.“ Vis me antevertere et docere, quid agendum mihi sit, longe erras, tuum enim est ferre et sustinere manum meam. Lafs mich machen, postea vero scies et intelliges, quid mihi voluerim hac lotione.

Haec igitur est gubernatio Sanctorum et sapientia Ecclesiae Dei, non scandalizari consiliis Dei, neque offendi ejus facie, qua occurrit nobis. Interdum enim involvit illam et abscondit, ne possimus eam agnoscere et intueri. Est quidem Deus vitae, gloriae, salutis, laetitiae, pacis, quae vera facies Dei est, sed

tegit eam nonnunquam, et induit aliam larvam, qua offert se nobis tanquam irae, mortis et inferni Deus. Vide igitur ut sapias et intelligas, discas et audias, quid sibi inusitata et aliena specie velit. Id enim agitur, ut humilieris, ut sustineas et exspectes manum Domini, et faciem revelatam.

Iacob non immerito potuisset offendi mirifico hoc facto venditionis Ioseph; siquidem promiserat Deus ipsi et fratribus ejus propagationem et conservationem seminis in aeternum. Sed quid fit? Filius unice dilectus rapitur, natus de primaria uxore, et in quo spes tota posteritatis erat posita.

Cur igitur agit Deus contra promissionem datam? Pollicitus est se fore Deum Iacob, cum dixit supra: „Ego Deus omnipotens, cresce et multiplicare; gentes et nationes, et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur, terramque, quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te.“ An vero illud est benedicere et multiplicare, cum non solum deserit patrem, sed et filium conjicit in servitutem et vincula hominum impiorum et idolatrarum?

Quis igitur alius sensus et affectus cordis esse queat, quam Deum irasci, et velle revocare promissionem suam? Ita sane caro sentit et loquitur; sed spiritus vincit et sic statuit: Quae sit ratio consiliorum Dei, nec intelligo, nec cupio scire, sed feram manum Domini, ac dicam: Deus meus es tu, promissio et verbum tuum manet in aeternum, eo me consolabor adversus horribile illud scandalum.

Ad hunc modum Ioseph quoque haud dubie gravissime commotus fuit secundum carnem propter venditionem et pericula vitae et famae gravissima. Audierat promissiones et conciones patris sui Iacob; sed

diversissima ab illis experitur in tantis et tam variis calamitatibus, propterea caro ejus non potuit non trepidare et querulari de miserabili desertione et ingenti mole calamitatum. Sed spiritus erigitur et sustentatur verbo Dei magna patientia et exspectatione.

Secus vero faciebat populus Israeliticus in deserto, de quo dicitur Psalm. 78, 18. 19: „Tentaverunt Deum in cordibus suis, petendo escam animabus suis, et male locuti sunt de Deo. Dixerunt enim: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?“ Illi murmurabant et fremebant contra Deum, clamabant, pereundum sibi fore siti et fame, non sustinebant consilium Domini.

Adversus hos fremitus et indignationem munit et confirmat nos Scriptura sancta, et monet discendum et assuescendum esse ad gubernationem Dei mirandam. Id enim nomen ejus testatur, quod sit admirabilis, et faciat mirabilia solus in coelo et terra; sicut hodie quoque in magno periculo sumus propter furores Pontificum et complicum ejus, qui aliquanto post in nos horribiliter grassabuntur, nec dubium est, varias calamitates nostrae parti impendere. Quid igitur faciemus, cum ingruet persecutio? Num dicemus, doctrinam nostram falsam et religionem erroneam esse, propterea quod Principes et Reges eam damnant, ac crudeliter persequuntur? Nequaquam. Sed sic statuemus: Dominus vivit, ego sum baptizatus, habeo verbum, utut insaniat mundus contra me, et rapiat bona omnia et vitam meam, aut si fractus illabatur orbis, et sanguine et caedibus omnia misceantur, quid ad me? Caro hanc constantiam praestare non potest. Et tamen, si firmiter hanc fidem retinuerimus, tum re-

vera sentiemus, Deum, in quem credimus, et cujus verbum habemus, esse omnipotentem.

Quo consilio sinat, saevire Turcam, et Papam furere in Christianos, ego sane nescio. Facies ejus est admodum terribilis, quando Turca, Pontifex et Tyranni ense et caedibus, Haeretici vero erroribus, haeresibus, scandalis grassantur. Quis hic ostendet nobis faciem Dei, quam sane exoptamus intueri? Sed nihil fiet. Posteriora mea videbis, ait Dominus. Adhaere verbo et crede, et mihi omnium rerum administrationem et conservationem permitte. Lafs mich machen. Tu vero ne dubita uxorem, liberos et cuncta, quae possides, potius in discrimen adducere, quam verbum meum abjicias, aut abneges. Si non vides, quid modo faciam, Petre, scies autem postea.

Magna et mirabilis res est, quod in Aegypto posteritas Iacob sub Principe Ioseph floruit pulcherrima pace, tranquillitate et dignitate. Sed eo mortuo succedit Tyrannus, qui ignorat Ioseph, ibi duriter exercentur et occiduntur infantes, et gravissima servitute premuntur.

Quare permittit Deus, hoc fieri? cur sinit, Aegyptios oblivisci praeclarissimorum donorum et beneficiorum, quibus sunt cumulati a Ioseph, et reddi mala pro bonis? Halt stille. Videtur equidem indignum et intolerabile peccatum ingratitudinis. Sed aliquanto post venit Deus per gloriam et miracula longe sublimiora, ac insigni liberatione educit populum Israeliticum per Mosen submerso rege et omnibus copiis ejus in mari rubro.

Sic post vastationem Babylonicam non est restitutus populus pristinae dignitati, quam habuit tempore Davidis et Salomonis, postquam cum Prophetis et Re-

gibus valde accisus et paene deletus est, atque ex eo tempore variis calamitatibus et angustiis conflictatus; sed post annos quingentos venit Christus salvator mundi.

Hoc igitur unicum solatium est in summis angustiis, ut omnem curam rejiciamus in Dominum, ipsius arbitrio et voluntati nos permittentes, sive publice, sive privatim nos exerceat. Lafs nur gehn. Age gratias Deo, quod habes verbum et promissionem. Huic attende ut animo excelso omnem impetum Satanae, mortis et Tyrannorum sustinere et vincere queas.

Sicut Petrus valde commendat studium illud et fidem verbi 2. Petr. 1, 19. „Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.“ Iubet nos oculorum et mentis aciem dirigere in solum verbum, in baptismum, in coenam Domini et absolutionem, et cetera habere pro tenebris. Non intelligo ego, nec curo, quae in hoc mundo geruntur a filiis hujus seculi, quia me crucifigunt. Illam horribilem larvam, quae abscondit faciem Dei, nec effugere, nec detrahere possum, sed haerendum est mihi in tenebris et caligine obscurissima, donec nova lux affulgeat.

Sic Iacob et Ioseph tristissimam speciem oculis suis et animis objectam habuerunt. At quanto gaudio Deus ipsis dorsum suum exhibet. Sic posteritatis ejus in Aegypto afflictio et interitus admodum miserabilis fuit, sed exitus tentationis gloriosissimus. Praeclare enim a Paulo dicitur: Fidelis autem Deus est, qui non patitur, vos tentari supra id, quod potestis, sed

facit etiam cum tentatione eventum, ut possitis sustinere. Dafs man fröhlich wird.

Videmus igitur, quam dulce et plenum consolationis sit responsum Ioseph, qui adeo obliviscitur injuriae illatae a fratribus, ut paucissimis tantum meminerit venditionis, et jam effundat spiritum, et illud ipsum delictum pulcherrima expositione interpretetur. Non irascor, inquit, nec delector conturbatione, confusione et ignominia vestra, et quare succenseam vobis, cum sciam haec omnia divino consilio gesta esse, sicut infra ad eos dicet: Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, etc. Et hoc in loco Deus misit me ad vivificandum, ad salvandum vos, quod ipsi certe non erant meriti. Et David in primis hoc verbo „Misit" delectatus videtur. Psalm. 105, 17. Misit ante eos virum; in servum venumdatus est Ioseph. Deus vocatur missor, et quidem ad salutem, cum sinit vendi et occidi optimum juvenem Ioseph, et patrem miserrime perturbari et affligi. Haec phrasis nec Graeca, nec Latina, nec Hebraea est. Modus vero mittendi mirificus et inauditus. Videmus igitur, quam suavis, quam dulcis et blandus sit Spiritus sanctus, qui horribilem illam avulsionem filii a patre et crucem tristissimam, qua uterque paene enecatur, appellat missionem ad vitam. Ac verissima sane appellatio est et Deo gratissima. Itaque et nobis placeat, quia vox et doctrina est salutis. Sic enim Ioseph resurgens a mortuis assuevit loqui, postquam vidit consilium Domini et posteriora Dei, quid sibi voluerit tentatione gravissima, et quod soleat adesse suis in summis calamitatibus, in odio, fratricidio, venditione, carcere, ignominia, et omnibus malis.

Atque haec Ecclesiae Dei proponenda sunt, ut talibus exemplis ad fidem et patientiam excitentur pii, et discant credere in Deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Apud Deum nihil possumus amittere, dum credimus, sed omnis amissio est lucrum centuplum. Iacob amisit filium, et ipse quoque suo et omnium hominum judicio periit. Sed Deus respondet: Non est amissus, nec perditus, sed utor eo legato in Aegyptum ad salutem non solum patris, fratrum et domesticorum, sed et totius regni et omnium terrarum, atque ita ut non tantum sit corporalis salus, verum etiam spiritualis, ut erudiat regem, principes, populos in fide et agnitione Dei. Haec profecto insignis et amplissima legatio est.

Sic enim Ioseph interpretatur venditionem. Vos quidem me vendidistis, sed Deus emit, asseruit et vindicavit me sibi pastorem, principem et salvatorem populorum eodem consilio, quo videbar amissus et perditus.

Docet igitur hoc exemplum, nos quoque, cum affligimur et crucifigimur, non perdi, sed salvari, modo credamus; fidem enim adesse oportet. Incredulitas de istis rebus nihil cogitat, quia sunt haec spiritualissima et perfectissimae fidei exempla, quae nec Iudaei, nec Papistae intelligunt aut magnifaciunt. Nos vero diligenter meditemur et animis infigamus, quod sit missio et salvatio Ioseph, cum venditur in Aegyptum.

De Christi morte et sepultura eodem modo loquitur Scriptura sancta. Sic enim ait Iesajas 11, Et erit sepulcrum, vel requies ejus gloria, hoc est, sepultura, quae apud omnes homines pro extrema confusione et miseria habetur, coram Deo est gloria.

Sic enim ipse inquit Psalm. 16, 10: „Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, sed notas facies vias vitae, etc."

Opponenda igitur est nostrae infirmitati, inopiae, morti denique ipsi virtus et benignitas Dei. Sicut Germani eleganti proverbio utuntur: Gott hat noch mehr, denn er je vergab. Plus bonorum et salutis apud Deum reliquum est, quam unquam distribuit. Quo dicto voluerunt significare immensam et inexhaustam bonitatem Dei. Si enim morimur, non sane perimus, sed vivimus, credentes ejus promissioni. Et ut maxime sinat, vitam, bona, uxorem, liberos eripi a Papa aut Turca, quid fit? Tollitur praesens vita, ut restituatur alia et longe melior. Quia Deus potest dare, et dabit haud dubie plura, quam unquam largitus est.

Hoc vero tempore in primis necessaria est haec doctrina, quo videmus, Pontificem cum suis complicibus crudeliter fremere et saevire, multos bonos et sanctos viros cum uxoribus et liberis in exilium agi, omnibus bonis exui, et atrociter trucidari. Similiter et Turca grassatur immaniter. Itaque in media morte versamur, et mundus ruinam minatur; sed Dominus vivit. Omnia sunt creatoris, qui est pater omnipotens. Non igitur respiciamus magnitudinem calamitatum et potentiam eorum, persequuntur nos, nec nostra aut conjugum et liberorum pericula nos terreant. Sicut Ioseph non spectat carcerem, infamiam, mortem, tristissima et horrenda objecta, sed pendet ex verbo, et credit in patrem omnipotentem. Quod si Turca aut Papa vivos nos deglutiunt, quid faciunt? Mortem, miserias et aerumnas nostras absorbent, et commutant hanc calamitosam vitam cum aeterna, si modo credimus in patrem omnipotentem.

Sed interim destruitur religio, inquies. Quid tum postea? Was liegt daran? Lafs Gott walten und dafür sorgen. Domino id curae erit, ut Ecclesia servetur et sanctum semen in terris. Certe Ioseph mittebatur ad Aegyptios, barbaram et impiam gentem, et ignaram Dei, ubi ingens periculum erat, ne pravis dogmatibus et superstitione animus tener imbutus seduceretur. Sed exitus testatur, illam ipsam missionem et periculum fuisse causam plurimorum bonorum. Ita possibile est Deo, ut aliquos etiam ex nobis servet, qui sint seminarium Ecclesiae, Turca et hostibus Dei pessumdatis. Non enim alio fine sinit eos furere et grassari, quam ut destruantur et pereant. Interea tamen Evangelii lux paulatim magis et magis propagatur. Nos modo pergamus credendo, docendo, patiendo, moriendo; nam et ipsis quoque pereundum erit.

Sed nihilominus tu trucidaris, inquies. Quid tum? Scio, mihi discedendum esse ex hac vita, ideo nihil moror, sive a Papa, sive a Turca occidar. Ego credo in Christum, hunc confiteor et invoco. Es zürne oder lache, wer da will.

Ad hunc modum sanctissimi Patres omnem fiduciam et spem in Christo positam habuerunt, et hac fide mortem, infernum, Satanam vicerunt ingenti robore animi, et adepti sunt aeternam gloriam, quae ipsis et nobis reposita est in coelis. Si Ioseph mansisset in domo et familia patris, vixisset ibi privatus, et paucis tantum profuisset; postquam vero granum in terram cecidit, fit salus multarum regionum corporalis et spiritualis.

Et quid tandem de Turca et Pontifice futurum putabimus? Nam hoc, quod cogitant in malum, potest

Deus facillime in bonum vertere. Exstat alicubi Augustini praeclarum et sanctum dictum: Tam bonus est Deus, ut nullo modo permittat malum, nisi inde norit elicere bonum. Sic ex captivitate, servitute, exilio Ioseph perfecit salutem, vitam et gloriam totius Aegypti.

Sic et nobis mirabili consilio immittit pericula vitae, famae, bonorum. Sed fides animae perrumpit, et resurgit ex morte in vitam.

Haec de phrasi ista notanda sunt, qua explicat Ioseph consilium Dei mirificum. Misit me ante vos, inquit, ad vivificandum et conservandum, alioqui periissetis. Sed vos non potuistis hactenus consilia Dei perspicere et intelligere, sicut Christus ad Petrum ait: Scies autem postea. Et de discipulis dicitur: Non intelligebant sermonem illum, quia Iesus nondum surrexerat a mortuis, atque ideo hoc facit Deus, ut exerceat fidem nostram. Si enim ab anteriori ostenderet faciem suam, non haberet locum fides. Sic vero a posteriori statuimus, tantum malorum nobis non posse inferri, quin Deus longe majoribus bonis nos sit cumulaturus.

Haec igitur consolatio est fratrum Ioseph, qua non solum culpam et poenam remittit, sed et jubet eos animo hilari esse, propterea quod volente et jubente Deo ipsis traditoribus sit datus vivificator et glorificator, atque ita mors Ioseph versa sit in vitam. Talis enim est creator noster omnipotens, qui ex nihilo omnia facit, habens in manu sua mortem, infernum et omnia mala, idque agit, ut Electis omnia in bonum cooperentur.

Iam enim duobus annis fames fuit in terra:

Restant autem adhuc quinque anni, in quibus neque agros colent, neque metent.

Disputant hoc in loco de causis hujus famis, et sumunt eas ex Nili inundatione, qua irrigabatur Aegyptus, cum non haberet coelum pluviam. Ut enim Babylonem exundatione Euphratis et Tigridis foecundari scribunt: Ita Nilus circa solstitium aestivum transeunte sole per tria signa, cancri, leonis, virginis exundari dicitur, et quando incrementum ejus est infra XII. aut supra XVI. cubitos, famem portendere, sin XIII. aut XIV. cubitorum est, summae fertilitatis causam esse affirmant, propterea quod minores aquae terram non omnem irrigant, majores vero tardius recedendo cultum agrorum remorantur. Sicut in nostris regionibus alias a siccitate, alias ab humiditate nimia fertilitas oritur, ac alterutrum horum incommodorum propemodum singulis annis patimur. Plus vero ab hac periculi est, quam ab illa.

Sed haec praedictio famis prophetica fuit, non responsuram fertilitatem votis colonorum, quacunque de causa, quod per hyperbolen dicit: neque agros colent, neque metent, cum esset aratio infelix futura, et messis tenuis, quia singulari judicio et ira Dei haec plaga inflicta fuit, non Aegyptiis tantum, sed et aliis vicinis regionibus.

Misit ergo me Deus ante vos, ut ponerem vobis reliquias in terra, et ut vitam vestram servarem ereptione magna.

Repetit Ioseph hoc verbum: Misit me Deus, et valde copiosus est in amplificando illo mirabili consilio Dei, ut securos et certos eos reddat de remissione peccatorum et misericordia divina, qua ipsorum vendi-

tio plena invidiae et odii versa sit, in saluberrimam missionem. Ac lucet in singulis verbis maxima pietas et reverentia Dei. Non enim satis mirari et praedicare potest magnitudinem hujus mirandae et immensae gloriae, quod ex tanto scelere, quo vix aliud atrocius cogitari poterat, tantum cumulum bonorum, vitae et salutis suscitare et elicere potuerit. Non enim ea natura et virtus peccati est, ut aliquid boni gignat, sed effectus hic est bonitatis divinae, quae potest malum in bonum convertere, ut infra dicet.

Haec igitur doctrina tantum Christianorum est et filiorum Dei, qui haurire et devorare possunt, quidquid malorum objicitur, et exspectare cum fiducia pro uno incommodo aut detrimento mille commoda. Quia credimus in illum Deum, qui est creator omnipotens, producens ex nihilo omnia, ex malis optima, ex desperatis et perditis salutem. Sicut Rom. 4, 17 hoc ei tribuitur, quod „vocet ea quae non sunt, ut sint.“ Et 2. Corinth. 4, 6. „Deus qui jussit de tenebris lucem splendescere.“ Non ex carbone scintillam, sed ex tenebris lucem, sicut ex morte vitam, ex peccato justitiam, ex servitute Diaboli et inferno regnum coelorum et libertatem filiorum Dei.

In hoc igitur admirando consilio Dei haeret et moratur Ioseph, id unum urget et celebrat. Antea dixit: Nolite tristari eo, quod vendidistis me, quoniam ad vivificandum me misit, absolute. Hic vero repetit, acuit et applicat. Misit me, inquit, ante vos, in salutem vestram. Illa generalis salus, quam operata est divina bonitas et misericordia ineffabili consilio pro omnibus gentibus, etiam ad vos pertinet. Adeo peccatum vestrum non nocuit, quantumvis magnum et horribile, ut etiam omnibus gentibus, praecipue vero

vobis salutem attulerit, quasi dicat: Deus alia ratione potuisset vos servare, sed conclusum et definitum hoc apud ipsum fuit, ut per me salvaremini, alioqui fame et conscientia sceleris periissetis, et pater noster sanctissimus moerore animi esset confectus. Non igitur dubitetis de misericordia Dei ignoscentis et condonantis, et sciatis me non positum esse ad vindicandum et puniendum delictum, neque enim id agit aut vult Deus, sed quia poenitentiam egistis, jam remissa sunt peccata omnia, adeo ut securi et prorsus absque omni metu poenarum, certam salutem vobis polliceri possitis.

Ad hunc modum consilium illud divinum et inenarrabile acuit Ioseph, et econtra mitigat et extenuat peccatum, quasi gloriosum et laudabile id esset non quidem virtute et natura sua, sed bonitate potius et misericordia Dei, qua elevatur et tollitur. Et inquit Paulus Rom. 5, 20: „Lex subintravit, ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia." Et Rom. 3, 7: „Si veritas Dei in meo mendacio superabundavit in gloriam ipsius, faciamus mala, ut veniant bona.

Sed de illis, qui hac abundantia gratiae Dei abutuntur, inquit Paulus; „Quorum damnatio justa est." Non enim praecepit, nec promisit, quod ex tuo delicto mirabilia, gloriosa et salutaria velit producere, aut si quando miseretur sceleratorum et flagitiosorum, ut ostendat magnitudinem misericordiae suae, id singularis et divini consilii est, et fit in consolationem peccatorum, qui lapsi sunt, ne desperent, sed ut redeant ad misericordiam Dei, neque ruant in alia graviora scelera, praesentia et futura. Quia novit Deus vim et tyrannidem peccati, quod cum reviviscit, subito

occidit hominem. Sic Saul sibi ipsi violentas manus affert. Sic Iudas laqueo vitam finit, victus et superatus uterque terroribus peccati.

His igitur malis succurrendum est, et rursus erigendae sunt mentes desperabundae, et consternatae vi legis et peccati, cum dicunt: Peccavi, fateor, sed Deus est misericors, ad quem confugiam et petam, ut ignoscat mihi.

Sed si quis praesumtione quadam sciens, prudens, volens delinquit, ac contemnit minas et iram Dei, is mortaliter peccat, et parum abest a peccato in Spiritum sanctum.

Caveant igitur sibi, atque illud animo omnes sedulo versent, quod inquit Sirach. 5: „Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, et ne dixeris: Quis me propter facinora mea perdomabit? Dominus enim vindex injuriam abs te illatam ulciscetur. Ne dicas: peccavi, et quid mihi accidit triste? Dominus enim patiens quidem est, sed impune te non dimittet. Et de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Tam enim ira, quam misericordia festinat ab eo, et in peccatores furor ejus incumbet.“

Ira et judicium ostenduntur per legem, ne peccemus, cum vero fuerimus lapsi, habemus verbum promissionis, quo praecipitur, ne desperemus, sed cogitemus bonitatem et clementiam Dei immensam esse, qui dedit filium pro nobis, ut esset nostra satisfactio, et ut sanguine ejus absorberetur et deleretur peccatum nostrum.

Non est tentandus Deus, aut praesumendum de

misericordia ejus, sed in fide et humilitate poenitentiae remissio peccatorum petenda et exspectanda est. Sicut Ioseph mirabilem gubernationem Dei praedicans non allegat merita aut scelera, et confidentiam fratrum, sed misericordiam Dei, qui non vult perire peccatores, sed omnes salvos fieri.

Atque ideo se missum dicit, ut reliquis omnibus exstinctis, reliquias tamen ecclesiae Dei servaret ex domo et familia Iacob, qui erat pastor, episcopus et custos promissionum, quas a Deo acceperat.

Et ostendit, Deum velle servare hunc pusillum gregem, et propter eum dare regna, politias, pacem, oeconomiam, pluviam et tempora fructifera, quantumvis misere exerceatur Iacob. Si enim fuisset absque illa ecclesia, mundus statim periisset. Propter vos ergo, inquit Ioseph, servatur terra Canaan, Aegyptus, et aliae regiones, ut sint reliquiae aliquae populi Dei, per quas multi convertantur.

Supra enim audivimus sanctos Patriarchas eo tempore fuisse veluti luminaria mundi, quod non solum sibi servirent docendo et propagando verbo, sed et multi alii illis se adjungerent, qui non salvati sunt, ut quidam impie adfirmant, in sua religione aut superstitione gentili, sed quia audierunt Iacob et Ioseph docentes verbum Dei. Tales in Scriptura nominantur proselyti sive advenae, qui non fuerunt de linea et stirpe Patriarcharum, sed Ethnici, et tamen propinquitate aut affinitate illis juncti, ut ancillae et servi aggregati ad ecclesiam Patrum.

Sic Ioseph plurimum profuit toti regno Aegypti, converso rege cum sacerdotibus et principibus. Ideo sic ait: „Deus misit me, ut ponerem vobis reliquias

in terra, vos autem estis reliquiae et parvulus ille grex, propter vos missus sum.

Sicut hodie Caesar, Papa et Mahometistae non aliam ob causam vivunt et manent in hoc mundo, quam propter Ecclesiam, Verbum et Sacramenta, quibus ablatis statim peribunt, ut testatur Daniel 12, 7: „Cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa haec;" interea vero manent politiae, manet generatio et educatio liberorum, quia nondum completus est numerus electorum, quorum multi nondum editi sunt in lucem. Wenn aber nu die Zahl erfüllet ist, so soll Papst und Türk wohl sehen, wo sie bleiben.

Ecclesia vero sola est conservatrix omnium rerum, et seminarium in mundo, quo propagatur et retinetur Verbum et Sacramenta, ad eam accedunt in dies proselyti, qui audiunt et amplectuntur doctrinam coelestem. Interea etiam insaniunt contra nos Papa, Caesar, Turca, et pugnant adversus columnas et conservatores suos, quos Deus alioqui ne faba quidem dignaretur, sed propter reliquias Ecclesiae obruit eos coronis, opibus, potentia, gloria, pro quibus hanc gratiam referunt Ecclesiae Dei, ut persequantur reliquias, et prorsus deletas et perditas velint.

Addit vero amplius sanctissimus Patriarcha, ut exaggeret mirandum opus Dei. Missus sum, inquit, ad conservationem omnium generaliter, sed ad vos in primis spectat hoc beneficium, vestra salus potissimum agitur, et propter vos etiam inimicis oportet bene esse.

Ad vivificandum vos huc sum deductus, ut servaremini in vita corporali, id quod fit evasione magna. Ingens enim et inaestimabile Dei donum est, quod

Deus vos eripit a fame futura toto quinquennio, qua periret universa Aegyptus, et vos Cananaei, cum aliis vicinis gentibus, nisi Deus immensa misericordia magnificaret liberationem suam, qua servantur tot populi propter vos.

Pertinet autem haec amplificatio ad erigendam et excitandam fidem in cordibus eorum, nemo enim facile crediderit, nisi expertus, quam horribile malum sit peccatum revelatum et agnitum, quod ita dejicit conscientiam, ut non facile queat consolationem admittere. Sicut ex Scholasticis quidam in explicatione loci Proverb. 15, 15: „Secura mens quasi juge convivium,“ etc, adfirmat, non esse majus gaudium, quam conscientiae gaudium, neque majorem voluptatem, quam quae est in spiritu. Ea enim, qua caro afficitur et delectatur, neutiquam conferenda est ad illam, quia fere semper absinthio et felle mixta est. At secura mens et animus hilaris quotidiani et delicatissimi convivii instar est. Rursus dolorem et tristitiam sola mens sibi male conscia novit. Sicut videre est in Iuda et Saule, quia peccatum agnitum est os patens inferni.

Idem apparet in hisce fratribus, qui nondum possunt se colligere, tametsi mitiget et extenuet delictum eorum, et vocet missionem consilio Dei ordinatam, et factam in salutem ipsorum et aliorum. Adstant adhuc pavidi, trementes, consternati, attoniti, et parum profecit erigendo et sanando, utcunque peccatum ipsorum elevarit et texerit subinde ingerendo hoc de divina ordinatione ac de eventu felicissimo ac maxime salutari tot gentibus, ut et ipsos confirmet, et postea parentem afflictum et perturbatum per eos consoletur. Tantum difficultatis est in excitandis et confirmandis animis oppressis metu irae et judicii di-

vini. Quin Apostolos vide, cum quibus conversatur Christus quadraginta diebus confirmans et docens eos de regno Dei, et accesserant etiam Angelorum apparitiones, conciones, tamen non poterant satis firmiter acquiescere illis omnibus, adeo tristis et horribilis res est peccatum et mala conscientia.

Caveamus igitur lapsus omni studio et pietate, aut si quid peccatum est, quo angitur animus, ibi omnes omnia consilia et solatia conferant, ut liberetur aegritudine et dolore, et exsuscitetur ad fidem misericordiae Dei. Sicut Ioseph concionatur hic fratribus suis diligentissime: Ne quaeso moerore animi conficiamini, estote securi et certi de condonatione peccati vestri, quod per se quidem magnum est, sed major est salus et liberatio corporalis et spiritualis. Hanc concionem tam insignem audiunt ipsi, et tamen adhuc haesitant, nondum audent ne verbum quidem proloqui.

Itaque vos non misistis me huc, sed Deus, qui et posuit me patrem Pharaoni, et dominum totius domus ipsius, et dominatorem per totam terram Aegypti.

Ioseph subinde hoc urget et inculcat. Venditio vestra non deduxit me in hunc locum. Vestrum peccatum nihil mihi obfuit, sed Deus illud apprehendit, eoque usus est ad confundendum Satanam, qui seduxit vos, ut ex tanto malo ingens bonum eliceret. Immensa bonitate Deus arripuit oblatam occasionem venditionis vestrae in salutem Pharaonis, Aegyptiorum et aliorum populorum.

Atque ita summo studio id agit, ut fiat ipsis Evangelista et praeco gratiae, celebrans et magnificans

misericordiam Dei. Ut enim vos servaremini, inquit, posuit me Deus patrem Pharaonis, ut me audiat, mihi obsequatur, sicut patri aut magistro filius vel discipulus obtemperat. Magna vero gloria est, tantum regem et tot principes habere auditores. Sed hoc neque ego, neque vos effecistis, sed Deus me hac dignitate ornavit. Sunt opera divina, vacate et videte, quoniam ipse facit mirabilia solus. Ac profecto majora miracula sunt, quam resuscitatio mortuorum.

Omnia igitur soli Deo tribuit. Ego enim quid facerem, inquit, fui venditus et redactus in servitutem, accusatus et damnatus adulterii, conjectus in vincula, inde autem liberatus ad hanc dignitatem evectus sum, ut essem pater, magister, doctor, gubernator omnium principum, sacerdotum et totius regni. Video, vos attonitos mirari haec, atque aegre fidem verbis meis adhibere, quod sim pater et dominus hujus terrae, sed vera narro, et res ipsa loquitur.

Non mirum equidem est, eos adhuc haesitare. Ego quoque non facile credidissem, ideo non sine magno labore eis persuasit, se esse Ioseph fratrem, praesertim cum principem ipsum esse Aegypti cernerent, quem rex et reliqui proceres regni suspicerent, atque omnia ad nutum ejus administrarent. Propterea exaggerat et tot verbis praedicat misericordiam Dei, ut fidem faciat verbis suis, et non hominum consiliis aut arbitrio, sed divinae majestatis administratione cuncta geri statuant.

Hactenus igitur concio et sermo promissionis de gratia, misericordia, remissione peccatorum, ac donatione omnium beneficiorum Dei, ut sint certi de liberatione a periculo famis et de accumulatione donorum

Dei, quod nos vocamus Evangelium. Ea vero facta addit mandata, quid velit fieri ab ipsis.

Sicut nos in doctrina Evangelii primum omnium audimus annunciari remissionem peccatorum. Iustificamur enim fide propter misericordiam Dei exhibitam in Filio, postquam peccatum agnitum et conscientia territa est. Sicut hi fratres trepidant et pavent, consternati agnitione sui sceleris, ideo succedit Evangelium, ne desperent, ut Saul, aut Iudas, sed credant erecti, iusti, consolati, postquam acceperunt remissionem peccatorum et Spiritum sanctum. Est insigne exemplum egregii doctoris in praedicanda poenitentia sive cognitione peccati et Dei miserentis. Iam sequuntur verba praecepti.

Festinate ergo, et ascendite ad patrem meum, et sic dicetis illi: Filius tuus Ioseph sic locutus est: Constituit me Deus dominum totius Aegypti: descende igitur ad me, ne differas. Habitabis in terra Gosen, erisque penes me, tu et filii tui, et nepotes tui, et armenta tua et quaecunque habes. Et cibabo te ibi, quoniam restant adhuc quinque anni famis, ne forte inopia labores tu et domus tua, et cuncta quae habes.

Iubet eos festinanter ascendere ad patrem, nam is quoque non minus atque filii consolatione opus habebat. Vos, inquit, cognovistis Deum et me. Ite ergo et exercete idem opus, quod audivistis, vobis dixi in aurem, vestrum est, praedicare eadem super tecta.

Narrate ergo patri atque universae familiae et viciniis ejus. Sicut Christus mandat discipulis: Ite in

orbem universum, praedicate Evangelium, ita mittit Ioseph fratres suos: Festinate, inquit, ne cessetis, sed sine mora spargite ea, quae audivistis. Ubi enim cognovimus Deum in filio, apprehensa remissione peccatorum et Spiritu sancto, qui induit corda laetitia et securitate, qua contemnimus peccatum et mortem, quid reliquum est? Vade et noli tacere, ne solus salvus fias, sed et reliqua multitudo servetur.

Id unum igitur magna sollicitudine mandat Ioseph fratribus, ut deferant hoc verbum consolationis et liberationis ad patrem, et nuncient, constitutum esse filium ejus dominum totius Aegypti. Id vero patri quoque difficile creditu fore norat Ioseph. Cogitabat enim: Pater jam viginti duobus annis me luget, et propemodum moerore animi confectus et exhaustus est, dudum enim desperavit de vita et salute mea, cum nihil potuerit certi aut laeti de me cognoscere. Ita igitur occupavit desperatio animum ipsius, ut non possit sperare aut credere aliquam salutem, multo minus vero, sic me vivere, ut principem et dominum Aegypti. Ideo diligenter hoc inculcat fratribus, ut patri accurate singula commemorent.

Ac fuit omnino difficilis et incredibilis narratio, qualis erat angeli ad monumentum Christi. Quid quaeritis viventem cum mortuis? Et postea, cum mulieres idem nunciant Apostolis, tamen non credunt, quia summa illa et incomprehensibilia opera et consilia Dei non capiuntur subito, tam ardua et magnifica sunt, ut non possimus statim credere.

Sic hodie Ecclesia indignis modis exercetur et affligitur. Funditur sanguis piorum impune a Mahometistis et Papistis, foris pugnae, ut Paulus inquit, et plena omnia pessimorum exemplorum, intus trepida-

tio et pavor animi, quae omnia hanc lucem et vitam nobis acerbam et invisam reddunt. Quid igitur fiet tandem? Post tot calamitates et miserias sequetur haud dubie immensum gaudium et maxima gloria, qua exsultabimus et triumphabimus mirabili et optata victoria de cunctis hostibus nostris, sicut dicitur 1. Pet. 1, 11 de passionibus Christi et gloria consecutura.

Atque utinam cito veniat dies illa redemtionis nostrae et extremi judicii, eam enim multo avidius desidero, quam liberationem aliquam corporalem, denn wir kriegten doch ein andern Mahomet und Papst. Melius esset, semel omnia misceri et aboleri cum universis malis et aerumnis hujus vitae, quam aliquam temporalem mutationem fieri. Scimus enim, in omni perpetuitate paratum et repositum nobis esse gaudium ineffabile et coronam immarcessibilem, quam modo non videmus. Tantum gemitus, lacrimas, aerumnas, oppressionem pauperum cernimus, sehen dem Teufel in den Hintern, anteriora Dei non videmus. Sed credamus, speremus, exspectemus, oremus, audiamus verbum, et in illo haereamus.

Id enim vult Deus, cum ait: Iacta curam tuam super Dominum, et ipse enutriet te, ipsi erit cura de vobis, nolite timere. Item: Gaudete in Domino semper: Iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum, etc. Phil. 4, 6. Laſst ihn sorgen. Nos stolidiores et miseriores sumus, quam ut possimus sustinere molem illam curarum et sollicitudinis de rebus nostris vel uno momento.

Optimum igitur est, confidere Deo, tametsi non

possumus esse sine lacrimis, tristitia et dolore. Wie sollen wir ihm thun? Talis est caro nostra, ut non possit non gemere, flere, dolere, queri. Quin et pecudes cum mactantur, clamore dolorem ostendunt, et inanimata, ut ligna, non sine fragore caeduntur et franguntur. Sed sustentemus nos verbo et fide, nec dubitemus jam definitum esse apud Deum, quod velit hos dolores, miserias et cruces momentaneas, quibus premunt nos Papa, Caesar et Mahomet, vertere in sempiternam et summam laetitiam, qua fiducia et exspectatione nostras aerumnas et curas facillime mitigabimus. Er wirds wohl machen.

Iacob vero non facile potuit assentiri huic nuncio, propterea quod de morte filii omnino desperarat totis viginti duobus annis, saepe enim uno tantum anno memoria eorum quos luximus, intercidit. Ideo hoc gaudium inopinatum et incredibile est. Ac propterea opus fuit repetitione illa, quod missus, quod constitutus sit divinitus dominus Aegypti.

Neque vero venditionis eos meminisse jubet, alioqui narranda fuissent patri, qua occasione et ordine singula essent gesta. Tanta enim perversitas est mali illius originalis, ut non velit turpitudinem suam conspici, sed ornat et tegit eam diligentissime. Ideo Ioseph non dat eis mandata, ut dicant se vendidisse aut occidisse fratrem, sed obruit ipse quoque foeditatem illius sceleris, nec jubet confiteri peccatum, sed hoc tantum commemorare, quod sit princeps totius Aegypti et pater Pharaonis. Haec magnifica et mirabilia opera Dei vult praedicari, quod filius pastoris Hebraei ad tantum fastigium honorum et dignitatis sit evectus.

Cum vero sciret, patrem aegre crediturum narra-

tioni filiorum, sicut infra apparebit, ideo addit signa et argumenta, quibus fidem suis dictis faciant. Habitabis, inquit, in terra Gosen. Ea qualis sit ignoro. Alii dicunt eandem esse, quam vocant Thebaidas. Certum est non procul a Ioseph abfuisse, sicut habet textus: Eris penes me. Non igitur disputabimus de nomine loci, cum in hac et aliis regionibus saepius mutatum esse nihil dubium sit. Hactenus vero mandatum, jam addit confirmationem.

Ecce oculi vestri vident, simulque oculi fratris mei Benjamin, quod os meum loquitur ad vos. Referetis ergo patri meo omnem gloriam in Aegypto et omnia quae vidistis: Accelerate et adducite patrem meum huc.

Fratrem Benjamin testem, et pignoris loco esse vult apud parentem, quo credat facilius se adhuc vivere. Ipsos autem hoc signo confirmat, quod lingua patria utitur, nec per interpretem, ut antea solebat, loquitur. Neque vero inanem gloriam ostentat, cum jubet patri referri omnem gloriam, quod homines arrogantes et jactabundi faciunt. Videtis enim describi in eo summas et maxime heroicas virtutes, quales non fuerunt in Achille, Scipione, Alexandro.

Ioseph cum in summis honoribus esset, tamen humiliter et submisse se gerit erga fratres, ut non aspernetur eos, sed compellet blandissime, et lacrymas fundat prae gaudio conspectus et agnitus ab illis, quin etiam osculatur et complectitur eos. Non igitur ullum aliud exemplum invenias, in quo major humanitas et suavitas ingenii et morum sit, quam in Ioseph. Non meminit caedis et flagitii fraterni, sed absorben-

tur omnia immenso mari mansuetudinis, comitatis et caritatis.

Hae virtutes et opera excellentia lucent in eo, et scribuntur nobis in exemplum et emendationem, ut inquit Paul. 2. Tim. 3, 16: „Omnis scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus." Abunde enim testatur Spiritus sanctus, qui haec mandavit literis, Deum magnopere delectari leviculis et carnalibus istis, quae in speciem quidem exilia et contemta, sed in oculis Dei pretiosissima sunt, cum fiant in spiritu et fide.

Et ruit in collum Benjamin, flevitque. Sed et Benjamin flevit super collum illius. Et osculans omnes fratres suos flevit super eos. Et postea locuti sunt fratres ejus cum eo.

Vide insignem humanitatem et mirabilem amorem fratrum; non enim Benjamin tantum osculatur, quem singulari benevolentia complectebatur, et in eo quoque matrem Rahelem et parentem honorabat, sed et reliquos omnes indifferenter. Ac miror quomodo fuerit affectus, cum ad osculum et fletum super Simeon et Levi ventum est. Illi enim duces sceleris fuerunt, ut supra audivimus, et tamen amplectitur eos aeque atque alios.

Fuit sane mitissimus et humillimus spiritus in tanto principe, tam sapiente et sancto. Annon enim mirum est, quod cum lacrymis et ingenti commiseratione osculatur hostem suum et parricidam Simeonem?

Non potuit autem fieri, quin insigniter commove-

retur animus ejus in amplexu fratris uterini, huic enim, cum filius esset Rahelis, plus debuit, quam illis, qui ex Lea nati erant. Relinquit enim Deus hoc privilegium carni, et merito quidem, ut major στόργη sit inter eos, qui ex iisdem parentibus nati sunt, quam erga alienos. Sicut Joseph magis dilexit Benjamin, quam ceteros, et praesertim hostes, qui vitae ipsius fuerant insidiati. Tamen nihil mali machinatur, nec cogitat, sed suavissime amplectitur eos. Quae omnia voluit celebrare Spiritus sanctus, ut obscuraret et obrueret prodigiosa opera monachorum. Haec enim quia fiunt in verbo et Spiritu sancto, sublimiora sunt omnibus operibus et virtutibus summorum heroum.

Simeon igitur, qui ipsum occiderat, carissimus et exoptatissimus est. Pater vero duriorem se praebebit, nec condonabit et obliviscetur prorsus sceleris illius, maledicet enim Simeoni et Levi. Et Moses cum benedicit filiis Israel nullam prorsus mentionem facit Simeonis. Tribui Leviticae, unde ipse quoque oriundus erat, large benedicit, et in aliis locis omnibus, ubi meminit duodecim tribuum, nusquam omittitur Simeon. Sed in recensenda benedictione ejus obmutescit Moses.

Hieronymus sive suo judicio, sive aliorum sententia, ideo dicit Mosen non voluisse ejus meminisse, quod ex ipso nascendus esset Iudas proditor, et etiamnum inter faeces istas Iudaeorum Simeonis tribus est contemtissima; sicut testatur Lyra super caput 49, cum ait: Sed addunt Hebraei de dispersione Simeon, dicentes: Non est pauper scriptor, nec paedagogus, nisi de Simeon. Hoc est dictum, quod illi de tribu Simeon discurrebant per sortes aliorum ad quaerendum victum scribendo vel pueros docendo, sicut Clerici apuperes faciunt apud Christianos. Haec ille.

Deinde nihil unquam insigne ab illis gestum est in tota historia sacra. Dafs er für Gott nit ist trefflich gehalten worden, sondern trollt mit unter den andern zwölfen, als ein armer Bettler. Quia Iacob maledixit, et Moses plane de eo tacet. Ioseph igitur multo mitior et clementior est, quam Iacob pater aut Moses frater, siquidem omnes osculatur, et amplexus fratricidam illum plorat.

Arbitror autem non omnes eodem animo accepisse haec oscula. Simeon longe aliter affectus fuit, quam Iuda aut Isaschar propter animum saucium conscientia sceleris, cujus morsus et stimulos sensit haud dubie, neque unquam memoriam flagitii perpetrati potuit abjicere. Sicut postea defuncto et sepulto patre nequeunt acquiescere, praesertim Simeon. Cum enim rediissent ex terra Canaan, orant, ne velit meminisse injuriae illatae, et allegant autoritatem patris, cujus mandato id petant. Ibi ostendunt vulnus conscientiae post tot signa exhibita certissimae et summae benignitatis, misericordiae et beneficentiae, nondum prorsus sanatum esse.

Iudae et Benjamin animus multo tranquillior fuit. Simeon vero et alii trepidaverunt, ac suspicati sunt, ipsum propter patrem fortassis hactenus humiliorem se praebuisse. Eo autem defuncto rediturum jam ad ingenium, et vindicaturum peccatum eorum. Adeo misera et suspicax est conscientia rea, ac longe facilior est praevaricatio sive offensio, quam sanatio ejus. Peccatum geht süsse ein, aber saur aus.

Vides igitur, Ioseph excellere in remissione peccatorum ipsum patrem et Mosen, cum non meminerit venditionis. Pater vero maledicet Ruben, Simeon et Levi, et Moses Simeonem silentio praeterit. Solus Ioseph amanter eos compellat et tractat suavissime.

Ah mein lieber Bruder, Simeon, Levi, ex toto corde ignosco et condono vobis. Erant tum in potestate ejus, ut legibus contumeliam acceptam ulcisci potuisset, sed non sinit hoc insignis commiseratio et suavitas animi, non aliud cogitantis, quam de remittendo, benefaciendo, consolando. Quia conscientia eorum graviter sauciata est, et conflictantur doloribus acerrimis, qui nec leniri, nec tolli facile possunt. Ideo ductus misericordia, cogitat: age, volo fieri theologus, medicus, servus servorum, ut lucrifaciam eos, qui voluerunt me perditum. Nec verbis solum, sed et factis eos salvos cupit. Sed sequuntur tamen poenae inflictae divinitus per Iacob et Mosen. Unser Herr Gott wills nit lassen so hingehn.

Iam vero post exemplum mansuetudinis et caritatis excellentissimum incipiunt respondere fratri. Hactenus enim attoniti inopinato gaudio obmutuerunt, ne possent verbum ullum proloqui. Sed effusa ista mansuetudo et beneficentia addit eis animum, ut loquantur confidentius. Non autem meminit Scriptura sermonum, qui utrimque habiti sunt. Sed facile colligi possunt ex affectibus. Hi, qui fuerunt innoxii, Dan, Isaschar, Benjamin, etc. forte dixerunt: Ah, mi frater Ioseph, nos abhorruimus toto pectore a tanto flagitio. Tu vero Simeon quanta tristitia et dolore affecisti patrem nostrum. Simeon agnovit et deprecatus est culpam humiliter: Ah, lieber Ioseph, ich bin der Bub etc., wär werth, dafs du mich rädern und ädern liessest. Iuda et Ruben dixerunt: Nos cupivimus te liberare et reducere ad patrem, sed frustra, et tamen peccarunt, quod dederunt consilium de vendendo fratre.

Saepe etiam ingeminarunt curas, sollicitudinem,

lacrymas parentis ac reliquarum matrum Bilhae et Zilpae, etc. quae moerore animi interea exstinctae fuerunt. Addiderunt et alia de rebus domesticis. Breviter fuit humillima confessio omnium et deprecatio culpae.

Ac videt ipse angustias eorum, das schändliche vulnus. Ideo in hoc elaborandum duxit, ut erigeret et sanaret perturbatos, sicut dixit supra: Deus misit me ad vivificandum, ad ponendas reliquias vobis, etc. Ut enim secura mens quasi juge convivium est, juxta Salomonem, ita animus aeger ac sibi male conscius semper est jugis infernus, qui nihil aliud erit, quam ipsa conscientia mala. Si Diabolus non haberet ream conscientiam, esset in coelo. Ea vero accendit flammas inferni et exsuscitat horribiles cruciatus et erynnias in corde. Ab extra Diabolus non metueret saxa, incendium, aut quaevis alia tormenta, sed intus excruciatur et torquetur in corde. Ira Dei est infernus Diaboli et omnium damnatorum.

E contra quantum gaudium et robur sit animi tranquilli, in sanctis Martyribus apparet, qui in media passione et morte riserunt et laudaverunt Deum, quod impii non possunt facere propter conscientiam ream, qua fit ut blasphement, irascantur et oderint Deum toto pectore.

Discamus igitur vel poenarum metu, et immedicabilis illius mali, quod est animus saucius, cavere lapsus, quia difficillima lucta est cum conscientia peccati. Der lapsus ist leicht geschehen, sed revocare gradum, rursumque ad auram illam benignitatis et misericordiae divinae aspirare, hoc opus, hic labor est.

Aliquoties jam discipulorum Christi exemplum proposuimus, qui conturbati et confusi erant, non aliter,

ac si manibus suis dominum suum trucidassent, propterea quod defecerant ab eo. Sed quid agit Christus? Totis quadraginta diebus colloquitur cum eis de regno Dei, de remissione peccatorum, de misericordia Dei, item de passione sua. Vos non occidistis, nec offendistis me, inquit, sed hoc fuit consilium et voluntas patris mei, ut paterer mortem et resurgerem, ut in nomine meo praedicaretur remissio peccatorum. Et tamen non omnes erigit. Vehementer doluerunt haud dubie de desertione illa. Ah, es ist uns leid, et utcunque sermonibus Christi acquieverunt, sed animus non adeo tranquillus ac serenus esse potuit, ac si nihil tale admisissent.

Petrus cum tertio a Christo interrogaretur: Petre amas me? pasce oves meas: addit Iohannes, eum valde fuisse contristatum. Quare? Aculeus et memoria peccati terrebat eum, tametsi Christus peramanter eum compellaret, et eo ipso fidem ejus exsuscitare et confirmare studeret, tamen recordatio peccati facit, ut dicat: Tu scis, Domine quod amo te. Antea dixerat: Paratus sum tecum ire in carcerem et mortem, et potuisset id ei exprobrare Christus. Sed eodem modo se gerit erga Petrum et reliquos, quo Ioseph erga fratres, colligit perturbatos, solatur, effundit viscera misericordiae et divitias remissionis peccatorum. Noch hat er vierzig Tag an ihnen zu binden, und zu heilen. Ita Ioseph aliquot diebus mederi studuit vulneri fratrum, colloquiis suavissimis, convictu familiari et fraterno, ut per eos etiam aegritudinem parenti adimeret, qui et suis malis, non quidem peccati et scelerum, sed tristitiae et tribulationis conflictabatur.

Est igitur exemplum Ioseph vera et illustris ima-

ge resurrectionis Christi. Ac talia quotidie fiunt in Ecclesia. Siquidem hoc peculiare munus est episcoporum et pastorum, docere, erigere et consolari, non quidem duros et insensatos, qui verbis corrigi nequeunt, ac relinquendi potius sunt tortori et carnifici, sed afflictis et laborantibus applicare resinam Scripturae sanctae: Noli timere, etc. Confide, fili, remissa tibi sunt peccata tua. Sed quam difficilis sit haec applicatio, et mea et aliorum experientia testatur. Ego circiter triginta annos legi Biblia summo studio et diligentia, tamen nondum ita sanatus sum, ut plena fiducia acquiescere queam remediis divinitus ostensis. Cuperem esse fortior et robustior in fide, et superbior in Christo, sed non possum.

Vulnus igitur infuso oleo et vino sanatur in hospitio. Ecclesiae enim nihil aliud sunt, quam hujusmodi diversoria, in quibus curatur populus sentiens peccatum, mortem, pavores et vexationes conscientiae laesae et vulneratae. Ibi sane curatio fidelis et diligens adhibenda est a ministris infundendo oleo et vino. Quia saevissimus morbus est peccatum, ac conscientia res tenerrima et veluti tenerrimus ligni vermiculus, quod de Davide vetus interpres reddidit 2. Reg. 23. Is enim exigua saltem laesione cuticulae exstinguitur.

Ac usitatus et bonus versiculus idem docet: Non patitur ludum fama, fides, oculus. Ut enim fides, hoc est, conscientia levissimo momento offenditur, ita oculus ac fama subtilissima res est, quae facillime laeditur. Saepe ex uno verbulo imprudenter effuso aut perperam accepto, infinitae calumniae et obtractationes oriuntur. Sic igitur facta est reconciliatio et curatio horum fratrum, quamquam nondum prorsus re-

stituti sunt. Et est illustre exemplum sanationis, quae solet fieri in Ecclesia per ministros et doctores.

Suavissime autem pingit Moses amplexum Ioseph et Benjamin. Et ruit, inquit, in collum Benjamin, flevitque, sed et Benjamin flevit super collum ejus. Sic etiam Gad, Naphthali, Zebulon, etc. ab eo pependerunt, ac magna voluptate audivit singulorum narrationes de patre, de matribus defunctis et aliis rebus. Reliqui majores natu non ausi sunt tam prope accedere, licet ipsi quoque de statu et sollicitudine patris quaedam commemorarunt.

Inde autem fama in totam aulam dimanavit de mutua agnitione et colloquio horum fratrum, atque pastor ille Hebraeus et mendicus, qui vix naturiolum in terra Canaan habebat, celebratus est per universam Aegyptum, antea nemini notum fuit, quis esset Ioseph, aut quibus parentibus natus esset.

Ac mirum sane est, quod in eo fastigio rerum et gubernationis constitutus, non misit nuncios, qui statum totius familiae explorarent. Sed reddit ipse rationem facti in nomine Manasse: Oblivisci me fecit Deus domus patris mei. Cum enim viginti duo anni elapsi essent, ex eo tempore, quo fuerat venditus, cogitavit interea patrem luctu et aegritudine animi exstinctum, Benjamin vero improbitate fratrum sublatum esse, ut Simeon solus dominari posset, et totus ludus, quem lusit cum fratribus, eo pertinuit, ut de vita et incolumitate patris et familiae sciscitaretur accuratius. Ita omnem spem abjecit de vita parentum et fratris, ac totam domum miserabiliter perturbatam et confusam esse cogitavit. Audivistis enim, quam sollicite inquisierit de Benjamin, ac vinculis et carcere

xtorquere veram de eo narrationem conatus sit, doec coram ipsum intueri posset.

t fama ipsa audita est in domo Pharaonis, t dicerent: Venerunt fratres Ioseph, et placuit Pharaoni et servis ejus.

Spargitur rumor per totam aulam de fratribus oseph, ac passim celebrantur cum Iacob parente suo i universa Aegypto et vicinis regionibus, cum in terra promissionis, in qua tum degebat, prorsus obscurus t ignotus esset. Peregrinus vero et in terra aliena iclarescit et floret pulcherrime. Mira igitur res est, uod eo in loco, qui divinitus ei promissus et destiatus fuerat, prorsus abjectus et ignobilis est, et ne ilum quidem eorum possidet, quae exspectanda ipsi rant ex ditione Canaan; quin etiam horribiliter ibi ffligitur et excruciatur, Bilha et Dina stuprata, Ioseph vendito et amisso, Rahele conjuge carissima extincta in partu. Nulla prorsus gloria est, sed summa gnominia cum ingenti dolore et tristitia.

Ac Ioseph quidem antea nihil potuit de sua famiia et origine gloriari, cum patrem jamdiu desiderio ui confectum esse statueret, ac propterea primogenium filium Manassen vocaret, ac tantum diceret se Iebraeum, ac furto sublatum esse et translatum in Aegyptum. Iam vero agnitis et visis fratribus, cumque pervasisset fama de illis aliquot diebus totum regnum, extollitur et celebratur Iacob in terra aliena passim ab omnibus. Quin etiam Pharao cum servis uis valde delectatur hoc nuntio.

Causam autem, ob quam regi tantopere id placuit, affert Lyra, quod licet diligeret Ioseph propter beneficia toti regno collata, tamen id sibi turpe du-

xerit, quod servus emtitius et eductus e carcere dominaretur in tanto regno. Videmus enim, ut Cicero inquit, quanta sit in invidia, quantoque in odio apud quosdam homines nobiles novorum hominum virtus et industria. Ideo regem sibi gratulatum esse, quod genus et originem ejus liceret cognoscere.

Ac omnino necesse est, fuisse et regem, et nobiles Aegyptios viros bonos et pios, qui tantopere dilexerunt Ioseph, atque in eo incredibilem sapientiam, sanctitatem, pietatem et virtutes omnis generis admirati sunt. Nec tamen defuerunt aemuli et adversarii. Non enim dicit textus in omnium servorum oculis id placuisse. So ist der Hofteufel nicht todt, et regnant in aula septem peccata mortalia multo magis, quam in familiis privatorum. Et quanta sit ibi potentia Diaboli, testatur locus Danielis 10, 20 ubi inquit Angelus; „Numquid scis quare venerim ad te? et nunc revertar, ut proelier adversus principem Persarum, cum enim egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens.“

Sic in Aegypto quoque haud dubie Diabolus fuit; sed benedictio Dei superavit ejus furorem. Et Deus hunc peregrinum evexit, et dedit regem miti et placido ingenio, et principes aliquot amantes virtutis et pietatis, qui ipsum amaverunt et coluerunt, ut patet ex Psalmo 105. Alii vero aemulatione et invidia incensi saepe duriter eum exercuerunt; sicut Daniel in regno Babylonico vir sanctus et innocens tamen calumniis aulicorum et injustis criminationibus apud regem tandem in foveam conjicitur.

Hoc usitatum est in omnibus aulis, ut boni sycophantarum technis et fraudibus opprimantur. Supra tentatio, qua in carcerem missus est, descripta est;

uidquid vero postea in administratione adversi accidit, non commemoratur.

Etsi igitur genus pastorum universum plerisque omnibus Aegyptiis abominandum fuit, tamen tanta pietas et bonitas regis fuit, ut non offenderetur obscura la conditione. Lafs mir den Schäfer bezähmen, wird r gesagt haben. Fuit ei carior aliis multis nobilibus t proceribus regni. Haec nimirum est manus Dei uscitantis a terra inopem, et de stercore erigentis auperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Nihil vero dubium est, quin totam suam progeiem retro ad Thare et Noah usque numerando recensuerit regi, adeoque demonstrarit, se in nobilissia familia summorum virorum natum esse.

Ac fuit id regi gratissimum. Nam quod Lyra addit, adeo honesta et splendida facie fuisse fratres Ioseph, ut ex forma nobilitas eorum deprehendi facile osset, mihi non fit verisimile. Fuerunt enim opiliones forma et cultu illi generi hominum usitato, quem om spectavit rex, aut proceres ejus, sed propter virutem et sapientiam eximiam dilexerunt Ioseph.

Dixitque ad Ioseph Pharao: Dic ad fratres uos: Hoc facite, onus imponite jumentis estris, et euntes pergite in terram Caaan, et adducite patrem vestrum, et doos vestras, et venite ad me, et dabo vois bonum terrae Aegypti, ut comedatis medullam terrae.

Quamquam Ioseph supra propria auctoritate manata dedit fratribus, ut adducerent patrem ex terra anaan, et promisit, se velle ipsum cum tota domo

et familia alere, tamen hic clarius exprimitur; quod non velit hoc facere sine consensu et auctoritate regia. Non igitur superbit, nec effert se immodice propter fastigium illud dignitatis et principatus in Aegypto, sed humiliter et submisse se gerit, honorat regem, et citra ejus voluntatem nihil suscipit. Rursus vero et regis humanitas praedicatur, qui statim assentitur, et ex animo cupit Ioseph et patri benefacere.

Non fuit ea confidentia et temeritas in Ioseph, qualis hodie in nostris quaestoribus est, qui proprio ausu et malitia quidvis audent in procurandis rebus principum et dominorum suorum, ipsis saepe aut inscijs, aut invitis. Talis non fuit Ioseph, non enim inflatus est suis honoribus, sed continuit se intra metas modestiae et humilitatis, et agnovit, se debere observantiam et honorem regi.

Talis animus profecto sui compos est, qui non effertur rebus secundis, sed retinet aequabilitatem eandem, quam ante principatum et gloriam praestitit. Ea vero valde rara et miraculosa virtus est. Sicut queruntur ethnici poetae, et historici de imbecillitate et inconstantia humanarum mentium:

Nescia mens hominum fati, sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis.

Animus hominis non potest non extolli rebus prosperis, et econtra adversis dejici et desperare, sicut omnes historiae, etiam summorum virorum testantur. Cajum Caesarem, cum res non succederet ex animi sententia, ferunt tristi vultu et capite summisso incessisse. Magnum igitur est, sibi ipsi posse constare, sive adversa, sive secunda fortuna sit, et requiritur cor, quod habet certam et plenam fiduciam in Deo

solo, nec obliviscitur Dei, quando succedunt omnia feliciter, nec dejicitur, cum sentit se destitui successu et exitu secundo, quin etiam in adversis fortior est fides, quam in secundis, juxta illud 2. Corinth. 12, 9: „Virtus mea in infirmitate tua perficitur."

Fuit igitur Ioseph magnus et admirabilis vir, qui eadem moderatione usus est rebus florentibus, qua antea in carcere et servitute.

Pharao quoque inter pios reges merito refertur, cui haud dubie benedixit Deus propter Ioseph et pietatem singularem, qua fuerat institutus ab eo in religione et politia. Non enim fuit otiosus Ioseph in Aegypto, sed summo studio et diligentia doctrinam de Deo propagavit, et tradidit regi, proceribus et universo populo. Dominus dedit ei regem audientem et obtemperantem, et multos principes, sacerdotes, magistratus cupidos discendi.

Nec mirum est, si qui alii impii et increduli admixti fuerunt. Satis fuit, quod substantia regni habuit verbum, perinde ut apud nos multi mali et perversi sunt. Tamen Ecclesia et schola est pia, quod ad substantialia attinet, non docentur impia aut impudica, sed divina et honesta traduntur. Si qui vero sunt, qui his beneficiis abutuntur, illorum improbitate non movemur, quo minus secundum substantiam judicemus; sicut in corpore humano plus excrementorum colligitur ex cibo et potu, quam carnis et sanguinis, et tamen corpus sanum et mundum dicitur, quando substantia ejus integra manet; neque enim secundum turpia, sed secundum substantiam judicamus. Sed quando conciones, judicia, magistratus in Ecclesia et politia corrupti et vitiosi sunt, id longe pessimum est, et facile confusio diabolica deprehenditur, tametsi

magna specie sanctitatis fulgeant omnia, sicut haeretici gloria bonorum operum magnifice se jactare solent.

Fuit igitur regnum Aegypti eo tempore pulcherrimum et florentissimum non solum corporaliter, sed et spiritualiter, ac nunc magis augetur et ornatur gloria Patriarchae et Prophetae Ioseph. Iamque adeo colligit Deus universam Ecclesiam in hoc regnum, et accedit ea dignitas huic regi, ut fiat hospes et nutritius totius Ecclesiae. Siquidem Iacob cum filiis et filiabus, et omni familia ad se transferri jubet.

Neque enim pastor tantum fuit Iacob, aut oeconomus, quod Papistae in eo solum considerant, ac aversantur conjugium, procreationem sobolis, curam rei familiaris et similia, sed hoc potius nomine suspicere eum debemus, quod fuit Patriarcha, Propheta et Angelus Dei, qui ubicunque ageret, habuit apud se verbum Dei, quod est Deum et Angelos secum habere. Ubi enim est Ecclesia, ibidem est et ministerium Angelorum, ut testatur Psalmus 34, 8. „Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.“ Item 125, 2: „Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, et usque in seculum.“

Proinde Pharao rex sanctus non excepit ignobilem et contemtum hospitem, cum Iacob et filiis ejus hospitium praebuit, sed recepit Ecclesiam Dei et Angelorum, quae profecto ingens gloria Aegypti fuit. Postea vero, ut solet ingratus mundus, non meminit accepti beneficii, nec meritam gratiam retulit hospitibus suis.

Itaque non tam in Patribus spectandum est, quod

fuerunt pastores ovium, quod mulserunt capras, et alias operas domesticas obierunt, quam quod principale est in Iacob et aliis, nimirum promissio divina: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ex te salvator mundi orietur. Praecipuum enim et summum pondus, pretium ac ornamentum historiae Patriarcharum est verbum Dei.

Monachi hac luce de voluntate et approbatione divina sui ordinis prorsus carent. Non enim possunt gloriari, vitae suae genus fundatum esse promissione Dei. Ac si diligenter id inspexeris, videbis esse homines carnalissimos et sine verbo. Itaque ex Diabolo esse, nihil dubium est. Atqui non dormio cum uxore, inquiunt, non sum occupatus curis et negotiis domesticis, vaco orationi, lectioni, meditationi. Recte sane. Sed non poteris certus esse, quod tuus ordo sit institutus a Deo, aut per verbum promissionis confirmatus.

Quanto vero rectius faceretis Francisce, Dominice, atque omnes Papae et Cardinales, si mulgeretis vaccas, purgaretis domum scopis, aut quascunque operas in domestica administratione obiretis? Quia paterfamilias habet promissiones etiam temporaliter, propterea quod instituit Deus conjugium in quarto praecepto, cum inquit: Honora patrem et matrem, etc. Ergo paternitas et tota obedientia cum omnibus operibus domesticis sanctificata, ornata et instituta est divinitus, ac praeter haec omnia singularis promissio illi adjuncta est, fore longaevos liberos, qui parentes honore afficiunt, quorum nihil de Canonicis, de Papa et Cardinalibus dici potest.

Tandem vero in extremo agone destituti omni luce et consolatione animum despondent. Sicut ante

haec tempora Canonicus quidam Erphurdiensis mihi notus fuit, qui solus viginti duo beneficia habebat, cum vero in extremis laboraret, et incertus esset, quonam ex hac vita ipsi emigrandum foret, miserabili gemitu et ejulatu hanc vocem emisit plenam desperationis: O, utinam fuissem in vita mea opilionis aut subulci alicujus famulus. Vivunt enim in diem *dum* valent, sine Deo, sine luce et cruce, et sic etiam moriuntur.

Danda igitur est opera, ut habeamus in *nostro* vitae genere etiam temporalem promissionem, qua acquiescat animus. Sicut inquit Paulus 1. Tim. 4, 8: „Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae;“ sicut Patres habuerunt promissionem oeconomicam, politicam et ecclesiasticam, sive aeternam.

Ideo Pharao non excepit hominem privatum, oeconomicum aut politicum, sed ipsam ecclesiam Dei, quam fovet, alit, defendit. Haec insignis gloria et regia dignitas est, qua merito sanctissimi et pientissimi, ac a Deo honorati nomen adeptus est, divinitus enim ad tantum munus excitatus est, ut servaret ecclesiam, praeberet locum, tempus, defensionem, *ut* colligi, multiplicari et aedificari ea posset.

Pulcherrimus igitur hic locus est, quod tantopere delectatur Pharao fama de patre et fratribus Ioseph, et quamquam essent abominabiles pastores Aegyptiis, tamen hanc familiam Iacob et Ioseph magni facit. Si enim patris domum specto, dixit, video, eam valde speciosam, et praeclare ornatam esse a Deo. Tu vero Ioseph plenus es Spiritu sancto, excellis sapientia, pietate et consilio omnes proceres regni, qui quidem detestantur pastores, neque ego hoc sanctum

seculare, sive morem patrium et mundanum possum corrigere, aut mutare. Verum ego cum voluptate patrem et universam familiam tuam, etsi sunt opiliones, aspicere et recipere cupio.

Utinam hodie quoque tales principes plures haberemus. Fuit enim haec excellens et incomparabilis virtus in rege Pharaone, quae merito ab omnibus praedicatur, ac plenum fuisse fide et Spiritu sancto inde apparet, quod tanta benevolentia, et gratis sine ulla cupiditate fovet ecclesiam. Nam hoc tempore multos invenias, qui evangelii doctrinam profitentur tantisper, donec parochias, collegia et monasteria expilarint. Paucissimi sunt, qui pietatis studio et ex animo favent doctoribus et pastoribus ecclesiarum. Si qui vero sunt tales, hi Pharaonis exemplum recte sequuntur, sed profecto religiosissimum, sanctissimum et christianissimum est. Non enim privatis commodis inhiat, neque aliud quicquam spectat in fovenda ecclesia, quam pietatem et religionem, nihil rapit ipse, quin potius omnia bona sua offert, et profundit ad tuendam et alendam domum Iacob.

Id exemplum profecto dignissimum est, quod omnes reges, principes, magistratus, nobiles in conspectu habeant, ac summo studio imitentur in fovendis et sustentandis piis pastoribus, ministris Ecclesiae et scholasticis. Sed contrarium hodie fit, non solum a Pontificiis, sed iis etiam qui emendationem Ecclesiarum instituunt et eo praetextu spoliant Ecclesias iis bonis, quae ad conservationem ministerii et scholarum conferendae erant.

Ceterum domos Iacob intelligit non ligna et lapides, neque enim habitavit ipse cum filiis in domibus, sed in tabernaculis, more pastorum Arabum, aut No-

madum, qui non poterant uno certo loco consistere, sed pascua in diversis locis sectari cogebantur. Itaque domos pro familia, pro filiis et filiabus, nepotibus et neptibus, cognatis et affinibus, qui una fuerunt, accipimus. Ac fuit haud dubie magnus numerus eorum, qui descenderunt cum Iacob in Aegyptum. Infra dicitur; Omnes animae domus Iacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuere septuaginta, verum non numerantur uxores, filiae, neptes, servi, ancillae, affines cum conjugibus, tantum substantiales personae recensentur.

Promittit insuper Pharao medullam terrae, hoc est, fertilissimam et optimam partem Aegypti. חָלָב significat lac, חֵלֶב adipem, sive pinguedinem. Habel obtulit de primogenitis gregis sui et de adipe illarum, hoc est, de pinguissimis ovibus, delegit optima ex primogenitis, das Beste und Niedlichste. Sic Pharao adeo largus et munificus est, ut cupiat profundere optima et selectissima totius terrae. Venite, inquit, honorabo Ecclesiam, Deum et Prophetas, ac quidquid est optimarum rerum, vobis suppeditabo, deligetis pascua fertilissima, et omnia necessaria ad curam pecorum. Man soll euch das Beste geben.

Est igitur exemplum excellentissimum, ad quod respexit Iesajas, cum inquit: Reges erunt nutritii tui. Tales fuerunt olim Theodosius, Constantinus et alii multi. Nostri principes tantum rapiunt et expilant Ecclesias, et quamquam multae abundant reditibus, tamen pauci inde suppeditant, quod sufficiat in usus necessarios ministrorum et pastorum. Man gibt gar zu wenig davon. Adipem vero monasteriorum et collegiorum rapiunt ipsi: quod quidem in hac βουλιμία principum utcunque toleramus, sed meminisse tamen

debebant hujus exempli, ut si non adipem velint dare, ne tamen pro pane paleas praebeant.

Nos Dei beneficio optimum principem habemus, ac sunt alii quoque, qui serio afficiuntur cura Ecclesiae, qui alunt ac defendunt pastores, sed admodum rari sunt. Avaritia et superbia aulica radix est omnium malorum, et in abundantia sacerdotes avaritiae se dedunt, ut olim, nec incumbunt studiis ea, qua debebant diligentia. Iam vero ad Ioseph se convertit Pharao.

Praecipe etiam illis: Facite hoc, accipite vobiscum plaustra e terra Aegypti, pro parvulis et uxoribus vestris, et advehite patrem vestrum, et venite. Nec poeniteat vos si supellectilem vestram post vos relinquatis, quia bonum universum terrae Aegypti vestrum erit.

Est repetitio prioris commissionis, qua tradidit Pharao annulum suum et currum Ioseph, eumque constituit dominum et gubernatorem totius regni, sicut paulo ante Ioseph ipse hanc potestatem praedicavit, se positum esse patrem regis, quamquam nihil ageret sine ejus auctoritate et consensu.

Itaque hoc vult Pharao: Tu scis me omnia rata habere quaecunque in toto regno geris, ideo haec quoque tibi curae erunt, tu es praeceptus, sive jussus (est enim passivum), habes mandatum et potestatem omnium rerum, jube igitur, ut currus accipiant, si forte paupertas aut aliae difficultates obstant, quo minus possint venire, aut certe tardius progrediendum sit cum parvulis et pecudibus, sicut supra Iacob excusabat se fratri Esau, quod pedetentim incederet propter

impedimenta familiae et pecudum. Idem Pharao quoque hic cogitat, et considerat sua sponte, quae possint remorari iter eorum. Habent, inquit, parvulos, conjuges, ac forte infirmos ac languentes, qui non poterunt iter ingredi pedibus, nec in promptu plaustra habent, nec facile a vicinis impetrabunt, tollite igitur currus ex Aegypto, quo commodius hoc iter perficiatis. Ita Moses admodum copiosus est in praedicanda liberalitate regis, ut accurate eam pingat et ornet, nobis in exemplum.

Praeterea, inquit, novi, vos habere variam et copiosam supellectilem, qualis solet esse rusticorum aut opilionum, eam sine incommodo non omnem poteritis huc transferre. Proinde oculi vestri non parcant vasis, sic enim in Hebraeo est, hoc est, non poeniteat vos aliqua relinquere, bonum enim totius Aegypti vestrum est. Hebraeis significat vas supellectilem, utensilia et instrumenta, aut penum domesticam. Infra Simeon et Levi dicentur vasa iniquitatis, et novum Testamentum corpora nostra appellat vasa irae aut misericordiae. Item 1. Thessal. 4, 4: „Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione concupiscentiae," hoc est, corpus suum et uxoris. Ita hoc in loco universam supellectilem vasa nominat, ac jubet ea quae non possint auferre aut vendere aliis illic relinquere.

Iudaei et Rabbini contrario sensu hanc particulam interpretantur: Ne parcatis vasis vestris, hoc est, curate, ne quid relinquatis in terra Canaan. Sed nimis Iudaicum hoc est, nec congruit cum sequentibus. Ideo rectius sic exponitur: Contemnite vestra utensilia, ne vos remorentur, vel impediant. Quare? quia hic omnium rerum copia frui vobis licebit. Habent igitur

mandatum a Ioseph primum, deinde a rege, quod Moses diligenter describit, ut commendet hospitalitatem, et mirabilem clementiam regis erga Ecclesiam. Insignis enim ejus benevolentia fuit erga peregrinos, quos norat in suo regno abominandos esse. Sed servit ea in re Ecclesiae, propter verbum, cultum et gloriam Dei, ist ein rechter heiliger König.

Fecerunt autem sic filii Israel, deditque eis Ioseph currus juxta mandatum Pharaonis. Dedit etiam eis commeatum pro itinere. Dedit insuper singulis vestes mutatorias; ipsi autem Benjamin dedit trecentos argenteos et quinque mutatorias vestes.

Supra curruum tantum mentio facta est in mandato regis. Ioseph vero addit insuper viaticum, sine dubio regis jussu, quamquam id clare non fuit expressum. צֵדָה a צַיִד commeatus est pro itinere. Genesis 10, 9 de Nimrod dicitur: Ipse fuit potens צַיִד venatione. Et 27. Isaac inquit: Comedam de venatione tua. Hic vero annonam vel alimoniam significat, ein Zehrung, a venatione, cujus significationis nulla potest reddi ratio.

Id enim omnibus fere linguis usitatum est, ut vocabulis varie utantur, nulla ratione etymologiae habita. Sic Genesis 3, 7. Fecerunt sibi חֲגֹרוֹת proprie campestria, vel castrensia, sed nihil sonat eo in loco, nec ex etymologia vis ejus peti potest, sed usus ostendit, significare perizomata sive subligacula.

Eodem modo Latini per antiphrasin bellum dicunt quasi minime bonum, sive quod inexpertis bellum et dulce sit. Die jungen Krieger sind gar thöricht, die heissens bellum. Sic multa vocabula valent usu re-

rum, tametsi etymologia non congruat. Sin autem venationibus victum quaesiverunt, non admodum absurdum aut alienum est, si venatio pro commeatu accipiatur. Ut Psal. 132, 15: „Venationem ejus benedicam, hoc est, alimoniam ejus: Ego regno Christi providebo cibum, potum, vestimenta et omnia necessaria ad hanc vitam.

Iam vero et pietas Ioseph singularis erga patrem et fratres conspicitur, qui jussu regis sufficiens viaticum et commeatum praebet, et addit insuper pecuniam et pabulum pro pecudibus, omniaque quibus opus habebant ad iter hoc conficiendum in terram Canaan et reditum in Aegyptum, quin etiam vestes addit singulis, ac fratri Benjamin numerat trecentos argenteos, patri vero decem asinos mittit, qui ferant frumentum. Memorabilis ergo hic locus est propter insigne exemplum excellentis nutritii Ecclesiae Dei.

Vestes mutatorias חֲלִפוֹת nos reddidimus Feierkleider, non vulgares et quotidianas, quibus induimur in domesticis operis obeundis, sed quietis et Sabbati ornatum festivalem, qui ad cultum corporis elegantiorem pertinet.

Sic Psalm. 102, 26. 27 dicitur: „Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.“ Coelum et terra paulatim mutantur et veterascunt, ac tendunt ad corruptionem, postea vero induent novam vestem. Deus enim non solum terram, sed et coelum ipsum longe pulchrius faciet, ubi veteri indumento fuerit exutum. Das ist nur sein Werkelkleid, hernach werden sie ein Osterrock, und Pfingstkleid anziehen. Hodie non est tanta claritas et splendor luminis solaris, quanta

post hanc vitam erit, neque tantae sunt vires reliquarum creaturarum, quantae initio creationis fuerunt. Sicut testantur rustici, naturam paulatim senescere, ac arbores sive in saltibus, sive in hortis citius succrevisse ante triginta aut quadraginta annos, quam nunc, et incrementa sex aut septem annorum in arboribus horum temporum vix aequare annuum augmentum superioris seculi.

Terra igitur alio indumento ornabitur, et coelum quoque ac luminaria longe erunt splendidiora. Ut apud Iesajam dicitur Cap. 30, 26. Sed et lux lunae erit sicut lux solis et lux solis septies clarior erit. Einen alten Rock, der zureisset, mufs man mit einem neuen flicken.

Ad eundem modum nos quoque purgat Deus a peccatis, et liberat a morte, quod est opus sex dierum hujus mundi, illis vero exactis, cum fuerimus ingressi in requiem ejus, tum mutabitur amictus noster lacer et sordidus in vestimentum aeterni Sabbati.

Quanti vero fuerint aestimati tunc argentei, quos numeravit fratri Benjamin, mihi non constat. Tempore Iudae proditoris utcunque colligi potest valuisse argenteum unum Ioachimicum aut aureum Rhenanum. Ac propterea hunc prae ceteris ornat hoc munere, quia est frater uterinus ex eodem patre et matre natus, inter quos arctior solet esse conjunctio. Germani appellant ganze Bruder.

Patri autem suo misit decem asinos ferentes de bonis Aegypti, et decem asinas ferentes frumentum, panem et cibum pro patre suo ad iter.

חֲמוֹר asinus, inde nomen mensurae, quae tan-

tum continet, quantum asinus potest ferre, ein Scheffel, oder Malter. Sed foemininum אָתוֹן asina apud Hebraeos non sequitur etymologiam, a quo Latini et Germani suas appellationes mutuati sunt. Bona vero Aegypti qualia fuerint, non satis scio, haud dubie de frugibus et terra nascentibus misit, quibus honoraret parentem, et persuaderet ipsi, se adhuc esse superstitem. Nec mediocre onus fuit optimarum rerum ex Aegypto, quod decem asini ferre potuerunt. Cogitavit Ioseph, id quod res erat, pater meus aegerrime sibi persuaderi patietur me vivere, praesertim vero in tanto honore et dignitate. Ideo magnificum et regale munus adornat, ut intelligat, non hominis privati, qui vix unum asinum misisset, hoc donum esse, sed principis Aegypti. Deinde ut consolationem inde habeat, cum audiat, eum non solum vivere, sed et dominari in Aegypto, ideo non tantum cibaria et vestes mittit, verum etiam optimos quosque et nobilissimos fructus Aegypti.

Moses tres species alimentorum enumerat: לֶחֶם quod proprie omnem escam significat, hic vero pro pane accipitur, Brod, gebacken Semmel. בָּר frumentum, Säck voll Kornes, ac proprie electum frumentum designat, triticum vel siliginem, adjectivum enim electum et purum significat. Haec addit, ut habeant, unde vivant ipsi in itinere, et domi apud patrem, et quod reliquum est, vendant in terra Canaan, profecturi in Aegyptum. מָזוֹן a donando, sive proferendo, ut Psal. 131, 15. Promtuaria eorum plena, significat penum domesticam, panes, carnes, potum, butyrum, caseum, ova, et similia, quorum usus est in victu quotidiano.

Profert igitur promtuaria omnis generis pro pa-

rente et fratribus. Habuerunt enim sejunctas familias, nec potuerunt omnes in eadem domo et mensa cum Iacob vivere. Benjamin jam decem filiorum pater erat, sic reliqui omnes fuerunt patresfamilias, quorum singuli peculiarem penum habuerunt, cum conjugibus, liberis, pecudibus, etc. Iacob viduus habuit etiam ancillas et servos seorsim.

Hactenus vero largitio et missio donorum, quam non dedignatus est Spiritus sanctus tot verbis describere, quantumvis tenuem et exilem, quod ad res ipsas attinet. Quid enim nostra, aut totius Ecclesiae magnopere interest, quod misit Ioseph patri Iacob caseos, butyrum et penum omnem? Cur non potius de orationibus, tentationibus, et mirabilibus operibus tantorum virorum, tantus orator Spiritus sanctus commemorat? Sed sunt haec stulta Dei, ut saepe diximus, quibus delectatur, ut glorificet Sanctos suos, et testetur eorum opera, quae sunt despectissima in oculis mundi, in conspectu suo esse pretiosissima, propterea quod fiunt omnia, ut monet Paulus Col. 3, 17 in nomine Domini nostri, Iesu Christi. Ideo enim unius servuli fidelis operae domesticae magis Deo placent, quam Monachorum tetrici cultus et abstinentiae, quia sunt opera facta in spiritu et fide. Et pondus ac pretium operum non est in magnitudine aut multitudine, sed in fide et spiritu.

Sic ancilla verrens pavimentum aut mulgens vaccas praestat Deo gratissimum cultum, ut testatur Salomon Eccl. 9, 7. 8. „Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore vestimenta tua sint candida, etc.“ De eo si fuerit certus animus, quod placeant Deo ea, quae facis quocunque

loco; nihil dubitabis ea esse et praestantissima et sanctissima. Sic discipulus audiens praeceptorem in fide, sciat se aureum opus facere. Rursus vero Monachus cum omnibus cultibus suis abominabilis est Deo, quia incedit sine verbo et obedientia praecepta a Deo.

Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: Ne rixemini in via.

רגז tumultuari, rixari, fremere. Psalm. 2 et 4: Nolite commoveri in via, macht kein Lärmen. Fuit vir sapiens Ioseph et scivit, in fratribus esse carnem et sanguinem, perinde ac aliis hominibus, ideo cogitavit levi momento posse inter eos offensiones et rixas incidere, cum atrocitatem sceleris designati omnes intelligerent, et multi inter eos essent innocentes, Benjamin et reliqui minores natu, Isaschar, Sebulon, Naphthali. Itaque veritus est, ne in itinere rixarentur, et mutuis exprobrationibus et accusationibus se proscinderent. Sic enim solent insontes sese purgare et ornare, ac totam culpam in auctores sceleris rejicere. Ideo interponit regulam caritatis et remissionis peccatorum. Agite, inquit, ego condonavi vobis peccatum, et acquievi vestra humilitate et confessione, nec solum ignovi, verum etiam cumulavi vos multis bonis, oro igitur, ut velitis hoc meo exemplo pacifici esse, et abstinere a rixis et altercationibus.

Est salutare et valde necessarium praeceptum, quo praecidit omnes occasiones rixarum, et vult omnia sepeliri et oblivione obrui. Erat Simeon praecipuus auctor sceleris, hunc videbat reliquos insectaturos. Hortatur igitur, ut parcant ipsi, neque cicatricem obductam tristissimo vulneri refricent, aut aliquid

novae dissensionis commoveant, praesertim nunc, cum ad patrem totum negotium referendum esset, qui rationem rei gestae summa diligentia erat exploraturus, donec de vita et dignitate Ioseph certior redderetur, ubi de eo quoque inquisiturus erat, quomodo et qua occasione, quibus auctoribus in Aegyptum pervenisset Ioseph. Videbat igitur Simeonem et Levi prae ceteris traducendos et accusandos fore, et futurum, ut incurrerent patris justissimam indignationem. Itaque et hoc cavet, ne rixis et contentionibus sibi ipsis et patri novae offensionis et doloris auctores existant.

Est profecto exemplum plenissimae et ardentissimae caritatis, ac cordis purissimi, quod tam facile obliviscitur et delet ex animo omnem amaritudinem et vindictae cupiditatem, idque unum summo studio agit, ut placeat ipsos et patrem Iacob. Id vero Monachi et Papistae, qui caseos tantum et pennum Iacob spectant, intueri et admirari debebant.

Ascenderunt itaque ex Aegypto, et venerunt in terram Canaan ad patrem suum, et nuntiarunt ei, dicentes: Ioseph adhuc vivit, et dominatur per totam terram Aegypti. Vacillabat autem cor ejus, non enim credebat illis.

Haud dubie cum magna laetitia omnes in hanc vocem eruperunt: Ioseph vivit. In primis vero innocentes uno ore cum lacrymis prae gaudio manantibus exclamaverunt: Vivit Ioseph, et dominatur per totam Aegyptum, neque aliud persuasum habuerunt, quam ipsum quoque patrem statim dictis suis fidem adhibiturum. Sed addit Moses, cor ejus dubium fuisse et vacillans.

Disputant autem Hebraei de his verbis: לִבּוֹ ...
ac varie exponunt. Alii dissolutum est cor ejus, ut Hieronymus, quasi de gravi somno evigilans. ... videor mihi veram ejus vim et finem assecutus ex ... servatione et collatione exemplorum Scripturae sa... tae. Puto enim significare gestum usitatum, qua... capite moto aut oculis renuentibus ostendimus r... incredibilem narrari, et cor nostrum alienissimum e... ab iis, quae a fide abhorrere, et prorsus impossibi... videntur, den Kopf schüttlen, und hum sagen, Ei e... ist Narrentheidung, es wird nichts daraus. Hoc pro... prie sonat. פוג aliena cogitare et diversum statuer... ab eo, quod narratur.

Rabbi Salomon ad hanc explicationem admodu... prope accedit. Sic enim interpretatur: Cor eju... abiit, et non credidit verbis filiorum, hoc est, longe aliter sentiebat. Es gieng ihm nicht ein. Ego liben... ter sic redderem: Nihilescebat cor ejus, vel nihili faciebat, Er achtets nicht. Sicut Habacuc. 1, 4 dicitur תָּפוּג תּוֹרָה, ablata est lex. Wo ist Recht in der Welt, hie ists nicht. Quod hodie etiam queri possumus, in justitiam dominari in mundo. Sicut Germanico adagio vulgo fertur: Gerechtigkeit ist todt, der Glauben leidet Noth. Id verbum nunc est verissimum, et jurisconsulti etiam dicunt: Iudicium non venit ad victoriam. Lex quidem in libris scripta monet, quid sit faciendum, sed nihilescit, annihilatur, aus dem Rechten wird Nichts.

Et Psalm. 38, 9: ubi habet vulgaris translatio: „Afflictus sum, et humiliatus sum nimis." Eodem verbo significatur quaedam mutatio prioris status. Ideo reddidimus: Es ist mit mir gar anders worden, denn vor. Prorsus sum mutatus et attritus, cujusmodi gemitus

t querelae solent edi ab illis, qui luctantur cum diffidentia et desperatione, nec possunt erigere animum, ut ullam spem salutis concipere. Item Thren. 2. et . Fleto et non des פוגת tibi, ne cesses lacrymare, ed assiduo et sine intermissione plora.

Ita hoc in loco, ubi audit Iacob nuntium de filii ita, movet caput, et ostendit sibi non videri id verisimile, propterea quod XXII annos abfuerit, et nisi eriisset interea, jamdudum eum parenti id significaurum fuisse. Ideo diserte addit Moses: Non enim redebat illis, habebat pro commento, cogitatio ejus rat de nullitate rei, quia non credebat, perinde ut Iabacuc de lege dicit: Periit lex et justitia, quasi ion sit in mundo. Gesetz ist Nichts, das Recht ist ahin.

Ita cor Iacob ad hanc rem propositam prorsus ihil est. Non autem significat evigilare e somno, iec dissolutum aut debilitatum, aut deploratum, ut lii interpretantur. Sed cor ejus abiit et diversum ensit.

Et locuti sunt ad eum cuncta verba Ioseph, uae locutus fuerat ad ipsos. Cumque vilisset plaustra, quae miserat Ioseph ad ferendum eum, revixit spiritus Iacob, patris orum. Dixitque Israel: Sat superque uod Ioseph filius meus adhuc vivit, ibo et videbo eum priusquam moriar.

Ibi vero longa narratione opus fuit ad repetenlam totam historiam ab initio descensus in Aegyptum.)mnia enim aperuerunt patri, quae prius nescivit, quoiodo Ioseph cum ipsis luserit, bis in carcerem eos onjecerit et auguratus sit in scypho et reliqua om-

nia. Nec potuerunt prorsus dolictum suum dissimulare, ideo rogaverunt patrem, ut condonaret sibi peccatum, siquidem totum negotium de venditione innotuerat omnibus fratribus, qui idem liberis et familiis suis recensuerunt cum detestatione sceleris sui et humili confessione, et praedicatione immensae misericordiae Dei.

Ad hunc modum pater de varia et mirabili fortuna filii certior redditur, et simul evidens argumentum veritatis accedit, currus missi a Ioseph, ad deferendum ipsum, item munera amplissima, qualia nemo alius, nisi dominus Aegypti mittere posset.

Iam igitur revixit spiritus ejus, et prae gaudio, quo affectus est propter vitam et gloriam filii, libenter ignoscit et remittit peccatum, posita indignatione placatusque illis recipit eos in gratiam propter Ioseph. Sed tamen non obliviscitur prorsus perpetrati facinoris a filiis, sicut infra apparebit, cum sontibus tristes poenas denunciabit. Haec enim est regula divina: Remittendum est peccatum, ut remittat nobis Deus. Sed poenam remittere non semper necesse est.

Quando autem verbum Dei ita apprehendo, ut sciam, Deum mihi propitium esse, qui non velit me damnare propter peccatum, nihil erit incommodi, si in exemplum aliorum patiar ejus castigationem, juxta illud Psalm. 118, 17: „Castigans castigavit me Dominus, sed morti non tradidit me."

Sic Moses, vir sanctissimus, non ingreditur terram promissionis, et cogitur ferre hanc virgam Dei dicentis: Non intrabis terram, quamquam magna et mirabilia fecisti, sicut ipse commemorat Deut. 4: „Precatusque sum Dominum in tempore illo dicens: Domine Deus, tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem

tuam, etc. Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Iordanem. Sed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me." Ingens enim beneficium est, quod remittit Deus peccata, et affirmat se gratia et benevolentia sua me complecti velle. Ich will dir kein Leid thun, non nocebo tibi, non perdam te, sed ut habeas monumentum peccatorum tuorum ob oculos positum, et alii exemplo hoc erudiantur, oportet ut te corripiam.

Idem docet exemplum Pauli. 2. Corinth. 12, 9, qui queritur de stimulo carnis et Angelo Satanae colaphizante ipsum, propter quod, inquit, ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi: „Sufficit tibi gratia mea." Cessa, desine hoc a me petere, expedit tibi haec afflictio, quia virtus mea in infirmitate tua perificitur. Ich bin dir nicht ungnädig. Iam qui potest hoc firmiter animo suo persuadere, quod habeat Deum faventem et propitium, is facile omnem impetum Satanae, ac totius mundi indignationem et furorem contemnet.

Iacob igitur declarat animum paternum in condonando peccato, aber sie müssens dennoch nicht vergessen. Verum ne obliviscantur peccati, postea irascitur et castigat eos, tametsi nunc eis parcit, mitigatus exemplo Ioseph, cujus benignitatem et clementiam singularem experti fuerant. Iamque convictus argumentis ipsorum prorsus acquiescit et ait: Sufficit. Sat superque quod filius meus adhuc vivit, nihil amplius requiro in hac vita, quam ut videam Ioseph, pro quo martyrisatus et crucifixus sum totos viginti duos annos.

Sic enim mirandis modis exercet Deus Sanctos suos, immittit quidem tentationes et pericula omnis

generis, sed ita, ut finitis tentationibus reficiat et erigat eos uberrimis consolationibus. Sicut Iacob omnem spem de filii vita abjecerat, ac amissa paulo ante Rahele, Lea item et Bilha exstinctis, viduus domi in perpetuo luctu vitam exegerat, ac alienorum opera rem domesticam administraverat. Ist ihm die 22 Jahr je saur worden.

Sequitur ergo post tam diuturnam vexationem consolatio insignis, quod Ioseph non solum vivat, sed etiam regnet. Das kann unser Herr Gott thun. Haec Dei opera sunt, quae a priori non intelliguntur, propterea quod non ostendit nobis initio, quam opulenter possit et velit nos consolari. „Sed posteriora mea, inquit, videbis, non faciem; non enim videbit me homo et vivet.“